Thomas F. Torrance

THERAPEUTICA SACRA,

Seu, De Curandis CASIBUS CONSCIENTIÆ Circa Regenerationem, per Fœderum Divinorum prudentem applicationem.

LIBRI TRES.

AUTHORE

DAVIDE DICSONO

SS. Theologiæ Professòre in Academia EDINBURGENA.

ISA. 50. 4.

Dominus Jehova (inquit Christus) *dedit mihi linguam eruditissimam, ut sciam tempestive eloqui defesso verbum.*

MATTH. 9. 12.

His qui valent non est opus Medico, sed iis qui malè se habent.

PSAL. 41. 4.

Dixi (inquit *David,* animo simul & corpore æger) *Jehova gratiam fac mihi; sana animam meam, quia peccavi adversus te.*

EDINBURGI,

Excudebat *Christophorus Higgins.* Anno Dom. 1656.

Viro Clarissimo

D. ROBERTO CUNINGAMIO

Medicinæ Doctori Consultissimo, omnigenam sanitatem & salutem in Christo.

LIcet pereuntis mundi morbus hic lethalis sit, quod dum in malo peccati simul & miseriæ jacet, non aliter quam Concupiscentiæ oculorum, Concupiscentiæ carnis, & superbiæ vitæ satisfaciendo, & utrumque malum fovendo, cupiat sanari; Et licet hæc sit mundi condemnatio & justa perditio, quod, quando lux illa salutifera venit in mundum, erudiens homines, ut abnegantes seipsos, sequantur Christum, ut per eum justitiam, sanctitatem & salutem nanciscantur, miseri homines diligant tenebras magis quam lucem, nolint ad Christum (licet sæpius vocati) venire, nolint *eum* sibi subinde oblatum in Evangelio recipere: Omnes tamen Electi ex mundo, & à Patre dati Christo redimendi, à Patre ad Christum trahuntur, & tracti veniunt, & venientes justificantur, & justificati ad militandum in virtute Christi adversus Carnem, Mundum, & Diabolum instruuntur, & instructi quotidiè in prælio cum hoste committuntur. In qua militiâ fideles variè quidem exercentur: nam alternatim vincunt & vincuntur, infirmitates novæ creaturæ, & Conscientiæ morbi alii atque alii aperiuntur; Deus tamen interim sanctè & sapienter, ad salutem militum suorum & gloriam suam, omnia ita administrat & dispensat, ut Fides, Spes, Charitas, aliæque virtutes Christianæ omnes in illis probentur, purgentur & promoveantur. Tyronibus in hac malitia juvandis nostra hæc *Therapeutica* destinata. Ministerii sacri Candidatis commendata est, ut eorum prudentiâ & diligentiâ, ea quæ à nobis in aliis professionis nostræ partibus, satis occupatis, rudiori modo proponuntur, accuratius tractentur, poliantur, & in usum Sanctorum opportunè applicentur.

Cum autem apud me inquirebam cuinam hanc opellam meam dedicarem, ipse Libelli mei titulus invitabat, ut alicui Therapeuticæ corporeæ consulto, simul & spiritualis Medicinæ æquo æstimatori eam offerrem: & hic mihi nomen tuum, meumque erga te officium occurrerunt, à me quod æquum erat postularunt, & confestim obtinuerunt. Patris enim tui, viri spectatissimi, meique amantissimi, jucundissima recordatio, meritò exigit à me ut te paternæ amicitiæ hæredem, & paterni amici observatorem, quaqua possem ratione honorarem. Auxit etiam obligationem, quod professionis tuæ fructum amplissimum non solum ipse sæpius perceperim, sed quod de familia mea non minus solicitus fueris ut benè valeremus, & ægroti sanitatem recuperaremus, quam si filius-familias fuisses. Non dicam quanto studio ad Ministrorum Evangelii valetudinem curandam ubicunque datur occasio feraris, ne in laudes tuas digredi viderer: tantum istud dicam, quod æquissimum sit, ut, sicut fructus professionis tuæ ad nos abundè pervenerunt, sic professionis nostræ fructus aliquis ad te redeat; atque ita saltem nostra erga te gratitudo debita agnoscatur. Non dubito quin hoc munusculum gratum tibi acceptumque sit futurum, non tam quod nomini tuo inscriptum sit, quam quod ad publicam Ecclesiæ utilitatem (cujus te cupidissimum esse novi) promovendam, te judice, symbolum aliquod collaturum sit. Ut igitur huic meo labori animarum Medicus Dominus noster Iesus Christus benedicat, aliosque excitet promos condos peritiores, qui, ex divite Scripturarum penu opportunos sermones ad defessarum animarum recreationem proferentes, meum hunc conatum promoveant & perficiant, tecum orat

Tui observantissimus

DAVID DICSONUS.

Datum Idibus Decembris Anno 1655.

Ad Candidum Lectorem

PRÆFATIO.

J*Uxta mecum æstimaturum te puto,* Christiane Lector, *quod Ministerii sacri Candidatis non minus necessaria sit doctrina de Casibus Conscientiæ, quam Medicinæ Studiosis utilis est* θεραπευτικὴ, *seu,* Methodus medendi, *in qua curandorum morborum ratio recta per medicamentorum idoneorum prudentem applicationem præscribitur. Quemadmodum enim ad* Hippocratis *vel* Galeni *discipulum instituendum non sufficit in genere de corporis humani temperamentis, de morbis & medicamentis disserere, nisi specialis aliqua ratio tuendæ & recuperandæ sanitatis proponatur, & idoneorum medicamentorum applicatio ad speciales morbos doceatur: Sic etiam ad filios Prophetarum formandos, non satis est doctrinæ sacrosanctæ fontes iis aperire, nisi etiam ratio aliqua, qua illa quæ habentur in Lege & Evangelio ad praxin usumque populi Dei applicari debeant, ostendatur. Ecclesiæ enim Pastores & præclarum opus Ministerii desiderantes oportet, non tantum suæ sed etiam aliorum saluti prospicere: tantòque ardentius peritiam rectè tractandi & curandi animarum morbos & vulnera à Deo petere, quantò sæpius experientiâ compertum est multos Episcopos, propter hujus doctrinæ ignorantiam, nec Gregis sibi commissi morbos curâsse, nec Conscientiarum propriarum vulnera curare novisse: nam ex iis aliqui, afflictiones animæ & exercitia Conscientiæ, pro deliriis, pro vesaniâ, pro stultitiâ, vel, pro hypocrisi & simulatâ sanctitate habuerunt: qui, quando ab ægris animabus super aliquo dubio aut Conscientiæ Casu consulebantur, vel responsionem declinarunt, vel nihil ad rem respondendo, non satisfecerunt; vel, adeò morosè & inhumaniter consolationem petentes exceperunt, (eo ipso consilio, ne afflicti amplius in simili aliqua quæstione negotium ipsis facesserent) ut ægræ Conscientiæ ab iis postea, tanquam à miseris consolatoribus, alienatæ sint. Non imus inficias Melancholicos & Hypochondriacos aliquando de suorum peccatorum gra-*

gravitate, de Dei irâ, de Inferno, aliisque Theologiæ capitibus loqui solere, prout ipsorum phantasia à noxiis humoribus variè agitatur, quorum morbi potione medicinali citius quam sermonibus Theologicis curantur: Nec negamus Caco-dæmonem in obsessis mentiri posse spiritualia exercitia multa, miserosque homines ita fascinare ac si afflatu planè divino Ecstatici isti agerentur: Nec dubitamus multos esse hypocritas, qui, sanctimoniæ laudem apud homines captantes, sanctorum sermones & exercitia egregiè simulare didicerunt, ut sub illâ larvâ quæstui suo, ambitioni suæ, & aliis pravis suis cupiditatibus operam dent. Ex his fuit Achitophel, *qui mirum in modum se in* Davidis *consortium & consilium insinuavit. Non tamen propterea despicienda sunt, sivè seria, sivè simulata Conscientiarum exercitia; nec propter naturales infirmitates, vel noxiorum humorum admistionem, quæ in ægris animabus sæpè comperiuntur, negligenda est Conscientiæ curatio; nec iniquis suspicionibus, propter aliquorum hypocrisin, quisquam onerandus est: sed sermo Pastoris ita temperandus est ad omnes, qui præ se ferunt vulneratam Conscientiam, vel, videntur dubiorum solutionem seriò quærere, ut arguantur de peccato in se, & de necessitate justitiæ per Christum habendæ, & de judicio Dei secundum hominum opera tandem futuro: nemini enim constat, qui sint electi, vel quo tempore Spiritus Sanctus per Verbum suum in cordibus auditorum operaturus sit. Et constat etiam ex Scriptura Christianis omnibus luctandum esse, non cum carne & sanguine tantum, sed etiam cum tentationibus Diaboli, qui fidem fideique fructus quâquâ potest ratione oppugnat & impedit in omnibus. Et certum est nullam victoriam de spiritualibus hostibus reportari, nisi per certamina & luctas spirituales; nullam fidem tam firmam esse, quæ tentationibus non agitetur; nullam tam sanam Conscientiam, quæ non pluribus morbis infestetur: quibus manifestandis & curandis, omnes fideles, & Pastores maximè, ex officio speciali studere debent. Qua in re præclaram navarunt operam insignes Dei servi in* Anglia *D.* Perkinsius, *D.* Amesius, *& D.* Boulesius *in aureo suo libro, qui* Pastor Evangelicus *inscribitur: quibus alii pii doctiq; viri, obiter in suis concionibus & tractatibus, aliquid de die in diem superaddunt. Et certè doctrina de Casibus Conscientiæ arbor est admodum ramosa, ad extremos Theologiæ terminos usque se extendens, & fructuum saluberrimorum & suavissimorum feracissima. Quod ad me attinet, ego ramusculum tantum hujus arboris decutiendum elegi, indèque primitias aliquas tantum decerpsi, pleniorem fructuum collectionem aliis à Deo*

exci-

excitandis relinquent. Satis enim mihi fuit, in gratiam Studiosorum Theologiæ, fercula aliqua & pharmaca in usum Domesticorum Dei aliquando proponenda, nominasse, ut Candidatos Ministerii ad arborem hanc scandendam, atque inde ampliorem cibum & medicinam decerpendum incitarem. Eos autem quos produximus medicinales vel cibarios fructus, non ita decorticavimus, vel, exossavimus, ut nihil restaret Pastoribus, nisi ut eos tanquam edulium famelicis, vel pharmacum ægris jam satis paratum, proponerent & applicarent : Sed Pastorum prudentiæ reliquimus, ut pro uniuscujusque famelici vel ægri necessitate & conditione fructus hos vel sale vel melle condirent, floribus ornarent, & ampliori copiâ ex eodem penu prolatâ, augerent, eosque ut decet fideles dispensatores doctrinæ salutaris vel in mensa publicè pro concione omnibus, vel privatim singulis in colloquio proponerent, & distribuerent. Interim his nostris consiliis nihil amplius tribui cupimus quam æquum est ; quia ad moralem suasionem tantum proximè tendunt hæc nostra & hominum scripta omnia : nam in Dei solius manu est benedictio ; ab illo solo persuasio, dubiorum solutio, adversus miseriam consolatio, & morborum omnium sanatio, pendent ; ab illo solo veritas discenda, ab eo solo Pastoris prudentia in dispensanda veritate expectanda, ab eo solo ægrorum fides petenda, & ab eo solo mediorum adhibitorum in Conscientiæ curatione successus accersendus est.

Methodi quam sequutus sum rationem, in Librorum & Capitum Indice reddidi ; multæ variæque lectionis laudem, Scripturarum luce & testimoniis contentus, non affectavi ; & in his citandis, quia ad Candidatos Ministerii in Scripturis versatos scribebam, non eram operosus. Tu autem, Benevole Lector, *boni consule quæso quæ bono erga te animo in lucem prodierunt : quæ ut tibi prosint ad salutem, seriò optat*

Tuæ salutis Studiosus,

DAVID DICSONUS.

ERRATA.

PAg. 9. lin. 3. post *Laodicæi* adde *erant*. p. 14. l. 21. pro 24 lege 34. p. 88. l. 18. *ali*, l. *aliqui*. p. 95. l. 21. l. *cupiditatum*, & l. 26. l. *in injustitia*. p. 97. l. 23-24. l. *adversas*. p. 110. l. 28. l. *excubabit*. p. 116. l. ult. l. *excusarunt*.

In redundantia syllabarum, in literarum defectu & permutatione, in distinctionum neglectu & similibus: quibus Grammaticæ Leges violantur, (in generis, casus, numeri, & modi alteratione) vel sensus variatur, facile quid fieri debuisset, perspiciet peritus *Lector* & corriget.

Therapeutica Sacra.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Conſcientiæ Natura.

QUum inſtituti noſtri ratio poſtulet, ut agamus de *Conſcientiæ Caſibus*, ſeu morbis circa Regenerationem curandis, per fæderum divinorum prudentem applicationem, neceſſe eſt, ut nonnulla breviter prælibemus. 1. De Conſcientiæ natura. 2. De caſibus Conſcientiæ in genere. 3. De Regeneratione, & Regenito. 4 De fæderibus divinis. Et 5. De fæderum divinorum prudenti applicatione in genere, ut ad applicationem ſpecialiorem poſtea deſcendamus.

2. Quod ad Conſcientiæ naturam attinet. Indita eſt à Deo animæ humanæ, à Creatione, naturalis facultas, ſicut intelligendi voluntatem Dei revelatam de credendis & faciendis, ſic etiam judicandi de obedientia præſtanda vel præſtita, à nobis ipſis, vel ab aliis. Hanc mentis humanæ potentiam, ſive in exercitio manifeſtatam, ſive in aptitudine tantum ad exercitium conſideratam, vocamus *Conſcientiam*.

3. Hujus facultatis exercitium videmus, ante hominis lapſum in Matre

noſtra *Eva*, quæ tentationem primam Diaboli repulit, per admonitionem Conſcientiæ ſuæ producentis in medium Dei interdictum, *Gen.* 3.2, 3. *Dixit mulier Serpenti, de fructu arborum hujus horti, comedere nobis licet: At de fructu arboris iſtius, quæ eſt in medio horti, dixit Deus, ne comedatis ex iſto, neque attingatis eum, ne moriamini.* Poſt lapſum autem, etiamſi Deus, juſto ſuo judicio, potuiſſet hominem in rebellione jacentem tradere in reprobum ſenſum, ut nullam recti pravive rationem haberet: voluit tamen in uniuſcujuſque mente relinquere facultatem judicandi, de bono & malo morali, de æquo & iniquo, de turpi & honeſto. Et in eum finem, opus legis inſcriptum cordi reliquit, communeſque notiones aliquas, de Deo colendo, officiiſque erga proximum præſtandis, conſervavit, & conſervatas curavit alendas, & augendas; non tantum per aſpectum operum divinorum, omnibus à creatione obviorum, & per operationum divinarum, ſecundum ſapientiam providentiæ divinæ, ordinatiſſimarum, obſervationem; Sed etiam rationem inire voluit, ut per voluntatis ſuæ in verbo ſuo revelationem in viſibili Eccleſia, uniuſcujuſque Conſcientia poſſet ipſum de peccato, & pœna propter peccatum merita, arguere.

4. *Conſcientiæ* autem variæ ſunt acceptiones. Aliquando enim ſumitur pro *mente*, ſeu facultate animæ intellectiva, qua homo comparare poteſt vel ſuam vel aliorum obedientiam, cum regula obedientiæ, & poſt comparationem, ſententiam ferre de obedientia præſtanda, præſtita, vel omiſſa, licet facultas hæc nondum in actum aliquem exierit. Quo ſenſu dicimus omnes homines, etiam infantes, *Conſcientia* præditos eſſe, hoc eſt, habere naturalem facultatem judicandi, de ſua vel aliorum morali obedientia vel inobedientia. Et facile omnes agnoſcimus hanc potentiam eſſe in dormientibus, otioſis, & aliud agentibus, quando *Conſcientiam* extra exercitium conſideramus. Aliquando ſumitur Conſcientia, pro facultate in functione & exercitio poſita, actu judicante, & judicium ferente, ſive de noſtra ſive de aliorum obedientia: Et in hac ſignificatione accipitur, 2 *Cor.* 5. 11. *Spero etiam Conſcientiis veſtris nos manifeſtos eſſe.* Aliquando vero ſtrictius ſumitur, pro mente, ſeu intellectu uniuſcujuſque hominis judicantis de ſe ipſo tantum; & in hoc ſenſu, maxime proprie *Conſcientia* dicitur: partim, quia unuſquiſque cum obſervatoribus & teſtibus factorum & dictorum ſuorum, circumſtantiaſque eorum ſcientibus, ipſe etiam conſcit: partim, quia unuſquiſque cum Deo omniſciente & obſervante obedientiam aut inobedientiam uniuſcujuſque, de ſe *conſcit* cum Deo, id quod ſolus Deus cum ipſo ſcit: partim denique, quia ipſe apud ſe ſcientiam habet juris, ſeu regulæ obſervandæ, conjunctam cum ſcientia facti ſui, conformis vel non conformis cum Regula.

5. Hoc ſenſu nos Conſcientiam ſæpiſſime in hoc tractatu accipimus, eamque ſic deſcribimus. Conſcientia hominis, nihil aliud eſt quam ipſius mens ſeu intellectus, comparans officium ſuum, vel praxin ſuam, vel conditionem ſuam, vel ſtatum ſuum moralem, cum lege Dei, ſeu cum regula, quam judicans putat eſſe legem Dei, ſententiamque abſolutionis vel condemnationis, recte vel perperam ferens vel ſuſpendens, latamque ſententiam pro ſua parte exequens.

6. In Conſcientiæ ergo judicio, hæc ſex diſtinguenda ſunt. 1. Examinationis officium. 2. Regula ad quam examen inſtituendum eſt. 3. Poſſibilitas errandi. 4. Res judicanda. 5. Proceſſus Conſcientiæ ad ſententiæ pronunciationem. *6.* Executio ſententiæ latæ, quantum & quouſque Conſcientia poteſt.

Quod ad primum attinet: unuſquiſque tenetur ex officio Conſcientiam ſuam excitare, obedientiamque ſuam, legi Dei præſtitam vel non præſtitam, examinare. Sic enim præcipit Spiritus Sanctus, *Pſal.* 4. 4. *Contremiſcite, & ne peccetis: colloquimini cum corde veſtro ſuper cubili veſtro.*

7. Quod ad ſecundum ſpectat: Recta regula, ſecundum quam examinatio uniuſcujuſque inſtituenda eſt, in verbo Dei reperitur, quod præſcribit nobis & quid ſit credendum, & quid ſit faciendum; indicatque quod ſit præmium obedientiæ, & quæ ſit pœna inobedientiæ. Quando enim Conſcientia recte informatur, nullam legem agnoſcit præter divinam in corde ſcriptam per naturam, vel in Scriptura revelatam: nec ulli authoritati niſi divinæ ſe ſubjicit.

8. Quod ad tertium attinet: Fieri poteſt ut Conſcientia aliquando decipiatur, vel ex ignorantia juris, & erret apprehendendo falſam regulam pro vera, nempe, errorem pro Dei voluntate; vel ex ignorantia facti, & erret perperam applicando rectam regulam ſingulari rei alicui. In quo caſu, Conſcientia errans, licet non procedat ſecundum veram regulam ſeu voluntatem Dei, putat tamen ſe recte procedere, æſtimatque errorem quem ſequitur eſſe rectam regulam, & judicium ſuum ſecundum veritatem Dei procedere opinatur. Conſcientia enim male informata, putat Dianam eſſe magnam Deam; putat Traditiones humanas, & falſas doctrinas ſub ſpecie autoritatis divinæ propoſitas, eſſe voluntatem Dei; putat ſuperſtitionem & Idololatriam eſſe verum Dei cultum; & putare poteſt ſe Deo ſervire, quando ſanctos & fideles Dei ſervos, tanquam nefarios hoſtes Dei, trucidat, *Johan.* 16. 2.

9. Quod ad quartum attinet: res judicanda, vel eſt *Status* noſter, cum ſcilicet inquirimus, ſimuſne regeniti, & in ſtatu gratiæ; an vero irregeniti & in ſtatu iræ? De quo judicio inſtituendo monet Apoſtolus, 2 *Cor* 13. 5.

Vosipsos tentate, an sitis in fide: annon agnoscitis vosmet ipsi Iesum Christum esse in vobis, nisi rejectanei estis? Vel res judicanda, est *Conditio* Regeniti præsens, seu dispositio animi nostri, inclinatioque præsens ad virtutum vel vitiorum exercitium, nempe, an respondeat officio nostro, an digna sit professione nostra, vel non? Ad quod examen, Christus vocat Ecclesiam Ephesinam, *Apoc.* 2. 4. *Habeo aliquid adversum te, quod charitatem tuam primam omiseris.* De examine conditionis irregeniti, scilicet, an propius accedat ad regnum cœlorum hodie quam hesterno die, non est nostri instituti jam agere. Vel denique, res judicanda, est *factum*, dictum, vel cogitatum aliquod; de quo, post comparationem ejus cum regula, intellectus judicans pronunciare poterit, utrum illud moraliter bonum vel malum fuerit. Ad quod judicium Christus Ecclesiam Thyatirensem vocat, *Apoc.* 2. 19. 20. *Novi opera tua, & charitatem, & subministrationem, & fidem, & tolerantiam tuam, & opera tua, & ultima plura prioribus. Sed habeo adversus te pauca: quod permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetissam, docere & seducere servos meos, ut scortentur, & edant ex iis quæ simulacris immolantur.*

10. Quod ad quintum spectat: processus Conscientiæ in judicio, totus est syllogisticus; quia intellectus judicialiter procedens, semper syllogistice procedit: Respicit enim Conscientia, credenda & facienda, vel in futuro, ut dirigat; vel in præterito & præsenti, ut absolvat, vel condemnet. In judicio directivo, de futuro, unicus sufficit syllogismus, in hunc modum.

Quod à me exigit Dei verbum, ut credam vel faciam, id ego teneor jam credere vel facere.

At, hoc vel illud, exigit à me Dei verbum, ut credam vel faciam.

E. Hoc ego jam teneor credere vel facere.

In judicio vero de præsenti statu, vel de conditione, vel de factis & dictis præteritis, plures sunt syllogismi: In condemnatione enim sunt tres, quorum primus est de officio, in hunc modum.

Quod Deus præscripsit mihi credendum vel faciendum, id ex officio debui credere vel facere.

At, hoc vel illud, præscripsit mihi Deus, ut crederem vel facerem.

E. Hoc debui ex officio præstare.

Secundus syllogismus est de peccato meo, in hunc modum.

Qui non obedivit Dei mandato, is peccavit, & reus est culpæ.

At, ego in hoc vel illo particulari, non obedivi Dei mandato.

E. Ego peccavi, & reus sum culpæ.

Tertius syllogismus est de reatu pœnæ, in hunc modum.

Qui

Qui reus est culpæ, is meretur pœnam in lege Dei pronunciatam, nempe mortem, peccati stipendium.

At ego reus sum culpæ, &c.

E. *Meritus sum pœnam in lege Dei pronunciatam, nempe mortem, peccati stipendium.*

Sic etiam in absolutione, syllogismi sunt totidem: primus est de officio in hunc modum.

Quam rationem reconciliationis & novæ obedientiæ præscripsit Deus in Evangelio, eam ex officio ego teneor sequi.

At hanc solam præscripsit Deus rationem reconciliationis, & novæ obedientiæ, ut peccatores, convicti de peccato & ira, confugiant ad Christum Mediatorem, ut justificentur, & ex eo per fidem hauriant virtutem, ad novam obedientiam legi ejus præstandam.

E. *Ego hanc rationem teneor sequi.*

Secundus syllogismus, est de conformitate mea cum præceptis Dei Evangelicis, in hunc modum.

Qui per Dei gratiam, in sensu seu agnitione peccati sui, & iræ meritæ, confugit ad Christum Mediatorem, eumque amplexus est ad justitiam & vitam æternam, & in virtute ejus inchoavit novam obedientiam legis divinæ, ille est in numero fidelium, & filiorum Dei adoptivorum, censendus.

At ego per Dei gratiam, in sensu peccati mei & iræ meritæ, confugi ad Christum Mediatorem, eumque amplexus sum ad justitiam & vitam æternam, & in virtute ejus inchoavi novam obedientiam.

E. *Ego in numero fidelium & filiorum adoptivorum censendus sum.*

Tertius syllogismus esse potest de jure in bona omnia promissa in Evangelio, in hunc modum.

Qui in sensu peccati, & male meriti sui, & in sensu impotentiæ & indigentiæ suæ, confugit ad Christum liberatorem, adhæsurus ei in fœdere perpetuo, consecravitque se Deo ad novam obedientiam, in virtute Christi, constanter prosequendam, hæres est promissionum omnium cum Isaaco.

At ego per Dei gratiam talis sum.

E. *Ego sum hæres omnium promissionum cum* Isaaco.

Atque uterque hic processus judicialis, secundum legem & Evangelium, reperitur in Conscientia Regenitorum, quoties in examinatione sui repetunt & renovant actus resipiscentiæ suæ & fidei. Et hic Conscientia aliquando paucioribus, aliquando pluribus utitur syllogismis; aliquaudo syllogismum

mum explicatum format; aliquando enthymemate, in celeritate & claritate judicii sui, contenta est.

10. Quod ad sextum attinet: de executione sententiæ à Conscientia prolatæ: quia Conscientia constituitur à Deo Judex vicarius, idcirco nomine Dei, sententiam à se pronunciatam executioni mandat, & pro natura sententiæ absolutionis vel condemnationis à se prolatæ, varios in corde excitat motus, & affectus, alios tristiores, alios lætiores. Tristiores, post condemnationem, sunt pudor, tristitia, metus, angor, & vexatio, quibus peccator vel ut à vermi roditur, vel ut ab igne vehementius cruciatur. Hujus exemplum videmus in Adamo protoplasto, qui peccati & iræ meritæ convictus, & in Conscientiæ suæ judicio damnatus, à Dei conspectu, perterritus, aufugit, *Gen.* 3.9, 10. *Clamavit autem Jehovah Deus Adamo, & dixit ei, ubi es? qui dixit, vocem tuam audiebam in horto, extimui autem, eô quod nudus sim, & abscondi me.* Verum post absolutionis sententiam secundum Evangelium prolatam, excitat Conscientia in corde affectus lætiores, quales sunt, consolatio, pax, gaudium, lætitia, exultatio, fiducia: Cujus exemplum videmus in *Paulo*, 2 *Cor.* 1.12. *Gloriatio nostra hæc est, testimonium videlicet Conscientiæ nostræ, quod cum simplicitate & sinceritate Dei versati sumus in mundo.* Conscientia ergo post officium non præstitum, partes agit *Judicis*, citando reum ad Tribunal; & *Apparitoris*, ad Tribunal eum sistendo; & *Accusatoris*, eum accusando; & *Testium*, eum convincendo; & rursus *Judicis* condemnantis convictum; & *lictoris*, vincientis condemnatum; & *Carceris*, comprimentis vinctum; & *Carnificis*, plectentis & torquentis puniendum. Verum quando officium est præstitum, Conscientia partes agit *Amici* integerrimi, studiose consolantis; & *Advocati*, defendentis seu excusantis; & *Testium*, purgantium; & *Judicis*, absolventis; & *Brabeutæ* seu Remuneratoris. Atque hæc de Conscientia in genere pro instituto nostro dixisse sufficiat.

CAPUT II.

De Casibus Conscientiæ in genere.

C*Asus Conscientiæ*, in latiori acceptione significat omne illud quod Conscientiæ accidit, sive ut ejus affectio, cujusmodi sunt Conscientiæ robur, & infirmitas; certitudo, & hæsitatio; stabilitas, & vacillatio; perspicacia, & cœcitas; teneritas, & stupor; Sanitas & ægritudo: Sive ut ejus effectus in anima, cujusmodi sunt timor, & fiducia; spes & desperatio;

tio; gaudium, & tristitia, & similia. Sed nos Casus Conscientiæ strictius hic accipimus, pro Conscientiæ morbis tantum; & ut ordine descendamus, ad eos Casus Conscientiæ, de quibus nobis agendum est: primo distinguenda est Conscientiæ sanitas, ab ejus ægritudine. Secundo, distinguendi sunt Casus animi ægri, à Casibus Conscientiæ ægræ. Tertio, distinguendi sunt Conscientiæ Casus communes, ab eis qui proprie pertinent ad Regenerationem.

2. Quod ad primum attinet: Non est eadem ratio Conscientiæ sanæ, & ægræ: Conscientia enim sana non requirit medicinam, sed alimentum tantum spirituale, & exercitium virtutum Christianarum. Ægra vero Conscientia, quia liberanda est á vulnere vel morbo, curatione & medicina opus habet, ut possit cibum spiritualem sumere, & operari opera Dei, nempe ea quæ ipsi placeant.

Sana autem Conscientia ea est, quæ post examinationem viarum suarum secundum regulam verbi divini, juste hominem absolvit, pacemque ei apud Deum pronunciat. De ea loquitur Paræmiastes, *Prov.* 14. 30. *Sanum cor, vita est carnis*: Scilicet, quia ipsa caro seu corpus, multo melius se habet, quando Conscientia pace Dei fruitur. Similiter Apostolus, 2 *Tim.* 1.7. *Deus non dedit nobis spiritum timiditatis, sed roboris, & charitatis, & sanitatis animi*: & de hac Conscientiæ dispositione, non est nostri instituti agere, quia in hac conditione, non est opus curatione, sed dieta & exercitio.

3. Ægra Conscientia, vel est Recta seu recte informata, vel Errans seu male informata. Recta est, quando Conscientia recte fungens officio suo post examinationem actionum & viarum suarum, secundum Dei verbum, jure saucia est, & ægre habet, ex sensu peccati & iræ meritæ. De qua loquitur *Solomon*, Prov. 18. 14. *Spiritus viri sustentat ægritudinem ejus, spiritum autem fractum, quis sustinebit?* Ægra Conscientia errans est, quando Conscientia non recte fungitur officio suo, sed ex errore aliquo, in peccato detinetur: aliquando cum observatione morbi sui & sensu doloris; aliquando vero sine mali sui observatione, & sine sensu doloris. Et hæc Conscientiæ ægritudo, quia medicina & curatione opus habet, ad nostrum institutum pertinet. Nam tantum in Conscientiæ ægræ casibus curandis, nobis in hoc tractatu laborandum est, ut Conscientia ægra, ad sanitatem perducatur, vel restituatur, sive recta sive errans sit.

4. Quod ad secundum spectat: Differunt inter se Casus *animæ ægræ*, & Casus *Conscientiæ ægræ*. Latius enim patent Casus animæ, quam Casus Conscientiæ: quia latius patet *Anima* quam *Conscientia*, quæ tantum est

facultas

facultas vel functio unius facultatis animæ, Intellectus scilicet. Unde fit ut Casus Conscientiæ sint Casus animæ, sed non omnes Casus animæ sint Casus Conscientiæ: Sæpissime enim perturbatur Anima à causis naturalibus, civilibus, & spiritualibus, pro varietate afflictionum, quando Conscientia recta, quieta & sana manet, & pace Dei abunde fruitur, ut *Rom.* 5. 1,2,3. *Justificati ex fide, pacem habemus erga Deum*, &c. *Neque id solum, sed etiam gloriamur in afflictionibus*, &c. Deinde perturbationes & passiones animæ esse possunt in iis, in quibus Conscientia officium suum non potest exercere, ut in infantibus, febricitantibus, & phreneticis videre licet. Et tertio, possibile est ut perturbationes & passiones animæ sint sine peccato, & sine Conscientiæ vulnere vel morbo: Nam Dominus noster Iesus Christus, animæ ægritudinibus obnoxius erat: Sed Casibus seu ægritudinibus Conscientiæ non erat obnoxius, *Johan.* 12. 27. *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam?* dixit ille, qui peccatum non noverat.

5. Quod ad tertium attinet: Casus Conscientiæ, quando defectum ex ignorantia vel errore denotat, vel communiter sumitur pro quavis quæstione Theologica, ad fidem, vel mores spectante, de qua quis Conscientiam suam cupit informari, ut melius intelligat regulam fidei & obedientiæ. Et in hac significatione, Casus Conscientiæ, tam late patent, quam doctrina de fide & moribus: Nullus enim est articulus fidei, nullum præceptum Dei de pietate vel justitia, de quo non possunt moveri quæstiones, & proponi Casus, de quibus cuperet aliquis suæ Conscientiæ satisfieri: maxime cum ventum est ad dubium, quid credere debeat aliquis, & quo sensu Scripturæ sententiam aliquam, debeat sumere; vel, liceatne hoc vel illud facere, vel, quid in hoc vel illo Casu faciendum sit?

6. Aliquando vero specialiter restringuntur Casus Conscientiæ ad quæstionem de Regeneratione, de Regeniti reconciliatione, de Regenerationis impedimentis, de statu vel conditione Regeniti, & similibus. De quibus Casibus solis (nisi forte per accidens, aliquid aliud explicationis causa incidat) nobis agendum est. *Status* autem hominis coram Deo, est relatio illa judicialis, in qua quis stat in ordine ad Reconciliationem cum Deo, vel ad inimicitias adversus eum: propter quam relationem, aliquis, vel dicitur stare in gratia, *Rom.* 5. 2. vel esse filius iræ, *Ephes.* 2. 3. *Conditio* vero Regeniti (nam de conditionibus *Irregeniti* nihil hic dicimus) est variabilis dispositio, vel inclinatio animæ & conversationis ipsius, respectu exercitii virtutum vel vitiorum: in qua dispositione, Regenitus magis vel minus Deo placet vel displicet. In quo sensu, Ephesii, *Apoc.* 2. 4 5. postquam in iis aliquantulum defervuit amor Christi, dicuntur in pejori esse conditione, quam antea

tea fuerant: interea tamen, sive in meliori sive in deteriori conditione considerentur, stabant in eodem statu gratiæ, *Apoc.* 2. 4, 5. Eodem etiam sensu Philadelphios in meliori conditione fuisse dicimus, quam Laodicæi, quando Christus ad hos & illos scripsit.

CAP. III.

De Regeneratione, quid sit? & de Regenito, quis sit.

Dictum est de Conscientia & ejus Casibus in genere: Sequitur ut dicamus aliquid de Regeneratione, & Regenito, quia de Casibus spectantibus ad Regenerationem dicturi sumus. Rationes autem propter quas, in Candidatorum Ministerii institutione, de his potissimum agimus, tres sunt. 1. Quia Evangelii revelati, & consilii Dei de salute hominum, ex sinu Patris per Filium prolati, finis est, Electorum seu Redemptorum conversio ad Deum, seu Regeneratio: & hic scopus seu finis Ministerii est; hic labor & hoc opus Ministrorum est, ut auditores regenerentur, Regeniti confirmentur, & ad sanctitatis & salutis perfectionem promoveantur & perducantur. 2. Quia facillime & maximo cum periculo decipiuntur homines in Regenerationis negotio: multi enim qui de Regeneratione audiunt, eam rident & repudiant: multi persuasum habent se esse Regenitos, etiam quando toti, quanti quanti sunt, caro sunt. Et in his multi etiam Pastores, Doctores, Prophetæ, & donis extra ordinem ad miraculum usque ornati, invenientur in die Judicii, quibus dicet Dominus, *Nunquam novi vos.* 3. Quia Diabolus, corrumpendo doctrinam de Regeneratione, & hominibus persuadendo, quod sine speciali & efficaci Dei gratia, possint ipsi & se & alios convertere, superbiam hominum nativam fovet, eorumque humiliationem, & necessariam sui ipsorum abnegationem, adeoque Conversionem ad Deum & Regenerationem impedit, & Dei gloriam in hominum Regeneratione obscurat: imo Conversionis actualis laudem à Deo transfert, & creaturæ totam tribuit. Idcirco studiosos Theologiæ admonere expedit, ut strophis, præstigiisque Satanæ se fortiter opponant; studeantque gloriam gratiæ divinæ in hominum Conversione, non tantum contra Diabolum, & omnes gratiæ divinæ hostes propugnare; Sed etiam vim, virtutemque efficacis gratiæ Dei in seipsis potenter operantis, observare & persentire, ut ex Regenerationis suæ indiciis observatis, & alios confirmare poterint, & corda sua de electione, Redemptione & perseverantia sua ad salutem, certiorare, adversaque omnia, quibus obnoxii sunt fideles Ministri,

 constanter

constanter perferre. In eum igitur finem, nonnulla de operatione Dei in peccatoris vivificatione & Regeneratione, & de officiis indiciisque Regeniti adulti, seu ratione utentis, breviter proponemus. De modo enim regenerandi infantes, non hic agimus.

2. Peccatoris adulti Conversio, Vivificatio, Regeneratio, & efficax vocatio, eandem rem, sub alia atque alia notione, significant, nempe, opus Dei, in quo Spiritus S. per verbum suum, ex mera gratia, hominem electum, mortuum in peccatis jacentem, invincibili sua potentia vivificat, in mente, voluntate & facultatibus omnibus; efficitque ut convictus de peccato suo, & de justitia Dei per fidem in Christo habenda, & de judicio Dei ad absolutionem credentium in Christum, & ad condemnationem infidelium pronunciato, confugiat voluntate libera ad Christum oblatum in Evangelio, eumque amplectatur, ut unicum & sufficiens remedium adversus peccatum & mortem, ut per Christum justificatus, sanctificetur indies magis magisque, & tandem salutem plenam consequatur.

3. In negotio igitur Regenerationis, hæ quinque propositiones tenendæ sunt. 1. Homo animalis non capit ea quæ sunt Spiritus Dei. 2. Dei Spiritus est, qui convincit hominem de peccato, justitia vera, & judicio certo. 3. In Regeneratione, Conversione, & Vivificatione peccatoris, Deus per potentiam suam invincibilem, novam vitam creat seu infundit. 4. Gratia Dei invincibilis, non destruit sed perficit liberum hominis arbitrium. 5. Etiamsi homo, quoad regenerandi seu vivificandi sui actum, spiritualiter mortuus sit, atque ita passive tantum se habeat: in ordine tamen ad exercitium externorum mediorum, quæ Deus ordinariò tanquam instrumenta adhibet, ad hominem præparandum ut convertatur, reliquæ sunt vires aliquæ naturales, quæ sufficiunt ad excusationem tollendam ab eis, qui mediis illis uti nolunt.

4. Quod ad primam propositionem attinet: Objectum Regenerationis, Conversionis, & efficacis Vocationis, est Electus, seu, Redemptus per Christum, jacens in statu defectionis à justitia originali, hostiliter aversus à Deo, pronus ad omne malum, prorsus ineptus & impotens, imo & mortuus ad omne spirituale bonum, maximeque ad seipsum regenerandum, convertendum seu vivificandum. Quamvis enim in homine post lapsum, relicta sit ratio, per quam confuse sciat, quid vocetur bonum spirituale, Deo placens & salvificum: judicat tamen Intellectus irregeniti bonum illud, & veritatem Evangelii in qua proponitur, stultitiam meram esse, & spirituale illud objectum, ut stultitiam, vel rem incertam repræsentat Voluntati. Voluntas etiam hominis irregeniti, in deliberatione & comparatione bonorum objectorum inter se, apta nata est, sicut ad præferendum & eligendum, præ bono morali

rali & honesto, quodlibet bonum utile vel jucundum, sive naturale, sive civile sensui suo corrupto placens; Sic etiam ad repudiandum bonum honestum morale, spirituale, & Deo placens. Quod si vero contigerit, justitiam & vitam æternam aliasq; res spirituales graphice depingi, & ei quasi ante oculos in Dei verbo, vel pro concione, vel alio quovis modo proponi: irregenitus tamen eas non videt, nisi sub specie boni naturalis, & imagine naturali vestitas, adeoque tantum ut naturæ suæ conservandæ utiles & jucundas. Sic *Balaam* Pseudopropheta, vidit fælicitatem justorum morientium, quando, separans salutem æternam à fide & sanctificatione, finemque à mediis divinitus præscriptis divellens, optavit sibi concedi mortem, & sortem justorum morientium, & novissimum suum diem similem reddi novissimo diei Sanctorum, ex hac vita decedentium. Hunc in modum, mulier Samaritana apprehendit donum Spiritus Sancti & gratiam salvificam à Christo oblatam, *Joh.* 4. 15. *Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam istam, ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum.* Sic etiam conceperunt infideles Judæi de applicatione Christi, ipsis oblati ad justitiam & vitam æternam, *Joh.* 6. 33, 34, 35. Postquam dixisset illis Christus, *Panis ille Dei is est, qui de cœlo descendit & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper panem istum. Dixit autem eis Iesus, ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriet.* Nam *animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia; nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur,* 1 Cor. 2. 14. Nam *desiderium carnis*, seu sensus & sapientia carnis, *inimicitia est adversus Deum: Legi enim Dei non subjicitur, imo nec subjici potest*, Rom. 8. 7. Potentia ergo hominis animalis, seu irregeniti, non est ordinata ad objectum spirituale discernendum & amandum: quia tantum naturalis est & non spiritualis. Nam objectum supernaturale, requirit potentiam intellectus & voluntatis spiritualem & supernaturalem, ut recte apprehendatur: irregenitus autem spiritu, seu spirituali facultate, destituitur; & respectu spiritualis discretionis, mortuus est, ita ut non possit spiritualia, qua talia, discernere.

5. Quod ad secundam propositionem attinet: Deus, ut prosternat fiduciam carnalem hominis convertendi, per doctrinam legis de fœdere operum, & per Spiritum suum Illuminatorem, primo ostendit ei officium debitum, & tollit ab eo prætextum ignorantiæ. Deinde, ostendit ei reatum quo involvitur, & tollit ab eo imaginationem innocentiæ propriæ. Tertio, convincit ipsum impotentiæ ad satisfaciendum legi, & ad liberandum se, sive per modum obedientiæ, sive per modum passionis & pœnæ persolvendæ, & ita retundit ipsius Confidentiam in se ipso, & in operibus suis. Unde sequitur

quitur convertendi desperatio de sui liberatione per seipsum: quia se peccatorem esse videt, & spem omnem justificationis in & per se, sublatam esse perspicit. Quod autem hoc sit opus Spiritus Sancti, patet, *Joh.* 16. 8. *Cum venerit ille advocatus, arguet mundum de peccato.* Idemque Spiritus convincit peccatorem de justitia in solo Christo per fidem habenda, & de judicio absolutionis, si crediderit; & de judicio condemnationis, nisi crediderit in Christum. Et hic multi hærent ad tempus in legis vinculis, sub spiritu servitutis.

6. Quod ad tertiam propositionem attinet. 1. Deus, post manifestatum peccatum in doctrina legis, lucem aperit in doctrina Evangelii, & peccatoris jam à seipso condemnati absolutionem & salutem in Christo, possibilem ostendit, & gratiam in Christo, ad dandum justitiam & vitam æternam omni confugienti ad ipsum, paratam esse manifestat 2. Deus, propius accedendo ad humiliatum in sensu sui peccati, agit cum eo per modum moralis suasionis, suaviter invitando eum in prædicatione Evangelii, ut Christum oblatum recipiat ad remissionem peccatorum, vitæ renovationem, & vitam æternam obtinendam; & ut recipiendo Christum in Evangelio oblatum, fœdus gratiæ cum Deo ineat. 3. Quia lapsus abripuit homini omnem potentiam ad supernaturalia, accedit Spiritus Sancti operatio efficax, vitam spiritualem infundendo, quæ nunc vocatur *vita Dei*, nunc *gratia salvifica*, nunc *semen Dei*, quod est novum principium, seu facultas agendi bonum ad salutem tendens, secundum Dei voluntatem. Atque hæc vitæ novæ infusio, nunc vocatur creaturæ novæ formatio, nunc Regeneratio, nunc resuscitatio à mortuis, nunc vivificatio, nunc vitæ Dei donatio. Hæc autum vita, pro varia ipsius relatione ad objecta varia, virtutes omnes continet, fidem scilicet, charitatem, spem, lenitatem, benignitatem, mansuetudinem, temperantiam, reliquosque habitus omnes bonos, quos in se radicatos habet, tanquam proprietates in forma virtualiter ab ipsa pendentes in actu secundo.

7. Verum quidem est, omnem hominem, propter innatam corruptionem, habere dispositionem ad resistendum Spiritui Sancto: Deus tamen in Electorum conversione, non tantum moraliter suadendo, sed ad modum physice agentis potenter operando, tollit actualem resistentiam, & vim nativæ rebellionis ita frangit, ut nunquam postea dominetur in eum: Nam si Deus resistentiam non tolleret, nulla certo sequeretur Conversio; & Deus intendens, simul & operans cordis & naturæ pravæ renovationem, fine suo frustrari posset: Sed Deus vitam hanc spiritualem infusam excitat, promovetq; ad actum elicitum producendum, efficitque invincibiliter, ut Intellectus consiliarius, & imperatrix Voluntas, & executrix potentia activa, serveant ad

operandum

operandum supernaturaliter: unde nova hæc creatura incipit intente respicere liberatorem Christum, avide desiderare cum ipso uniri, eumque oblatum in Evangelio hilariter recipere & amplecti: Atque ita conjicit se supplex in Christum Redemptorem, consecratque se totum Deo ad novam obedientiam præstandam, idque ex sincero proposito constanter Christo adhærendi, in spe hauriendi ex eo salutaria omnia. Et hîc Conversus se habet non passive tantum sed etiam active: jam enim, motus & actus à Deo, qui ei dedit velle & agere, ipse movet & agit.

8. Quod ad quartam propositionem spectat: Tantum abest ut invincibilis hæc Dei potentia, exerens se efficaciter & invincibiliter, destruat naturalem voluntatis libertatem, ut contra conservet eam & perficiat. Nam sicut Deus, aperiendo oculos mentis, & tollendo naturalem cæcitatem, efficiendoque ut Intellectus judicet Evangelium esse potentiam & sapientiam Dei ad salutem, quod olim irregenitus judicabat esse meram stultitiam, minime destruit judicium intellectus, sed illud perficit: Sic etiam Spiritus Sanctus, efficaciter convertendo Voluntatem ad recipiendum Christum, & efficiendo, ut Voluntas, per modum deliberationis, rejiciat omnem falsam rationem salutis consequendæ, hilariterque eligat Christum, ut unicum remedium necessarium & sufficiens, adversus peccatum & miseriam, non destruit naturalem Voluntatis libertatem, sed eam à morte revocat, sanat, & perficit, ut libere agat quod efficaciter jubetur à Deo agere. Etiamsi enim in Voluntate humana quando agit, supponatur radicalis & intrinseca habitudo ad non agendum, vel ad aliud agendum: respectu cujus habitudinis, actus causæ secundæ dicitur contingens: nihil tamen hoc impedit, quo minus idem ille actus, ratione imperii voluntatis procedentis secundum deliberationem intellectus, sit actus spontaneus & liber, ex consilio destinato libere fluens. Et licet Voluntatis actus, respectu hominis & causarum secundarum, sit liber & contingens, nihil hoc impedit, quo minus *respectu divini propositi*, idem ille actus sit necessarius: quia invincibiliter producitur à Deo efficaciter dante homini *velle & perficere*, & efficiente ut liberrime & velit & agat in hoc negotio. Neque queratur quisquam per hunc modum agendi præjudicium fieri libero hominis arbitrio, vel hominis laudi, in determinatione voluntatis suæ, quicquam injuste detrahi: Sed metuat potius Sanctum Israelis limitare, & sapientiæ, & potentiæ, & gratiæ ipsius gloriam ei eripere, nisi in Conversionis & Regenerationis negotio, totam gloriam gratiæ & potentiæ, in flexanima & verticordi determinatione voluntatis humanæ, efficaciter operantis, soli Deo tribuat. Alioqui enim præsupponitur Deum creasse creaturam, (liberum hominis arbitrium scilicet) cujus Dominus

nus non eſt, de qua nihil poteſt determinate vel promittere vel præſcire; & qua uti, quando & quomodo vult, non poteſt. Imo vero niſi Deus eſſet primum principium activum determinationis humanæ voluntatis in Converſionis actu, ſequeretur hominem in genere entis eſſe primum determinans phyſice, non determinatum; eſſe primum movens in actibus bonis, non motum; eſſe primum agens, non actum ab alio, in ſui Regeneratione; ſequeretur etiam hominem eſſe primam cauſam, ſeu primum & independens principium determinationis ſuæ voluntatis ad bonum ſpirituale: quod tam abſurdum eſt, quam ſi quis diceret, hominem ſibi ipſi eſſe vitæ ſuæ autorem, & in reſuſcitatione ſui à mortuis, ſibi ipſi eſſe Deum reſuſcitatorem, cum omnis Regenitus in Regenerationis momento, ſit inſtar Lazari, mortui & ſepulti, & à Chriſti ſolo verbo potenti excitati.

9. Quod ad quintam propoſitionem ſpectat: Diſtinguenda eſt *Regeneratio* ab hominis materiali ad Regenerationem diſpoſitione, per quam ſubjectum regenerandum, redditur formæ introducendæ magis ſuſceptivum. Diſpoſitiones enim materiales ad Regenerationem, neque ſunt partes, neque gradus Regenerationis; Sed tantum præparationes hominis ad Regenerationem: Quibus præparationibus licet Deus non ſit alligatus, hominem tamen in uſu mediorum externorum eis alligari vult: quia per præparatoria exercitia, homo propius accedere poteſt ad regnum cœlorum, ſicut docet nos Chriſtus alloquens Phariſæum, *Mar.* 12. 24. *Tum Ieſus cum vidiſſet eum cordate reſpondiſſe, dixit ei, non longe abes à regno Dei.* Hæc autem diſpoſitio præparatoria ita ſe habet ad Regenerationem, ſicut ſiccitas ligni ſe habet ad accenſionem: ſiccitas enim ligni, non eſt inchoata accenſio in ligno, nec gradus aliquis accenſionis ligni: Sed tantum præparatio ligni, ad citius recipiendam inflammationem, quandocunque ignis admovebitur vel ſubjicietur ei. In his ergo præparatoriis excercitiis, nemo negabit irregenitum poſſe audire Dei verbum pro concione prædicatum, Scripturas legere, conferre & colloqui cum aliis, de rebus ad Religionem & Regenerationem ſpectantibus, ſimiliaque multa facere, quæ ad Regenerationem præparare poterint. Quapropter quicunque in externa prædicatione Evangelii jubentur reſipiſcere, in Chriſtum credere & ſe convertere, jubentur etiam ad exercitia præparatoria omnia ſe accingere, & in eis ſedulo ſe exercere, in quibus notitiam aliquam legis & Evangelii comparare poterint, & communis operationis Spiritus multa ſentire poterint effecta, quorum uſus poſtea, per Dei gratiam magnus eſſe poteſt, non tantum in Regenerationis articulo, ſed etiam poſt eam. Quicunque autem, exercitiis his præparatoriis uti recuſant, carent omni excuſatione, & rêi ſunt repudiatæ Reconciliationis cum Deo, ad

quam

quam exercitia ista poterant esse præparationes, imo rêi sunt resistentiæ & oppositionis factæ adversus Spiritum Sanctum.

10. Atque hæc de Regeneratione, quid sit? Quod ad Regenitum attinet, Quis sit? Regenitus ille dicendus est, [qui ex sensu peccati sui, paupertatis suæ, & miseriæ meritæ, abjicit fiduciam in viribus suis, & in justitia operum suorum, & confugit ad Christum oblatum in Evangelio, ut in eo solo habeat justitiam, sanctificationem, & vitam æternam; serioque statuit, studetque, in virtute Christi Deo servire in spiritu.] Hujus descriptionis authorem habemus Paulum, qui ad *Philip.* 3. 3. discriminat genuinum Dei populum ab adulterino, *Nos* (inquit) *sumus Circumcisio, i.e.* vere circumcisi & renati, *qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu: nec confidimus in carne.* In qua descriptione Apostolus, primo, tres speciales Spiritus S. operationes in Regeneratione, seu formatione novæ creaturæ, nobis ostendit. Secundo, tria officia hominis vivificati, seu, renati, describit. Tertio, certum indicium hominis regeniti, ex trium officiorum præstitorum conjunctione, nobis observandum proponit. Quod ad operationes Spiritus attinet: earum prima, est humiliatio peccatoris per doctrinam legis seu fœderis operum. Secunda, est infusio fidei salvificæ, seu fœderalis conjunctio peccatoris humiliati cum Christo per fidem. Tertia, est efficax excitatio credentis in Christum, ad colendum Deum, eique serviendum in spiritu; seu roboratio credentis ad novam obedientiam, in virtute Christi, Deo præstandam. Quod ad officia Renati: eorum primum est, seipsum in sensu peccati & paupertatis suæ, impotentiæque ad satisfaciendum legi divinæ abnegare, fiduciæque carnali in re quavis extra Christum renunciare. Secundum est, ad Christum oblatum in Evangelio confugere, fœdusque gratiæ hilariter amplecti, ut in Christo sapientiam, justitiam, sanctimoniam, & plenam Redemptionem à peccato & miseria obtineat. Tertium est, seipsum consecrare Deo in disciplinam, ut manendo per fidem in Christo, hauriat ex eo subinde novas vires, ad Deum colendum, eique serviendum in sinceritate spiritus. Quod ad notam & indicium Regeniti spectat: Probatio Regenerationis, ex conjuncta trium horum officiorum præstatione, oritur. Quisquis ergo est, de quo vere dici potest, quod officia hæc tria conjunctim præstare studeat, scilicet in sensu injustitiæ & paupertatis suæ omnimodæ fiduciam carnalem à se removere, & Christo Redemptori in Evangelio oblato, arctius uniri & adhærere, & novæ obedientiæ constanter operam dare in virtute Christi; næ ille genuini discipuli Christi tesseram gestat, didicitque à Deo id quod Christus omnibus venientibus ad se præscribit, *Luc.* 9. 23. *Si quis vult me sequi, abneget seipsum, & tollat crucem*

cem suam quotidie, & sequatur me. Quod si vero non reperiatur studium sincerum ad hæc tria officia conjunctim præstanda, non satis evidenter probatur Regeneratio: non enim satis est si quis ex sensu peccati & iræ meritæ, fiduciam in carne & operibus suis abjiciat: quia illi, qui de salute desperant, ita convincuntur peccati, ut omnem fiduciam in operibus suis abjiciant, & tamen perire possunt in sua infidelitate, uti videmus in *Juda* proditore. Nec satis est quovis modo gloriari in Christo: quia clamantes, *Domine, Domine*, hoc factitare solent: & interim tamen nec suam justitiam abnegant, nec Deum in spiritu colunt: Nam de iis dicit Christus, *Math.* 7. 21. quod in regnum cœlorum non intrabunt. Nec satis est cultum Dei spiritualem prætendere: omnes enim, qui ex operibus justificari se posse putant, suum serviendi Deo modum, spiritualem & Deo placentem esse judicant, uti videmus in Pharisæo gloriante in operibus suis, & agnoscente quod sanctitatis & sinceritatis suæ Deus autor fuerit, *Luc.* 18. 11. *Ago tibi gratias, O Deus, quod non sim ut reliqui homines, rapaces, injusti, mœchi* &c. De hoc enim Pharisæo dicit Christus, quod domum suam redierit non justificatus. Neque satis est agnoscere peccata nostra, & injustitiam nostram præteritam, & simul vitæ nostræ emendationi studere: quia Pharisæo, & justitiæ propriæ assertori, hoc potest contingere: Et frequenter contingit multis etiam ex iis qui Christo nomen dant: multi enim Christiani nominis professores, ex merito suorum operum, & passionum propriarum, se justificari posse putant; multi qui peccata sua præterita elui & compensari posse opinantur, per vitæ suæ mutationem futuram in melius, qui tamen interim justitiam Christi imputatam rident, & putatitiam vocant, vel saltem in nullo pretio habent: quia ignorant justitiam Dei, & suam justitiam stabilire satagunt, secus quam factitabat Paulus, qui & serviebat Deo in spiritu, & simul quærebat comperiri in Christo, non habens suam justitiam quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, *Philip.* 3. 9. Verum si quis constanter studet sensum suæ indignitatis fovere, fiduciamque in re quavis extra Christum abjicere; seque totum in Christum ad justitiam Dei quæ est per fidem, conjicit, & simul per fidem ex Christo virtutem haurire studet, ut sincere in viis Dei ambulet, & in nova obedientia voluntatis Dei revelatæ Deo serviat, proculdubio vere Christianus est, per Spiritum Christi renatus, & nova creatura factus. Atque hæc de Regeneratione & Regenito præmisisse sufficiat.

CAP.

CAPUT IV.

De fœderibus divinis super æterna salute hominum: & speciatim, de fœdere Redemptionis, nempe, Quod sit: & Quid sit? seu, quibus articulis constet?

QUia Curatio Casuum, seu morborum Conscientiæ circa Regenerationem, fit per applicationem fœderum divinorum, de salvandis hominibus, cognitio aliqua istorum fœderum necessario requiritur.

1. Fœdus *Divinum* vocamus, Contractum, seu pactum, transactum, de æterna salute hominum, in quo Deus est pars saltem contrahens altera, id est, pars stipulans, vel restipulans. Hujus generis fœdera, quæ sola ad nostrum institutum pertinent, sunt tria: primum, est *fœdus Redemptionis*, seu de hominum *Redemptione* initum inter Deum Patrem, & Deum Filium, Mediatorem designatum. Secundum, est *fœdus Operum*, inter Deum & omnes homines in *Adamo* integro, naturalibus omnibus perfectionibus prædito. Tertium, est *Fœdus Gratiæ* seu Reconciliationis, inter Deum, & credentes credentiumque liberos.

2. Quod ad Fœdus Redemptionis attinet: ut illud melius concipiamus, variæ significationes *Redemptionis* explicandæ sunt: Redemptio enim hominum quatuor modis sumitur. Primo, pro Contractu seu pacto venditionis & emptionis hominum, in perditionis statu consideratorum: Quo sensu dicimur *empti* per Christum, & quoad corpus & quoad animam, 1 *Cor.* 6. 19. 20. *Non estis vos vestri juris, nam empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Et hæc Redemptio dici potest *Pactitia*, seu Redemptio pacta. Secundo, sumitur Redemptio, pro persolutione pretii condicti, seu, in fœdere Redemptionis pacti: quo sensu Christus dicitur nos redemisse, pœnam nobis, debitam pro nobis persolvendo, *Gal.* 3. 13. *Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim execrabilis quisquis pendet in ligno.* Tertio sumitur Redemptio, pro inchoata applicatione bonorum acquisitorum ex fœdere, per pretii pacti persolutionem: quo sensu sumitur, *Ephes.* 1. 7. ubi Remissio peccatorum vocatur Redemptio: *In quo habemus Redemptionem per sanguinem ipsius Remissionem peccatorum ex divite ipsius gratia.* Quarto, sumitur *Redemptio* pro complemento seu perfecta consummatione, & plena possessione omnium bonorum, de quibus, in fœdere Redemptionis inter Patrem & Filium, actum & transactum est; Quo sensu dicimur *obsignati ad diem Re-*

demptionis, hoc eſt, ad diem noviſſimum, in quo plene & perfecte liberandi ſumus ab omni peccato & miſeria, & fœlicitatem completam adepturi ſecundum tenorem fœderis, ſicut habetur, *Epheſ.* 1. 14. Ubi Apoſtolus, vendicationem noſtri in plenam libertatem & poſſeſſionem hæreditatis promiſſæ, vocat *Redemptionem acquiſitionis*, ſeu, hæreditatis ex pacto acquiſitæ. Et *Epheſ.* 4. 30. *Ne contriſtetis Spiritum illum Sanctum Dei, per quem obſignati eſtis in diem Redemptionis.* Sed nos hic Redemptionem ſumimus in prima ſignificatione, Scilicet, pro Redemptione pactitia, ſeu pro fœdere inter Deum Patrem & Filium inito, de hominibus redimendis. Cum autem Patrem nominamus, ex altera parte fœderis, id cum Scriptura loquentes, facilioris doctrinæ cauſa, facimus: non excludentes Filium & Spiritum Sanctum, quia tres perſonæ ſunt Eſſentialiter unus Deus, qui jus abſolutum habet ad ſtatuendum pro beneplacito ſuo, de hominibus in peccato & morte, merito ſuo jacentibus coram ipſo, cui omnia quæ in mundo erant, ſunt, & futura ſunt, ab æterno cognita & præſentia ſunt. Et quando Filium nominamus, ex altera parte fœderis, intelligimus Filium perſonaliter acceptum, eumque non ſimpliciter conſideratum, ſed ut Filium incarnandum, & deſignatum Mediatorem inter Deum & hominem, qui ab æterno voluit, ſtatuitque ex conſilio ſuo & Patris & Spiritus Sancti, in temporis plenitudine, humanam naturam aſſumere; & electorum hominum cauſa, homo fieri, hominumque cauſam ab æterno in æternum agere.

3. Eſt autem Fœdus Redemptionis, [pactum inter Patrem & Filium deſignatum Mediatorem, de *Electis*, (in peccato & morte, merito ſuo inter reliquos jacentibus,) prudenter & efficaciter convertendis, ſanctificandis, & ſalvandis propter Filii Mediatoris obedientiam Patri præſtandam uſque ad mortem crucis.] In hoc fœdere, emptio eſt & Venditio: Vendens, eſt Deus; Emens, eſt Deus incarnandus; perſonæ emptæ, ſunt Eccleſia; pretium, eſt Dei ſanguis, *Act.* 20. 28. *Paſcite Eccleſiam Dei, quam ipſe acquiſivit ſanguine ſuo*, Epheſ. 5. 25.

4. Si quæratur, quomodo emere potuerit Deus à Deo, Filius à Patre, Eccleſiam, cum certum ſit voluntatem Patris & Filii eandem eſſe? *Reſp.* Patris quidem & Filii voluntas eadem eſt, non diverſa: quia eſſentia Patris & Filii, una eſt: Sed quatenus perſonæ, ita ſunt diſtinctæ, ut Pater non ſit Filius, neque Filius Pater, eadem voluntas ſuo modo utrique appropriatur, ſcilicet, Patri ut ſtipulanti, Filio ut aſtipulanti; Patri, ut mittenti & mandanti; Filio, ut miſſo & obedienti. Atque ita myſterium hoc pateſcit, quomodo Deus ſibi ipſi ſatisfecerit, ſuo ſanguine acquirens ſibi Eccleſiam, nempe, quatenus Filius, qui unum eſt cum Patre, dum juſtitiæ Patris ſatisfacit, ſatisfacit

facit etiam suo ipsius justitiæ: Et quatenus Filius, non est is qui Pater; & Pater, non est is qui Filius: vendit Pater Filio electos, & eos dat Filio redimendos, per & propter pacti pretii persolutionem; & emit eos Filius, non auro vel argento, sed pretioso sanguine suo.

5. Esse autem ejusmodi pactum initum inter Patrem & Filium, de redimendis Electis, constat ex Scriptura sex modis. Primo, ex phrasibus & loquendi modis, contractum formalem denotantibus, aut præsupponentibus. Secundo, ex nominibus Christo Redemptori impositis. Tertio, ex æterno Dei decreto, de Redemptionis pacto in executionem mandando. Quarto, ex fœderis delineatione in typis leviticis. Quinto, ex fæderis ratificatione, per Christum Redemptorem jam incarnatum. Sexto, ex articulis, seu capitibus Redemptionis pactitiæ, in quibus fædus consistit.

6. Quod ad primum attinet, de phrasibus & loquendi modis contractum formalem denotantibus. 1. *Redemptio*, seu liberatio nostri a misera conditione, *Ephes.* 1. 7. vocatur ἀπολύτρωσις διὰ τοῦ αἵματος, Redemptio per sanguinem: qua phrasi innuitur & præsupponitur Christum non liberasse suos a peccatis, & pœna peccatis debita, nisi per sanguinis sui, ut pretii a Deo postulati, effusionem; atque ita non nisi propter pretii ab ipso & patre condicti, persolutionem. 2. Cœlestis hæreditas, nobis adeunda & plene tandem possidenda in die novissimo, dicitur *acquisita*, seu ad nos pervenire per acquisitionem, εἰς περιποιήσεως *Ephes.* 1. 14. Acquisitio autem illa per Christum præsupponit & in se importat, pactum seu contractum fuisse inter Deum & Christum initum, cujus interventu Christus obtinuit a patre, ut hæreditas æternæ vitæ, peccatoribus (qui, a cœlo & vita æterna, propter peccatum merito excludi potuissent) concederetur. 3. *Deus* dicitur Ecclesiam acquisivisse *sanguine suo*, *Act.* 20. 28. nempe, quia Deus a Deo, Filius a Patre, emit Ecclesiam, seu, a Dei justitia acquisivit eam, proprii sanguinis pretio. 4. Disertis verbis, fideles dicuntur *empti* per pretii persolutionem, 1. *Cor.* 6. 20. *Empti estis pretio*, scilicet, a Deo Patre venditore, empti estis per Deum Filium Redemptorem: Ubi enim est emptio; ubi pretium rei emptæ condictum est; ubi pretium promissum & persolutum est, necessario pactum transactum præcessisse asseritur: Idemque clarius a *Petro* declaratur, 1. *Pet.* 1. 18. *Empti estis non argento vel auro, sed pretioso sanguine Christi, ut agni immaculati.* 5. Denique, sanguis Christi vocatur a Christo *sanguis fæderis*, Matth. 26. 28. *Hic est sanguis meus novi fæderis* de Reconciliatione multorum in æternum: qui, scilicet, *effusus est* ex fædere Redemptionis æterno, *pro multis*, ut Remissionem peccatorum consequerentur, *Heb.* 13. 20.

7. Secundo, probatur esse fœdus Redemptionis inter Patrem & Filium, ex nominibus Christo impositis cum respectu ad fœdus. 1. Vocatur Christus μεσίτης, *Mediator*, novi fœderis inter Deum & homines: quod fœdus ut impetraret feriendum, dedit seipsum justitiæ Patris postulanti pretium Redemptionis, pro Redemptis, ἀντίλυτρον, seu, pretium compensatorium, 1. *Tim.* 2. 5, 6. *Unus est Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui sese ipse dedit pro omnis generis hominibus*, seu, pro omnibus, scilicet, pro quibus intercessit. 2. Dicitur, *Job.* 19. 24. GOEL, *Redemptor* propriissima significatione, quippe qui ante incarnationem suam, spoponderat se carnem assumpturum, sanguinemque suum pro consanguineis, sive electis, Deo Patri persoluturum: id quod in temporis plenitudine factum est. 3. Vocatur ἔγγυος, *sponsor* fœderis inter Deum & homines contrahendi: quæ sponsio, pro hominibus apud Patrem, non potest concipi, nisi per modum pacti; Sponsor enim est fidejussor, qui transfert in seipsum debitum alienum, per voluntariam pactionem, & spontaneam substitutionem sui pro debitore, obligans se satisfacturum pro debitore. 4. Vocatur Christus καταλλαγή, seu, Reconciliatio, per modum permutationis facta: quia Deus a Christo satisfactionem accipiens pro Redemptis, credentes participes facit Reconciliationis, aliorumque beneficiorum per Christum impetratorum. Et hic consensus partium, vendentis nempe & ementis, pactum necessario præsupponit, in quo Deus vendidit nos Christo, permutatione facta Christi pro nobis, & substitutione illius ad satisfaciendum justitiæ pro nobis. 5. Vocatur Christus ἱλασμὸς *propitiatio*, 1. *Joh.* 2. 2. & ἱλαστήριον, *placamentum*, *Rom.* 3. 25. Quia in Christi obedientia præstita, & sanguinolenta morte obita pro nobis, Deus propitius factus est: satisfactio autem esse non potuit, nisi pretio prius condicto, promisso & acceptato, adeoque pacto prius transacto, inter Patrem & Filium, de Redemptionis pactitiæ conditionibus.

8. Tertio, probatur esse fœdus Redemptionis, & ab æterno fuisse, ex æterno Dei decreto de ratione Redemptionis in tempore complendæ: Nota enim erant Deo ab initio omnia opera sua, *Act.* 15. 18. Et quæcunque Deus in tempore facit, omnia facit ex æterno consilio voluntatis suæ, *Ephes.* 1. 9. Filius Dei obiit mortem secundum *definitum Dei decretum*, *Luc.* 22. 22. Et quæcunque passus est Christus, ex *determinato consilio* Dei, id est, suo & Patris & Spiritus Sancti consilio, passus est, *Act.* 2. 23. Et Filius nondum incarnatus, exponit decretum de promisso sibi a Patre Regno; de victoriis adversus hostes concedendis; de fælicitate & multitudine subditorum suorum futura, *Psal.* 2. 7. *Narrabo decretum &c.* Posito igitur decreto, de Filio Dei æterno in mundum mittendo, & incarnando, & passuro,

ſuro, & in æternum regnaturo; ponitur etiam conſenſus Filii paciſcentis & unâ decernentis cum Patre & Spiritu Sancto; & ponitur pactum ab æterno fuiſſe, de tota ratione Redemptionis perficiendæ in tempore. Nam idem ille Chriſtus, qui habitavit inter nos, *Joh.* 1. 14. erat etiam apud Patrem ab æterno: & ſicut per eum omnia facta ſunt, quæ facta ſunt, (*Joh.* 1. 1. 2. 3.) Sic ſine eo nihil decretum eſt, quod decretum eſt, *Prov.* 8. 22. ad 32. Quod etiam manifeſtum eſt ex verbis Apoſtoli, 2. *Tim.* 1. 9. *Deus ſervavit nos, & vocavit vocatione ſancta: non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Jeſu, ante tempora ſecularia.* Sicut enim Filio Dei incarnando, ante mundum condi tum, dati ſunt Electi redimendi; & pretium Redemptionis condictum eſt; Sic etiam *gratia* Redemptis in tempore danda, ex pacto conceſſa eſt ab æterno, Chriſto ipſorum Advocato, *Epheſ.* 3. 4. 5. *Electi ſumus in Chriſto, ante mundum conditum, ad ſanctitatem & ſalutem*, & ad omnes ſpirituales benedictiones; & prædeſtinati ſumus ad adoptionem Filiorum per Jeſum Chriſtum. Et, 1. *Pet.* 1. 18. 19. 20. dicimur Redempti, non auro vel argento, ſed pretioſo ſanguine Chriſti, qui *prædeſtinatus* eſt ante jacta mundi fundamenta. Ex quibus manifeſtum eſt, pactum tranſactum eſſe inter Patrem & Filium, de Filii incarnatione, & crucifixione, reſurrectione, cæteriſque omnibus ad ſalutem hominum pertinentibus.

9. Quarto, probatur eſſe fœdus Redemptionis, per typicum ſacerdotium leviticum, a Deo inſtitutum; per Altare & ſacrificia, reliquaſque Ceremonias leviticas, quæ a Deo præſcribebantur. Hæc enim ſicuti erant teſtimonia, prædicationes, declarationes, & indicia fœderis jam olim initi, inter Deum Patrem & Filium Redemptorem, de ratione juſtificandi & ſalvandi credentes in *Meſſiam*, per ſacrificium expiatorium, in plenitudine temporis offerendum pro Redemptis; Sic etiam erant præfigurationes, prædictiones, Prophetiæ, & pignora perſolvendi pretii pacti. Et illud quidem pretium pactum, propter Patris & Filii paciſcentium perfectiones, quaſi jam perſolutum habebatur ab initio mundi; & ſtipulata bona, nempe, gratia & gloria, efficaciter dabantur fidelibus ante Chriſti adventum, ſicut teſtatur Pſaltes, *Pſal* 84. 11. *Deus eſt ſol & clipeus, dabit ille gratiam & gloriam; nec cohibebit bonum ab ambulantibus in integritate.* Et Pſal, 73. 24. *Deduces me conſilio tuo, & poſtmodum recipies me in gloriam.* Et propterea Chriſtus, *Apoc.* 13. 8. dicitur *agnus mactatus ab initio mundi*: quia promiſſum pretium Redemptionis non minus valebat, ad juſtitiam & vitam æternam dandam, credentibus in *Meſſiam* venturum, quam pretium perſolutum valet, ad juſtitiam & vitam dandam credentibus in Chriſtum incar-

natum. Atque hæc donatio beneficiorum ſalutiferorum, Remiſſionis, ſcilicet, peccatorum, & ſuſtentationis ad vitam æternam, per ſigilla fœderis, inter Deum & populum ſuum obſignabatur, ut, conſiderantibus ſignificationem & ſcopum præſcriptarum a Deo oblationum, & ablutionum, & ſacramentorum fœderi additorum, Circumciſionis, ſcilicet, & Agni Paſchalis, manifeſtum eſt.

10. Quinto, probatur eſſe fœdus Redemptionis, initum inter Patrem & Filium Mediatorem incarnandum: quia Chriſtus jam incarnatus rata habuit omnia, quæ a Deo Patre, & a ſe, per Spiritum Sanctum in Veteri Teſtamento, de Electis ſalvandis, & pretio Redemptionis perſolvendo; vel de conditionibus hinc inde præſtandis, dicta ſunt: Et quaſi de novo repetivit & renovavit fœdus cum Patre ſuo, quod erat prius initum; Nam *Luc.* 2. 49. alloquens *Joſephum* & matrem ſuam, cum annum ageret ætatis ſuæ duodecimum, dixit *ad eos, quid eſt quod quærebatis me? an neſciebatis in negotiis Patris mei oportere me eſſe?* Et *Matth.* 3. 13. ſiſtit ſe vadem & ſponſorem, coram Patre pro peccatoribus baptizandum: & impleturum ſe omnem juſtitiam profitetur, verſ. 15. Admiſit Pater ſponſorem, & ſponſionem ab ipſo factam: & verſ. 17. *Ecce vox a cœlis dicens, hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo acquieſco.* Et *Joh.* 5. 39. rata habet omnia quæ in Veteri Teſtamento teſtata ſunt de ipſo, *Scrutamini Scripturas, illæ ſunt quæ teſtantur de me*: & verſ. 36. profitetur ſe omnia facere ex conſenſu Patris, & veniſſe in mundum, ut perficeret ea ad quæ facienda vel patienda miſſus erat; opera, inquit, *quæ dedit mihi Pater ut ea perficerem, ipſa opera quæ ego facio, teſtantur de me quod Pater miſerit me.* Specialius etiam inter Patrem & ſe conventum eſſe oſtendit, de Incarnatione ſua, & officio Mediatoris peragendo, & de vita æterna danda credentibus in ſe: dicit enim ſe miſſum eſſe a Patre, verſ. 37. & ſe dare vitam, ex conſenſu Patris, quibuſcunque vult, verſ. 21. & habere a Patre authoritatem judicium exercendi, quatenus Filius hominis eſt, verſ. 27. Et conventum eſſe inter ſe & Patrem de tota ſua doctrina, *Joh.* 8. 26. *Ego quæ audivi ab eo qui miſit me, hæc loquor mundo.* Condictum eſſe docet pretium Redemptionis, & de reſurrectione ſua a mortuis; & quod Patri ſat ſfecerit plene mors ſua quam ſpoponderat, teſtatur, *Joh.* 10. 17 *Propterea Pater me diligit: quia ego depono animam meam, ut eam rurſus aſſumam*: Et verſ. 18. *hoc mandatum accepi a Patre meo.* Et *Luc.* 24. 25. ſummam fœderis cum Patre ſuo initi brevibus proponit, reprehendens diſcipulos qui ibant in vicum, cui nomen erat *Emmaus*; *O amentes, & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ: Nonne hæc oportuit pati Chriſtum*

&

& ita introire in gloriam suam? Brevissime vero rem totam uno verbo comprehendit, quoties Patrem vocat *Deum suum*, propter fœdus, scilicet, inter Patrem, & se Filium jam incarnatum.

11. Sexto, probatur esse fœdus Redemptionis initum inter Patrem & Filium, ex articulis, seu Capitibus fœderis, de quibus conventum est inter Partes paciscentes: Articuli autem fœderis tot sunt, quot sunt stipulationes Patris, quot Christi sponsiones, quot de eo prædictiones, quot ipsi ejusque Ecclesiæ factæ promissiones. Ex iis vero, nos quatuor tantum attingemus, quibus maxime confirmari potest fides Regenitorum; & refutari error eorum, qui fœdus Redemptionis respectu Electorum evacuant: quasi Christus obedientia sua, usque ad mortem crucis, possibilitatem tantum salutis emisset; eamque pariter omnibus & singulis *Adami* posteris communem impetrasset, & certitudinem salutis obtinendæ nemini impetrasset; sed a vario & mutabili hominum arbitrio suspendisset, ita ut nulli homini certitudo esse potuerit salutis suæ, magis quam perditionis suæ. Horum articulorum fœderis, primus erit, de *personis Redimendis*. Secundus, de *Redemptionis pretio* persolvendo, a Redemptore Christo, ad opus Redemptionis peragendum idoneo facto. Tertius, de donis & bonis in Redemptos conferendis. Quartus, de mediis modisque, quibus dona & bona impetrata, prudenter, & ordine quæque suo, efficaciter erant & sunt applicanda. Quibus articulis, ordinem damus non naturæ, sed doctrinæ facilioris tantum: Nam fœdus Redemptionis inter Patrem & Filium initum, in se rationem habet decreti æterni, comprehendentis omnia ad Redemptionis executionem, pertinentia: in quo decreto decernendo, non est prius vel posterius, sed simultas (ut ita dicam) omnium articulorum: quorum executio in tempore, ordine optimo futura erat, & est.

12. Quod ad primum articulum attinet, de *personis Redimendis*: Redempti variis nominibus insigniuntur. Nunc enim *prædestinati* vocantur, nunc *electi*, nunc *præsciti* à Deo, nunc à Patre *dati* Christo. Sed personæ sunt eædem, quocunque demum nomine vocentur, secundum illud Apostoli, *Rom.* 8.29,30. *Quos præscivit, etiam prædestinavit, conformandos Imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres; quos vero, prædestinavit, eos & vocavit; & quos vocavit, eos etiam justificavit; quos autem justificavit, etiam eos glorificavit:* Numerus hîc idem, nomina eadem. Dicuntur autem prædestinati, quatenus Deus statuit eos ad finem certum, nempe, vitam æternam, per certa media efficaciter perducere, ad gloriam suæ gratiæ. Nominantur *Electi*, quatenus Deus, eos ab aliis hominibus, merito suo pariter perditis, secrevit & designavit in voluntatis suæ

pro

proposito, ut participes fierent salutis æternæ. Vocantur *præsciti*, & scripti in libro vitæ, quatenus Deus complexus est eos dilectione sua speciali, non minus distinctè & immutabiliter, quam si in Libro, seu in Catalogo descripta ipsorum nomina habuisset. Denique appellantur *dati Christo* à Patre, quatenus eorum Redemptio, & ad salutem perductio, Christo commissa est: Sed quocunque nomine vocentur, personæ redemptæ, sunt eædem.

13. Quod autem electi & dati Christo, *Redempti* dicantur, præsupponit eos consideratos à Deo fuisse, ut jam culpa sua lapsos, in peccato & in morte merito suo jacentes miseros, inimicos Dei, & impotentes ad se liberandum. Ista enim, in *Redemptionis* propriè dicta notione, præsupponere & includere consentaneum est. Et hoc etiam evincit Dei misericordia, gratia seu gratuita benevolentia, quæ in Scriptura ponitur pro sola causa impulsiva Redemptionis, *Ephes.*1.7,9. *In quo habemus Redemptionem per sanguinem ejus, Remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ suæ, secundum suam gratuitam benevolentiam quam præstituerat in se.*

14. Horum Redemptorum innumerabilem esse multitudinem, & Universalitatem quandam, cum Scriptura affirmamus, eamque per omnia tempora, Nationes, & conditiones hominum, tam latè extensam agnoscimus, ut hæc multitudo pro cujus Redemptione, Christi sanguis fundendus erat, & jam fusus est, *Matth.*26.29. merito *mundus* quidam electus dicatur, *Joh.* 3. 16, evocandus ex mundo illo reprobo, pro quo Christus nolebat apud Patrem intercedere. *Joh.* 17.9. Hujus rei veritatem agnoscunt Redempti, alloquentes Redemptorem Christum, *Apoc.* 5.9. *Et cecinerunt canticum novum, dicentes, dignus es qui accipias librum illum, & aperias ejus sigilla: quoniam jugulatus es, & emisti nos Deo sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & Natione.* Hi sunt, *omnes*, quos Deus vult servare, & quos Deus servat, 1.*Tim.*2.4, Hi sunt *omnes*, de quibus loquitur Apostolus, 2.*Pet.*3.9 *Non tardat Dominus promissum, (ut nonnulli tarditatem ducunt) sed patiens est erga nos,* (electos scilicet) *nolens ullos perire,* (nempe, ex nobis electis, quorum aliqui nondum erant conversi; alii nondum nati erant, qui per adventum Domini, ante tempus amputari potuissent, à salute & corpore electorum) *sed omnes ad resipiscentiam tendere.*

15. Verum nullibi dicitur in Scripturis, omnes & singulos esse Redemptos, vel electos, vel Christo datos, vel prædestinatos ad vitam; Nullibi dicitur Christum spopondisse pro omnibus & singulis sine exceptione: Sed contra, certum ex Scripturis est, Christum omnibus pro quibus spopondit, meritum esse salutem, eamque illis impetravisse; illorum peccata in Christum conjecta fuisse, in ipso condemnata & expiata esse; pro illis & loco ipso-

rum

rum, Christum se obtulisse,& pro illis orasse;eosdemque justificari & salvari per ipsum: Hæc enim paris sunt efficaciæ, & ejusdem latitudinis. Stat enim Apostoli sententia, 2. *Cor.* 5. 15. *pro quibus unus Christus mortuus est, omnes illi mortui sunt.* Et propterea Legi pro illis satisfactum est; cœlum & omnia quæ ad salutem necessaria sunt, illis impetrata sunt,& infallibiliter, imo invincibiliter partim data partim danda sunt. Christus non omnes & singulos,sed certos aliquos sibi à Patre datos, sanctificavit, consecravit, & per unicam sui oblationem in perpetuum consummavit,*Heb.*10.14. Pro solis ovibus suis prædestinatis posuit animam, *Joh.*10.15, 16, 26. Non omnes & singulos, sed Ecclesiam suam ex mundo evocatam, & ab eo segregatam, sanguine suo emit, *Act.*20.28. Non omnes & singulos, sed populum suum tantum, à peccatis servavit, *Matth.* 1.21. Nempe,populum illum sibi acquisivit solum, quem purificare statuit, & accendere studio bonorum operum,*Tit.*2.14. Quos Christus redemit, eos summè dilexit,& vita sua chariores habuit: Multi autem comperientur, quibus Christus dicet,*nunquam novi vos*, *Matth.*7.23. Non licet,nec unquam licebit omnibus & singulis sine exceptione gloriari tandem aliquando adversus omnem condemnationem,sicut licet & licebit omnibus, pro quibus Christus mortuus est, *Rom.*8. 34,35. Christus, mundum reliquum præter datos sibi à Patre, excludit ab intercessione sua,*Joh.*17.9. Non ergo omnes & singulos sanguine suo emit. Imo vero tantum abest,ut Christus pepigerit se moriturum pro omnibus & singulis salvandis, ut ne externa quidem media ad salutem necessaria, omnibus Nationibus concedere decreverit,*Psal.* 147.19. *Annunciavit verbum suum Jacobo, statuta sua & judicia sua Israeli: Non fecit taliter omni Nationi.* Et hoc etiam nomine,Christus glorificat Patrem,eique gratulatur sapiens, sanctumque ipsius consilium ,*Matth.*11.25. *Celebro*, inquit, *te Pater, Domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus: Etiam pater, quia ita tibi placuit.*

16. Quod ad secundum articulum attinet: de Redemptionis pretio, & Redemptoris aptatione ad Redemptionis opus peragendum. Noluit Deus argentum vel aurum, vel ullum aliud corruptibile, 1.*Pet.* 1.18. Respuit Deus quicquid à mero homine præstari potuit: chara enim est Redemptio hominis, & ut fiat per merum hominem, impossibile est, *Psal.*49.8. Sed voluit filium suum, hominem fieri, jugum Legis subire, & ab eo omnem suam voluntatem præstari, ut is solus redimeret eos qui erant sub Lege; & voluit eum obedientem esse sibi usque ad mortem crucis, ut per illius unius obedientiam, justi constituerentur multi. *Heb.* 10.5,6,7. Apostolus,expli-

cans Psalmi quadragesimi versum septimum & octavum, hoc confirmat, *Quapropter ingrediens in mundum, dicit, sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata & hostiam pro peccato non approbasti. Tunc dixi, Ecce adsum, in capite libri scriptum est de me.* Et vers. 10. *Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.*

17. Christi autem obedientiam, intelligimus non activam tantum, nec tantum passivam; (haec enim ab illa, notione magis quam reipsa differt) Sed obedientiam plenam, in assumenda natura humana, & in assumpta, praestitam, à conceptione in utero Virginis, usque ad mortem crucis. Quod autem ad passionem, in fine vitae suae, attinet, ea complementum quidem est obedientiae, non tota obedientia, quam Pater postulavit ab eo: Oportuit enim Christum non aliquam partem justitiae praestare, sed *omnem justitiam implere, Matth.*3.15. Quia enim Lex à nobis neglecta erat & violata, voluit Christus non tantum vitare omnia quae Lex prohibebat, & omnia facere quae Lex jubebat; Sed etiam transgressiones & culpas nostras praestare; patiendo in corpore pariter & anima, quaecunque Lex vel justitia Dei à fidejussore nostro poterat exigere.

18. Quod somniârunt aliqui, guttam unam sanguinis Filii Dei, etiam plurimis mundis redimendis sufficientem esse, Scripturarum authoritate destituitur, & commentum futile est: Nam cum omnia passus est Christus quae mortem praecedebant, oportuit eum mortem etiam crucis pati, *Luc.*24 46 Non autem oportuit eum plus pati, quam quod justitiae satisfaciendae sufficiens erat, Sed oportuit eum agere & pati ea quae Patri pepigerat. Hoc enim mandatum accepit à Patre, ut *vitam poneret pro ovibus, Joh.*10.18. Censuit enim Deus non aliter odium suum adversus peccatum, vel φιλανθρωπίαν suam in redimendis peccatoribus, satis manifestari potuisse, quam extremo supplicio Filii sui, qui pro hominibus se satisfacturum spoponderat. Nec decebat minoris redimi tot damnatorum capitum millia, nec minoris vendi coelum & coelestia omnia, nec aliter vindicari violatam Dei Majestatem conveniebat ex justitia, quam pretioso sanguine, & sacrificio mortis, agni illius immaculati.

19. Nec satisfaciebat justitiae divinae, mors Christi corporea. 1. Quia sicut Deus poena mortis & corporis & animae, ut mulctâ peccati Legem sancivit, & sicut utrique morti facti fuerunt obnoxii peccatores omnes, sic ab utraque liberandi erant Redempti, idque degustata morte in utroque genere, quantum satis erat, à Redemptore. 2. Pervaserat peccatum totum hominem, principemque sedem in anima fixerat, unde virus suum in corpus ut

instrumentum suum spargeret, maledictioque sequuta peccatum, nullam partem corporis, nullam facultatem animæ intactam reliquerat: quare postulavit justitia, ut Redemptor in Redemptorum locum veniens, execrationis vim,in corpore pariter & anima, sentiret: Ideoque etiam de Christianima pœnas exegit justitia, nec contenta est iis quæ Christus in corpore passus est. 3. Quamvis autem animæ mors, non in omnibus morti corporeæ respondeat, neque requirat vitæ naturalis (quæ per naturam animæ insita est) vel substantiæ spiritualis dissolutionem: habent tamen animæ spiritusque mortem suam, quæ in privatione communionis cum Deo, vel in privatione graduum communionis consistit. 4. Sicut propter Creationis decretum, neque extingui, neque in nihilum redigi potuit Christi anima; Sic propter decretum assumendi naturam humanam in unionem personalem cum Filio Dei, nec separari potuit ipsius anima à Deitate personaliter unita, nec sanctitate connaturali privari potuit, ne vel solveretur unio personalis, vel Agnus ille cessaret esse immaculatus; Potuit tamen, quod ad vires animæ attinet, exinaniri; quod ad visionis claritatem: quod ad pacis sedatam possessionem,quod ad gaudii fruitionem attinet, ecclipsin pati potuit lucis, & consolationis à facie Deitatis unitæ oriundæ,in eoque genere mortis spiritualis nonnullos gradus subire.

20. Inter gradus autem mortis animæ numerare necesse est, 1. Miseriarum omnia genera, quibus obnoxia facta est ejus sacrosancta anima propter peccatum nostrum:Ex quibus fuit illa quasi habitualis quædam *tristitia*,quæ toto vitæ tempore in eo conspecta est, *Isa*.53.3. Nam gavisum fuisse spiritu non nisi semel, flevisse sæpius, risisse nunquam audivimus. 2. Accessit subinde dolor & ægritudo Christi, orta partim ex observatione ingratitudinis, malitiæ,duritiei cordis hominum, & consequentium plurimarum miseriarum populi sui, partim ex injuriis contumeliisque quibus de die in diem ipse ab iis afficiebatur: unde incrementum quotidiani mœroris factum est, sicut à pluvia rivulis fieri solet accessio. 3. Tentatus est similiter ac nos in omnibus, absque peccato tamen, *Heb*. 4.15, sed quanta cum animæ sanctissimæ vexatione, conjecturam facere poterimus, ex comparatione sanctitatis Domini cum sanctitate servorum suorum, quibus nihil acerbius & molestius ignitis Diaboli telis, potest cogitari: præsertim,si varietatem tentationum, & atrocitatem peccatorum (ad quæ sanctitatem ipsius audaciter solicitavit impudens & impurus Spiritus, sicut ex *Matth*. 4. patet) spectaverimus, & simul importunitatem & pertinaciam Diaboli,qui nunquam destitit,qua per se, qua per suos,qua per quod suum erat in discipulis, novis tentationibus, eisdemqne novo modo iteratis,quantum potuit, ad extremum vitæ halitum,

Dominum gloriæ impetere, urgere & vexare. 4. Reatus omnium peccatorum, ſcelerum ac flagitiorum, quæ ab omnibus electis perpetrata ſunt, ab initio mundi ad finem uſque, uni Chriſto ſimul & ſemel imputatus eſt: quem reatum in ſe recipiendo quamvis Chriſtus non polluit animam ſuam oneravit tamen eam, ſeipſum ad pœnas luendum electorum omnium, quaſi ſua aliquo modo fuiſſent peccata, aſtringendo. Cum ergo videmus etiam impuriſſimos peccatores, mendaces, fures, & adulteros, non poſſe patienter audire ſe vocari mendaces, fures, &c; nec poſſe ferre dedecus reatus ſui, cujus tenentur maximè manifeſti; quanta cum animæ paſſione, quanta cum ſanctitatis & gloriæ obfuſcatione, in humeros ſuos ſuſtuliſſe putemus Chriſtum, ſterquilinium hoc fœdiſſimum, quo nihil alienius à ſanctitatis Majeſtate cogitari poteſt? 5. Acceſſit perplexa cogitationum involutio, attonita admiratio, & mentis obſtupefactio ex poculi illius (repleti irâ divinâ, ſecundùm menſuram meriti peccatorum noſtrorum, & ad bibendum à Patre porrecti) aſpectu adeo terribili, ut ſenſus rationiſque facultates ad tempus conſternatæ ſint. Quam animæ paſſionem exprimens Evangeliſta, non ſatis habuit dicere ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι, *cæpit expaveſcere*, niſi addidiſſet καὶ ἀδημονεῖν, *& graviſſime angi*, *Mar.* 14.33. 6. Interim iſta conſternatio obſtupefaciens Chriſtum, nullam imperfectionem humanæ ejus naturæ, quoad ſanctitatem, arguit, Sed tantum infirmitatem inculpabilem humanæ naturæ Chriſti in diebus carnis ſuæ: per ſubitam enim & vehementiorem aliquam commotionem ab objecto terribili, ita totus occupari poteſt & ſolet ſine peccato animus humanus, ut velox illa facultatum animi progreſſio in diſcurſu, multum impediatur, actioque rationis completa, ad tempus ſuſpendatur, dum quaſi convolant ad conſultandum inter ſe cogitationes animæ, nec cito ſe expediunt, Sed inſtar Amicorum *Jobi*, ſedent aliquantiſper attonitæ. Similis autem nobis erat Dominus noſter in omnibus, excepto peccato.

21. Nec iſta admiratio percellens Chriſti animum, probat aliquid non prævisum accidiſſe Domino noſtro: quia perſpecta habebat omnia, quæ paſſurus erat; & meditata tenebat omnia mala quibuſcum congreſſurus erat, antequam in arenam deſcendit; Sed tantum diſcrimen illud naturale oſtendit, quod eſt inter præconcepta in animo, & præſentia in ſenſu: Alia enim eſt impreſſionis vis, quæ ſequitur imaginationem ferri candentis ad cutem admovendi, ab ea quæ ſequitur contrectationem ferri calidi, ad corporis tactum admoti: reſpectu cujus diſcriminis, dicitur Chriſtus *didiciſſe obedientiam, ex eis quæ paſſus eſt*, *Heb.* 5.8.

22. Interrumpebatur etiam ad tempus humanæ naturæ quieta & pacata, fœlicitatis illius, quam in unione cum Deitate acceperat, perceptio: adeo ut

in Corona multorum discipulorum, & inspectantium cum Græcorum tum Judæorum, celare pertubationem, non permiserit molestiæ vehementia: Nam, *Joh.* 12. 27. clamavit Dominus noster, *Anima mea perturbata est, & quid dicam?*

23. Sed præter gaudii interruptionem, tristitiæ tanta inundatio, Dominum nostrum undique circumvallans, invasit, & sanctissimam ejus animam tantum non obruit, ut clamare coactus sit, *Marc.* 14. 34. *Anima mea undiquaque tristis est, usque ad mortem.* Quibus verbis insinuabat, ab anima sua, quoad sensum suum, non longe abfuisse mortem; imo jam ad bene multos gradus invaluisse eam in ipsum, doloribusque ejus se quasi irretitum, vinctumque teneri in præsenti, plane affirmabat.

24. Hic miseriarum cumulus, fœlicitatem personalis unionis humanæ naturæ cum divina, obscurabat quidem, fœlicitatisque perceptionem sensibilem ad tempus impediebat, sed non auferebat tamen: Sicut enim corporalis hæreditas cum corpore, sic spiritualis fœlicitas cum anima triplicem nexum habet, nempe, Juris, possessionis, & fruitionis: quorum posterior, impediri & interrumpi potest salvo manente priori. Mansit Christo jus ad fœlicitatem, mansit etiam possessio fœlicitatis in fonte, quia manebat semper, nec dissolvi potuit, unio naturarum; Sed fœlicitatis actualis fruitio (in hominis sensu) & perceptio, interrupta est, quandiu humana anima ab ista contemplatione, quoad præsens exercitium, aversa est, & ad triste spectaculum imminentis iræ conversa est: maxime vero quando, & quandiu, ad sensum præsentis plagæ quasi alligata est: tristitia seu mœrore replebatur, angebatur, & vexabatur.

25. Neque hic subsistebat vindicatrix Dei justitia: perrexit enim porro poculum iræ non ostentare tantum, & porrigere ei bibendum, sed urgere etiam eum, ut biberet: imo vero maledictionis pactæ fœces in Christi, se submittentis & bibentis, quasi apertum os, & sinum intimasque animæ partes conjecit, & iræ à nobis meritæ flammam supra omnem hominum apprehensionem horribilem, in ejus anima accendit, quæ sanctam ejus animam, & corpus totum, ex sympathia afflictum, ita exercuit, ut ex omnibus venis, sudorem sanguineum eliquaverit, elixaverit, & excoxerit, sicut oleum in olla, ex subjecta flamma fervidum jam & ebulliens, injecto insuper candente ferro, inardescit totum & inflammatur.

26. Hinc virium humanarum tanta depastio fuit, & exinanitio; animi tanta prostratio, & deliquium gaudii tantum, tristitiæque pondus tam grave, ut non solum desideratum sit ab eo solatium illud perpusillum, quod ex vigilantia & consortio trium infirmorum discipulorum decerpi potuisset, Sed

opus fuerit etiam Angelo conſolatore, *Luc.* 22. 43.

27. Fruſtra eſt quod Doctorum nonnulli paſſionis hujus cauſam negant eſſe poculi porrecti a Patre bibitionem; & quod affirmant aſpectum tantum, & metum alieni (noſtri ſcilicet) periculi cauſam fuiſſe conſternationis hujus: Non enim a Patre ipſi oblatum eſt poculum, ut aſpiceret ſolum, & terreretur ex apprehenſione alieni periculi, Sed ut ipſe pro alieno peccato expiando, biberet & pateretur. Teſtatur enim Scriptura, primo, ex aſpectu iræ, in caput ejus jamjam effundendæ, ortam eſſe ſanctæ humanæ naturæ deprecationem, ſanctamque averſationem mali illius maximi: Deinde docet, Chriſtum ex divini decreti & pacti pretii conſideratione, deprecationis limitationem ſubjeciſſe, & ad porrecti poculi receptionem, cum animi ſubmiſſione, ſe compoſuiſſe: Denique, ex ſuperinfuſæ & incumbentis iræ ſenſu, animi æſtuationem & ſanguineum ſudorem profluxiſſe, conſtat ex Evangelio, *Matth.* 26. *Luc.* 22.

28. Conſiſtebat autem iræ Paternæ effuſio in Chriſtum cum Paterna Dei dilectione, ſicut innocentia & ſanctitas in Chriſto conſiſtebant cum reatus noſtri in ſe receptione: Poterit enim etiam hominis juſti ira, & capitalis pænæ inflictio in condemnatum, una cum paterna dilectione, erga patientem, ſupplicium & pænas luentem, conſiſtere. Non igitur dubitandum, an in Deo conſiſtere potuerint iſta, in quo affectus, nec inter ſe digladiantur, nec cum ratione dimicant, ſicut in hominibus fieri ſolet: Nam in Deo affectus qui dicuntur, ſunt effectus potius quam affectus, ſemper in eundem ſanctiſſimum finem, utut inter ſe diverſi, concurrentes.

29. Turbati porro ſunt Chriſti affectus, non minus quam turbatæ ſunt cogitationes: nam metus injectus eſt humanæ naturæ, quæ creatura eſt ne abſorberetur ab irato Deo, qui exigebat quantum juſtitia rigida poſtulare a tanta perſona fidejuſſore, aut debuit aut potuit. Metuiſſe enim mortem aperte teſtatur Apoſtolus, & poſt validos clamores, poſt lachrymas, poſt ſupplicationes & deprecationes oblatas, apud eum qui poterat ipſum ſervare a morte, exauditis precibus liberatum eſſe ex metu, *Heb.* 5. 7.

30. Neque hoc quod de metu diximus, mirandum eſt: quia cum Chriſtus carnem aſſumpſit, etiam carnis infirmitates inculpabiles, & affectus naturales humanos aſſumpſit; Naturale autem eſt creaturæ ad aſpectum Dei irati tremere: Commoveri enim ipſos lapides, & montes trepidare, coram Deo, terrorem ſuum oſtentante, legimus: & homini naturale eſt, conſpecto objecto terribili, & malo imminente, nedum incumbente, præſertim vires naturales ſuperante, percelli & expaveſcere: maxime autem ſanctam naturam decet, mortem præſentem, exciſionem, perditionem a malo abſor-

ptionem metuere. Conspecto Deo irato, ad vindictam properante, quid aliud Christi natura humana colligere potuit, quam sensus seu ratio, respiciens causas secundas, dictitabat? Interim nulla hic fidei dubitatio locum habebat: metus enim naturalis ab infirmitate naturæ ortus, longe distat à metu dubitationis quæ à fidei infirmitate oritur: Nam consistere poterit optime metus naturalis cum fidei firmitate; Sicut enim sensitivus appetitus poterit ab haustu poculi medicinali abhorrere, totumque corpus tremefacere, dum ratio interim statutum habet poculum bibere, salutem inde confidenter expectans: Sic naturalis metus cum fidei firmitate stare potest concorditer. Quidni enim fides superet rationis naturalis apprehensionem, quantum ratio superat sensum?

31. Sicut opus erat naturali virium infirmitate, ad patiendum; sic opus erat fidei firmitate, ad sancte ferendum quod patiebatur: nam nisi viribus debilitatus,& exinanitus fuisset Christus, non potuisset humiliari satis, non potuisset pati quantum justitia postulabat: Et nisi firmus in fide & charitate inter patiendum mansisset,neque justitiæ satisfacere, nec innocens & immaculatus Dei agnus, seu hostia expiatoria esse, potuisset.

32. Non imus inficias, tentatum fuisse Christum ad dubitationem a Satana: imo nec absurdum est dicere, ad desperationem fuisse solicitatum: Sed affinem culpæ factum esse, ab ulla tentatione,pernegamus: Nam in omnibus tentatum fuisse sicut nos, absque tamen peccato, testatur Scriptura: Cumque ex Evangelio sciamus a Diabolo ad peccata atrocissima tentatum, nec levissimâ labeculâ tamen notatum, aut pollutum fuisse; quid vereamur concedere, ad dubitationem tentari potuisse aut tentatum fuisse? Nam inter notabiles illas tentationes, hæc ipsa ad dubitationem, primipilaris fuit: Nam ausus est impudens Spiritus etiam Filio Dei ipsique Deo dicere, *Si tu es Filius Dei*?

33. Verum quidem est nos,natura corruptos,non posse ita turbari,agitari & tentari, quin aliqua ratione polluamur: Sed non ita se res habet cum Domino nostro, qui à peccatoribus separatus est. Nam in nobis natura impura,sicut aqua fæculenta & palustris,agitatione contaminatur: in illo vero, natura purissima, ut aqua fontana & illimis,in vitreo vase conturbata, semper mansit limpidissima.

34. Neque negamus luctam, non modo virium naturalium Christi cum onere afflictionis,sed etiam agnoscimus luctam fidei in eo cum tentatione ad dubitationem: non enim lucta semper infirmitatem luctantis arguit: (nam luctatus est Angelus Dei, vel Angelus Deus, cum *Jacobo*) Sed lucta vel arguit luctantis potentiam, vel importunitatem adversarii, qui repulsus & pro

proſtratus, non diſcedit arenâ; ſed reſurgit, inſtat, urget, quandiu viſum eſt parti potentiori oppoſitionem permittere. Verum hoc diſcriminis eſt, quod in lucta afflictionum a Patre inflictarum, cum naturalibus viribus, Chriſtum ſuperari, cedere, ſuccumbere, mori, non fuit peccatum ejus, ſed obedientia potius: in lucta vero fidei, fuiſſet peccatum, vel minimum ceſſiſſe; quod cum ſponſoris perfectione conſiſtere non poteſt. Quare tam certo nobis conſtat, Dominum noſtrum in fide non vacillaſſe aut dubitaſſe, quam certo conſtat eum victoriam reportaſſe & triumphaſſe, & alienum ab omni peccato ſemper fuiſſe.

35. Neque perplexitas cogitationum, ſeu anxietas mentis Chriſti, quicquam diminu t de fidei ipſius vigore & conſtantia: ſiquidem differt ratiocinationis turbatio ab hæſitatione fidei, ſicut mentis perturbatio differt à perturbatione Conſcientiæ. Nam ſicut turbari poteſt mens, cum in meditatione de re aliqua obſcura, ratiocinatio non invenit exitum, Conſcientia manente pura & illæſa, (ut cum ex ſubito vulnere, vel ex nuncio inopinato, rotæ facultatum ad ratiocinandum factarum retardantur & inhibentùr aliquantulum, conſcientia poterit quieta & pura eſſe) Sic poterit cogitationum curſus interrumpi, turbari, implicari, fide prorſus intacta & illibata manente, *Joh.* 12.27. *Nunc anima mea turbata eſt*, inquit Dominus (Ecce perplexitatem mentis ab ingruentis iræ horrore perculſæ!) *& quid dicam?* (Ecce rationis ſilentium & perplexitatis confeſſionem) *Pater, libera me ab hac hora*; (Ecce exemplum ſanctæ naturæ, paternam iram averſantis, & ſecundùm naturæ principia ſanctiſſima vocem clariſſimam edentis!) *ſed propterea veni in hanc horam Pater, glorifica nomen tuum*: Audi victricis & illibatæ fidei vocem triumphantem, glorioſiſſimè editam!

36. Inter gradus mortis animæ infimos, quorum reſpectu in infernum deſcendiſſe dici poteſt Chriſtus, merito numeratur deſertio illa, de qua Chriſtus in cruce exclamans queritur, *Deus mi, Deus mi, cur me derelinquis?* Quod ab eo dictum eſt, non quod tum ſoluta ſit unio naturarum, vel, quod Deus auxilium ſuum ſubduxerit ab humana Chriſti natura; vel dilectionem erga ipſum, vel ullam ſanctitatis partem ab eo abſtulerit: Sed quia Deus conſolationem, & ſenſum gaudii, (ut juſtitiæ ſic plenius ſatisfieret) ad tempus ab eo ſubtraxerit: in qua deſertione, Chriſtus à Patre non reſpiciebatur ſecundum ſtatum perſonæ ſuæ proprium, ſed ſecundùm conditionem judicialem aſſumptam, prout erat ſponſor noſter, & noſtro nomine reus tractabatur, debitamque nobis derelictionem perſolvebat.

37. Ultimus gradus, per quem deſcendiſſe dicitur Chriſtus in infernum,

(quantum

(quantum Scriptura, seu Prophetia, & historia passionum Christi, articulum illum fidei seu phrasin hanc sinit nos interpretari) Est execratio illa, qua iræ Dei plenitudo , & poculi illius horrendæ fæx, tota effusa est in sacrosanctum ejus caput, quando simul & semel, cœlum, terra, & infernus, quasi conspirasse videbantur , ad exigendas de sponsore nostro peccatorum nostrorum pœnas, in execrando illo mortis genere, quod signum seu symbolum fuit maledictionis divinæ superincumbentis, quantum ad consummationem pœnæ, damni, & sensus in corpore & anima attinet.

38. Quare non absque ratione, Doctores nostri orthodoxi, hanc Christi passionem in anima, & detentionem corporis ejus in sepulchro, postremo loco positam, in Symbolo fidei, pinxerunt nomine pœnarum infernalium seu damnatorum: non tantum quia damnandis alioqui nobis illæ pœnæ debebantur, sed etiam quia in genere cruciatus & vexationis, pœna quam sustinuit Christus in corpore & anima, cum damnatorum pœnis conveniebat. Nam cum in punitione rejectitiorum, hæc tria distinguenda sint necessario. 1. Damnatorum dispositio perversa. 2. Duratio seu perpetuitas pœnarum. 3. Ipsa pœna inflicta. Duo priora non sunt de essentia pœnæ, licet in pœnam per accidens convertantur, propter pravitatem & vilitatem patientium, qui justitiæ Dei se submittere neque volunt , neque valent ; nec, si volentes se submitterent, satisfacere possent in tempore finito. Horum neutrum Christo potuit competere, qui sanctissima & perfectissima erat hostia pro peccato: reliqua ergo est pœna corporis & animæ , quæ consistebat in doloribus mortis, & corporis & animæ, quibus tam certum est Christum comprehensum fuisse, quam certo ex Scriptura constat, Dominum nostrum his doloribus detineri non potuisse.

39. Tota hæc passio humanæ naturæ , quamvis non attingebat Christi Deitatem eousque ut Deitas physicè pateretur, afficiebat tamen personam Christi ita, ut Deus pateretur: quia licet subjectum formale & propriū passionum physicarum fuerit sola humana natura; subjectum tamen principale & passionum physicarum & moralium, fuit tota persona, à cujus dignitate & præstantia, omnis generis passionis dignitas, sufficientia & meritum fluebant.

40. Potuit etiam tanta depressio Filii hominis, consistere cum Majestate personæ Filii Dei: distinguenda enim sunt in Christo, ea quæ alteri naturæ propria sunt, ab eis quæ personæ conveniunt, vel secundum alteram naturam tantum, vel secundum utramque. Infirmitas, passio, & mortalitas, propria sunt naturæ humanæ: Gloria potentiæ, gratiæ, misericordiæ, & Majestas illa superexcellens, &c, propria sunt Deitatis; Sed tanto absunt humanæ naturæ passiones, ut quicquam de gloria divinæ naturæ detrahant, ut eam

manifeſtent,& illuſtrent magis: Nam quo humana natura infirmior, depreſſior, abjectior facta eſt, tanto Chriſti θεανθρώπου φιλανθρωπία, miſericordia, potentia, gratia glorioſior apparuit in oculis rectè judicantium.

41. Etiamſi in morte corporea, non conſiſtebat tota expiationis perfecta completio, ſed in paſſionibus animæ ſimul & corporis; ſolet tamen Scriptura ſanguini plerunque aſcribere omnia quæ ad expiationem attinent: 1. Quia ut humanæ naturæ veritas, ſic etiam paſſionum certitudo, & typorum Leviticorum impletio, in ſanguinis effuſione, ad ſenſum apparuit maximè. 2. Quia tam paſsionum animæ quam paſsionum corporis, communis expreſſio erat in ſanguinis fuſione: ſiquidem in horto, cum adhuc intactum eſſet ejus corpus ab hominibus, ex meris animi doloribus, grumi ſanguinis ex toto corpore in humum decidebant.

42. Atque hæc fuſius à nobis dicta ſunt de paſſione Chriſti, ad peccati meritum demonſtrandum; ad Majeſtatis divinæ per peccatum læſæ, ſublimitatem & excellentiam manifeſtandam; Denique, ad juſtitiæ ſeveritatem, & miſericordiæ divinæ amplitudinem oſtendendam. Hic enim quaſi in ſpeculo videre licet, quantum ſit Dei in peccatum odium; quanta illius φιλανθρωπία, in Chriſti miſſione, quanta iræ divinæ, in pereuntes ſine Chriſto, gravitas; quanta Chriſti Redemptoris dignitas; quanta fidelium obligatio, ad Deum celebrandum; quanta gloria divinorum attributorum, in Redemptionis negotio ſplendentium manifeſtetur.

43. Hinc etiam apparet, quam ſuperflua ſint expiatoria illa ſacrificia, & vana exercitia, quæ inconſiderata hominum ſuperſtitio comminiſcitur; & quam indigna ſint iſtiuſmodi omnia, quæ Deo pro ſatisfactione offerantur; & quantum hoc commentum de pretii per Chriſtum perſoluti plenitudine & perfectione detrahat: Denique hinc manifeſtum fit, quam idoneum habeamus Pontificem, qui compatiatur noſtris infirmitatibus & tentationibus, quam ſolida ſit noſtra conſolatio in angoribus Conſcientiæ; quam firmum fidei & ſpei noſtræ fundamentum, pro quibus Dei Filius, tot & tanta mala, ut nos redimeret, deſtinato conſilio, ſuſtinuit. Quæ paſſiones cum divinæ juſtitiæ pro noſtris peccatis pleniſſimè ſatisfecerint, plus quam ſufficiunt ad ſatisfaciendum Conſcientiis infirmorum, qui peccatorum ſuorum gravitatem ita exaggerant, ut valorem ſatisfactionis à Chriſto factæ, non ſatis pro dignitate æſtiment.

44. Quod ad tertium articulum fœderis inter Patrem & Filium attinet, de bonis & donis in Redemptos conferendis: Summatim omnia illa bona comprehenduntur magno illo Dei dono, *Joh.* 4.10. Quod donum, eſt *Chriſtus* cum omnibus ſuis beneficiis, qui electis gratis donatur ad juſtitiam &

vitam

vitam æternam, secundùm illud, *Isa.* 9.6. *Nobis natus est puer, nobis datus est filius, cujus humero sustinetur principatus, cujus nomen vocatur Jehovah, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternus, & Princeps pacis.* Et 2.*Pet.* 1.3, *ejus divina potentia donabit nobis omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam & virtutem.* Beneficia autem quæ per Christum donantur Redemptis, ita derivantur ad ipsos, ut omnia primo constituta sint morituri Christi bona, de quibus Testamentum ipse liberè condere posset,& condidit, eaque omnia hæredibus suis,hoc est,electis à se emptis,legavit, nempe omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent. Et singula illa bona,tempore opportuno, eis efficaciter applicat, & possidenda tribuit. Ex quibus donis nominabimus tantum tria, nempe, 1. Regenerationem,seu,Conversionem. 2. Fidem salvificam. Et 3. Perseverantiam. Circa quæ maximè obscuratur gloria gratiæ Dei, per liberi arbitrii patronos,& Assertores virium humanarum in rebus spiritualibus, gloriantes se posse convertere seipsos sine speciali gratia; & Deo intendenti ipsorum Conversionem, omniaque ad Conversionem facienti, ita se posse resistere,ut frustra sint futuri omnes Dei conatus. Nam de his donis actum transactum est inter Patrem & Filium Redemptorem, non minus quam de personis redimendis, ut considerantibus Scripturam patebit.

45. Quod ad Conversionem Redemptorum & fidem eis dandam attinet: pepigit Pater Filio Redemptorum seu Electorum Conversionem,& fidem in Christum infallibiliter futuram, *Psal.* 110.3. *In die potentiæ tuæ, populus tuus erit voluntarius.* Licet enim corruptio voluntatis nativa resistat Spiritui Sancto,convertenti animalem hominem ad Deum seu Christum: Gratia Dei tamen invincibilis ita tollit actualem resistentiam, ut ex nolente reddatur volens is qui convertitur. Novit enim Deus & voluntatis naturam conservare, & simul etiam voluntatis humanæ obliquitatem, & perversitatem tollere: Novit nobis gratiæ habitus, seu spiritum novum infundere; & habitus salvificos in actum educere, faciendo non tantum ut possimus, sed etiam ut actu velimus,& ut liberè agamus id quod Deo placet, *Philip.* 2. 13. Et *fides non est ex nobis, sed Dei donum est, ne quis glorietur in se, Ephes.* 2.8. Et hoc donum solis datur Electis: & idcirco *fides Electorum* dicitur, *Tit.* 1.1. Et hi soli redduntur verè fideles, qui ordinantur ad salutem: Nam ex omnibus auditoribus Evangelii, illi soli credunt in Christum, *qui ordinati sunt ad vitam æternam, Act.* 13.48. *Nemo venit ad Christum, nisi is quem Pater trahit, Joh.* 6.44. Et omnes qui dati sunt Christo, (scilicet ex pacto Redemptionis servandi) veniunt ad Christum, & ab eo

mittuntur, *Joh.* 6.37. Qui autem non sunt Redempti, non veniunt ad Christum, imo nolunt venire ad Christum, etiamsi ipsis se offerret, nolunt credere in eum, *Joh.* 10.26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis, ut dixi vobis*, (inquit Christus) *oves meæ audiunt vocem meam, & ego novi illas, & illæ me sequuntur.*

46. Quod ad *perseverantiæ* donum attinet, Promisit Pater Filio firmum futurum opus gratiæ in omnibus Redemptis, seu, in semine electo, *Isa.* 59. 21. *Hoc est fœdus meum cum eis*, (ait Jehova alloquens Christum) *Spiritus meus in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui; ait Jehova, ex hoc tempore usque in seculum.* Et Jer. 32. 40. *Pangam cum ipsis fœdus perpetuum, ut non avertam me a prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis, & timorem mei indam in anima ipsorum, ut non recedant a me.* Speciale etiam mandatum datur Christo, de conservandis omnibus ad vitam æternam, qui ad ipsum veniunt, *Joh.* 6 39. *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo die illo.* Et hoc spopondit Christus se fideliter præstiturum, *Joh.* 10. 28. *Ego vitam æternam do ovibus meis: nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea, &c.* Sed ne diutius insistamus in hoc argumento, de quo satis disputatum est ab Orthodoxis, Ad vindicationem veritatis, pacti hujus inter Patrem & Filium Redemptorem, summulam videamus in paucis aliquot locis Scripturæ.

47. Primus locus est, *Isa.* 52. a vers. 13. ad finem usque capitis quinquagesimi tertii. Ubi habemus. 1. Partes paciscentes, Deum Patrem & Christum: Pater enim confœderatum Filium suum in medium producit, ut servum ex pacto, quem scilicet in totius Redemptionis pactæ consummatione, adhibiturus erat; *Ecce servus meus*, inquit Deus Pater, Cap. 52. 13. 2. Uterque certus est de pacti eventu, & opere toto plenissime & gloriosissime complendo; *Ecce servus meus prosperabitur, extolletur, & elevabitur, & altus erit valde*, Cap. 52.13. 3. Ponitur districtum pretium Redemptionis, de quo pactum est inter Partes, scilicet exinanitio Filii ad mortem crucis ignominiosissimam; *Corrupta erat species ejus supra quemlibet*, Cap. 52. 14. *Castigatio nostri ei imponebatur: atterebatur & animam ponebat ut sacrificium pro reatu*, cap. 53.5.10. 4. Confirmatur Filius de suavissimo fructu passionis suæ, de Conversione, scilicet, multarum Nationum, quas sanguine fœderis, & aqua sui Spiritus perspersurus erat; *Persperget gentes multas*, cap. 52. 15. 5. Satis habent Deus & Christus, quod soli Electi Christo dentur, eisque jus adoptionis donetur;

videbit

videbit semen, nempe, Electos sibi datos, cap. 53. 10. 6. Nulla causa meritoria in Redimendis est inventa, propter quam ipsorum pœna ab ipsis in Redemptorem transferretur: siquidem Redempti, Christum pro ipsis pœnas luentem, despecturi erant; *Nos æstimavimus eum plaga affectum, percussum a Deo, & afflictum*, cap. 53. 4. 7. Nullum peccatum, nulla causa meritoria pœnæ, in Redemptore inventa est, propter quam plecteretur; *Nam dolore afficitur a defectionibus nostris: ipse vero non fecit violentiam; nec est dolus in ore ejus*, cap. 53. 5. 9. 8. Pax & Reconcilatio, & sanatio a peccato, ab ira & a miseria, pretio sanguinis ipsius impetrantur; *Castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis.* 9. Neque pertulit Christus ista, ignarus vel nolens, sed ex consensu, ex pacto, & plena sua voluntate, ne liberari quidem cupiens nisi persoluto pretio, & peracto opere; *Affligitur, neque aperit os suum*, cap. 53, 7. 10. Causa Pacti, de pretii postulatione & persolutione, est Dei beneplacitum; *Jehova voluit conterere eum*, vers. 10. 11. De fide danda Redemptis, & eorum justificatione per fidem, & simul de imputatione nostrorum peccatorum Christo, conventum est inter Patrem & Filium; *Cognitione sui justificabit multos, justus meus servus: iniquitates eorum ipse bajulabit.* vers. 11. 12. Denique conventum est, ut pro quibus vitam poneret seu moreretur, pro eisdem etiam apud Patrem intercederet; *Nam ipse peccatum multorum perferens, pro defectoribus intercessit*, vers. 12.

Ergo. 1. Non pepigit Christus cum Patre fœdus, de redimendis omnibus & singulis hominibus. Imo non de Redimendis, Convertendis aut salvandis, singulis vocatis, seu singulis Evangelii auditoribus: quia rejectitii multi, seu reprobi audituri erant Evangelium, quibus fides nec est empta, nec destinata: in quibus potentia Dei ad salutem nunquam erat revelanda; qui licet audituri erant prædicationem Evangelii, credituri tamen nunquam erant. Et hoc ipsum colligit *Johan.* Cap. 12. vers. 37. idque ex vers. 1. cap. 53. *Isaiæ.* Ibi enim testatur Judæorum aliquos, non observasse Christi miracula, nec credidisse: tunc addit rationem, quia *Isaias* prædixerat futurum; *Quis credidit prædicationi nostræ?* imo vero inquit *Johannes*, vers. 39. 40. *Non potuerunt credere, quia Isaias dixit, Excæcavit eorum oculos, & corda induravit, ne oculis perspicerent, &c.* 2. Electio & Redemptio non fuit propter *prævisam fidem*, aut opera Electorum seu Redimendorum; Sed ex *mera gratia*, & contra meritum ipsorum, tota facta est: Nam *Isa.* 53. 6. dicitur, *omnes nos, ut ovis erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Jehova fecit ut incurreret in ipsum pœna omnium nostrum.* 3. De applicatione gratiæ salutiferæ, ad Conversionem

Redemptorum infallibiliter & invincibiliter futuram, ex pacto conventum est; *Ecce prosperabitur servus meus: persperget gentes multas: Nam cognitione sui justificabit multos.* 4. Denique, de perseverantia finali, & salute plena Redimendorum, conventum & statutum fuit; *Curatio facta est nobis tumice ejus. Curatio* autem, est plena liberatio à peccato & miseria, seu à morbis & vulneribus nostris, *Isa.* 53. 5. Et *Isa.* 53. 10. *Delectatio Jehovæ per eum prosperabitur.* Delectationis autem Jehovæ pars una, est nostra Sanctificatio, uti habetur, 1. *Thess.* 4. 3. Pars altera, est salus & glorificatio, *Joh.* 6. 39. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, &c.* Idemque valet ejus intercessio, ex qua Apostolus perfectam salutem concludit, quia sponsionem suam potest præstare, *Heb.* 7. 25. *Unde & servare perfecte potest Christus eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro iis.*

48. Secundus locus, habetur, *Isa.* 59. 20. 21. Ubi, 1. Partes paciscentes statuuntur, *Jehova* & *Redemptor*; *Adveniet Zioni vindex.* 2. Pacti genus indicatur, *fœdus* nempe; *Hoc est fœdus meum.* 3. Personæ redemptæ, *Zion*, *Jaacob*, i. e. Electi, ut interpretatur Apostolus, ad *Rom.* 11. 5. 7. 4. Genus Redemptionis indicatur, *Rom.* 11. 26. Adveniet *vindex*, ὁ ῥυόμενος: is qui non solum pretii solutione & merito, sed etiam potentia & efficacia, actu liberator est. 5. Bona etiam in usum Redemptorum insinuantur, ut Remissio peccatorum, Resipiscentia, Reconciliatio, Conversio efficax; *Conversi erunt in Jaacobo.* 6. Denique, ostenditur quomodo ista perficiantur, nempe, applicatione per verbum & Spiritum: unde sanctificatio, salus, & bonorum ad salutem perpetuatio sequuntur; *Spiritus meus qui est super te, & verbum meum quod est in ore tuo, non recedent ex ore tuo, nec ex ore seminis tui. &c.*

Faciunt ista, 1. Contra universalem Redemptionem: quia Christus (ut ex supra dictis apparet) Redemptor est eorum tantum, quorum est actu liberator, & a quibus avertit iniquitatem; quo beneficio gaudent soli Electi: ideoque soli sunt redempti. 2. Contra Electionem ex prævisis operibus: quia Deus in *Jacobo* nihil invenit præter impietatem, defectiones, & peccata quæ avertat. 3. Contra mere contingentem Conversionem: quia gratia invincibilis promittitur: Verbum enim & Spiritus Dei occupabunt corda Electorum, & quasi habitaculum proprium possidebunt; *non recedent, &c.* 4. Contra apostasiam Sanctorum; quia *Spiritus meus, & verbum meum, nunquam recedent ex ore seminis tui.*

49. Tertius locus habetur, *Joh.* 6. 36. ad 45. Ubi. 1. Proponitur Redemptorum

demptorum & selectorum traditio, in manus Redemptoris à Patre facta: *Quicquid dat mihi Pater, &c.* vers. 37. 2. Ex traditione sequitur fides, & Conversio, traditorum Christo; *Quicquid dat, ad me veniet.* 3. Committuntur Redempti Christo, ut Pastori, ita ut corpora demortuorum etiam conservet, & resuscitet ad gloriam, vers. 39. 4. De mediis quibus fides ingeneretur conventum est: quæ sunt, visio Filii in verbo revelata, Potens tractio, quæ superat omnem resistentiam, seu Conversio efficax, per gratiam irresistibilem: quia omnes tracti, omnes docti erunt à Deo, vers. 45.

Ergo, 1. Non est universalis redemptio omnium & singulorum: quia tantum aliqui à Patre dantur Christo, reliqui non dantur. 2. Electio, gratuita est: quia non veniunt ut donentur, sed donantur Christo ut veniant; imo trahuntur ut veniant. 3. De Conversione & perseverantia ad salutem Redemptorum, tam certo statutum est, quam firma est Christi potentia, constantia, & obedientia Patri præstita: *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut quod dedit mihi, non perdam de eo,* vers. 39.

50. Quartus locus est, *Joh.* 10. 14. ad vers. 30. Ubi. 1. Ante mortem *Christus* erat constitutus in officio Mediatoris: *Ego sum Pastor ille bonus,* vers. 14. 2. In ipsius curam & custodiam, Redempti, Conversi pariter & convertendi committebantur, vers. 14. 16. *Ego agnosco oves meas, & agnoscor ab eis.* Et *alias oves habeo.* 3. Pretium pactum est pro Redemptorum liberatione, vers. 15. *Animam meam depono pro ovibus.* 4. Acquiescit Pater in λύτρῳ, vers. 17. *Propterea diligit me Pater, quia depono animam meam.* 5. Redempti omnes convertuntur: & contra, non Redempti non convertuntur, vers. 27. *oves meæ audiunt vocem meam.* Et vers. 26. *Vos non creditis: quia non estis ex ovibus meis.* 6. Non carebunt Redempti suis inimicis, qui ipsorum saluti se opponent, sed frustra: vers. 28. *Neque rapiet eas quisquam è manu mea.*

Ergo. 1. Non datur universalis redemptio omnium & singulorum: quia ovium electarum tantum est Redemptio, vers. 26. quidam non erant ex ovibus ejus. 2. Non pendet Redemptorum electio ex prævisa fide: Sed contra, fides decernitur Redemptis danda, quia eliguntur & Christo committuntur, vers. 16. *Illas oportet me adducere, & audient vocem meam.* 3. Non suspenditur conversio Redemptorum ab ipsorum voluntate, sed à Christi omnipotentia: Neque ita contingens est respectu causarum, ut posset non fieri; Sed necessaria est propter Redemptionis pactum, & propter Christi officium susceptum de ipsis convertendis, vers. 16. *Illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient.* 4. Denique, etiamsi Redempti sint in se insipientes, infirmi, ad pereundum proni, & hostibus innumeris, ut oves

lupis

lupis, circundati: propter Christi tamen & Dei Patris potentem custodiam & curam in ipsis conservandis, impossibile est ut pereant; impossibile est ut non perseverent, *Joh.*10·28,29. *Ego vitam aternam do eis*,&c. *Nemo poterit eas eripere è manu Patris mei.*

51. Quintus locus habetur *Psal.*40. v..6. cum Commentario Apostoli, *Heb.* 10. 5,6,7. Ubi,1.exponit Dei Spiritus formulam fœderis de quo loquimur, partesque introducit quasi in conspectu & auditu nostro fœdus ferientes: agitur de pretio pro expiatione peccatorum, non absque sanguine remittendorum, *Heb.*10.4. 2. Rejiciuntur omnes humanæ satisfactiones & omne pretium quod ab homine mero afferri potest; *Sacrificium & oblationem noluisti*, *Heb.*10.5. 3. Unica Mediatoris incarnatio, & suiipsius oblatio justitiæ divinæ satisfacere potuit. *Corpus aptasti mihi*, *Heb.* 10.5. 4. Mediator se Vadem & sponsorem sponte offert,& accipit Conditionem: *Tunc dixi ego, Ecce adsum*, nempe, Sponsor & Redemptor, *Heb.* 10.7. 5.Non solum paciscitur Mediator de pretio,sed etiam de personis Redimendis, & Redemptorum sanctificatione ; *per quam voluntatem sanctificati sumus*,*Heb.*10.10. 6. Pactum pretium jam persolutum est, per oblationem Christi in cruce factam, *Heb.*10.10. 7.Soluto pretio operam dat Mediator, ut bona ex pacto empta applicentur per intercessionem suam; *Unica in perpetuum oblata victima pro peccatis,consedit ad dextram Dei*, *Heb.* 10.12. 8. Ad complementum & plenam pacti præstationem nihil superest præter inimicorum salutis nostræ subjugationem: *Quod reliquum est expectans,donec inimici ipsius statuantur scabellum pedum ejus*, *Heb.*10.13.

Ergo. 1. Non est universalis Redemptio omnium & singulorum: *unica enim oblatione sui consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur*, non alios. Non igitur redimebantur olim, qui tandem non sanctificantur, *Heb.* 10.14. 2. Non est Redemptio nec Electio ex prævisa fide , vel operibus prævisis: quia rejicitur omnis causa quæ in mero homine esse potest, ut sola Dei gratia causa appareat esse, propter quam eligantur & redimantur; *Sacrificium & oblationem noluisti; sed ecce, Ego adsum*, *Heb.*10.5.7. 3. Impetratur per Christi mortem Redemptorum Conversio, non merè contingenter, sed necessario futura Conversio, & necessario futura perseverantia, usque ad salutem perfectam; *unica enim oblatione sui consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur*, *Heb.* 10. 14. Quare ut non convertantur Redempti, aut ut non perseverent Conversi, (etiamsi in se agentes liberi & labiles sint Electi) impossibile est,*Heb.*10.12,13,14.

52. Doctrinæ hujus usus est. 1. Ut omnes Evangelii Auditores, agnoscentes naturæ suæ pravitatem & perversitatem, humilientur coram Deo, &

ab eo petant, expectentque gratiam secundùm promissiones futuram. 2. Ut illi, quibus jam datum est in sensu peccatorum & malemeritorum suorum ad Christum confugere, agnoscant Dei potentem manum ipsos trahentem ad Christum; & spem salutis vivificam concipiant, & gloriam gratiæ hujus, sibi datæ, Deo in solidum tribuant. 3. Ut infirmi in fide, qui, experientiâ edocti sunt de liberi arbitrii sui volubilitate & inconstantia, sibi conscii sunt suæ infirmitatis, & de perseverantia sua desperarent prorsus, si sibiipsis relinquerentur, non despondeant animum, sed oculos conjicientes in fidelitatem Dei, qui vocavit eos, & bonum opus gratiæ inchoavit in eis; concipiant solidam consolationem, & spem firmam de Dei auxilio, & operis ab ipso inchoati in se perfectione, ut ita animentur, ex amore & timore Dei, ad pergendum adversus omnia impedimenta in viis Dei, Christo adhærentes, ad salutis plenam possessionem obtinendam: Nam, ad obsignationem fidei nostræ de hoc articulo, Deus oppignoravit fidem suam, teste Apostolo, 1. *Cor.* 1. 8. *Deus etiam conservabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi: fidelis enim est Deus* (inquit) *per quem vocati estis in Communionem Filii sui.* Atque ita patet non suspendi fidelium perseverantiam à mutabili & vario hominis arbitrio; Sed contra, humani arbitrii regimen suscipi à Deo, qui sponsorem se sistit pro Redemptorum, ad Christum adductorum, perseverantia: ut benè sperent, & strenuè militent adversus salutis suæ adversarios.

53. Quod ad quartum fœderis Redemptionis articulum attinet, qui est de modo & mediis, quibus Electi sunt ex mundo evocandi, & convertendi ad Deum, in via ad vitam dirigendi, roborandi ad pergendum, conservandi & confirmandi in veritate, & ab errore lethali (si fortè aliquando ad tempus decipiantur) efficaciter revocandi, & ad possessionem hæreditatis promissæ promovendi, rationem inivit Deus sapientissimam, ut & perficeret decretum suum de Electis, & consilium suum, de eis ab aliis discernendis, ante tempus non aperiret; nec obicem poneret reliquis, inter quos Electi vivunt, & ex quorum societate vocantur ad societatem fœlicitatis ipsis præparatæ. Quem in finem, statuit Deus media externa & interna sufficientia, per quæ communiter & specialiter in omnibus vocatis, secundùm propositum suum operaretur, secundùm voluntatem suam sanctissimam, & de iis pactum conventum est.

De tota Christi doctrina, & de omnibus institutis ad Religionem pertinentibus (quæ Christus Ecclesiæ patefecit, & usurpanda præscripsit,) conventum esse, inter Patrem & Filium, Testatur ipse Christus, *Joh.* 12. 49. *Ego non sum loquutus à meipso, sed Pater qui misit me, Ille mandatum dedit*

mihi, quid dicerem & quid loquerer. Similiter conventum eſt de executione decretorum, & voluntatis divinæ præſtatione: quoniam in omnibus conſentit & cooperatur Filius cum Patre, *Joh.*8.16. *Ego non ſum ſolus, ſed Ego & Pater qui miſit me.* Et verſ.26. *Ea loquor quæ audivi ex eo.* Et verſ.28, 29. *Nihil agit Chriſtus à ſeipſo.* Et *Joh.*6.38. *Ego deſcendi de cœlo, non ut facerem meam voluntatem,* ſcilicet, ſine conſenſu voluntatis mei Patris; *Sed voluntatem ejus qui miſit me.* Denique conſenſus Patris & Filii in omnibus, tantus eſt, ut nihil operetur Filius per Spiritum ſuum, niſi quod etiam Pater operatur, per eundem Spiritum ſuum, *Joh.*15.17. *Pater meus huc uſq; operatur, & ego operor.* Ex quibus perſpicuum eſt, inter Patrem & Filium conventum eſſe de omnibus modis & mediis, quibus Redempti ſeu Electi ad ſalutem erant, vel ſunt perducendi. Atque hæc de fœdere Redemptionis inter Patrem & Filium ab æterno ſtabilito, & de capitibus ſeu articulis præcipuis hujus fœderis, pro inſtituto noſtro, ſufficiant.

CAPUT V.

De fœdere operum in tempore inito, inter Deum, & hominem jam creatum.

DIctum eſt de fœdere Redemptionis, ſequitur aliud fœdus divinum, nempe fœdus Operum, inter DEUM & *Adamum* integrum ejuſque poſteros, in quo Deus eſt tantum altera pars fœderis; & Homo, in naturæ perfectione creatus, eſt pars altera. In quo fœdere, vita in perpetuum producenda homini promittitur à Deo, ſub conditione obedientiæ perfectæ præſtandæ ab eo ex viribus per naturam inſitis, ſicut docet Apoſtolus, *Gal.*3.12. *Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo, vivet in ipſis.* Cui legi addita eſt comminatio mortis ſi tranſgrederetur, cujus ſenſus exponitur ab Apoſtolo, *Gal.*3.10, *Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat.*

2. Sumitur autem Lex aliquando pro materia legis naturæ, cordibus primorum parentum per Creationem inſcriptæ: quo ſenſu uſurpatur ab Apoſtolo, *Rom.*2.15. ubi dicit *gentes oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Aliquando autem lex ſumitur pro formali fœdere operum, *Gal.*3.16. *Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt: Scriptum enim eſt, execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat.* Differt autem lex ut fœdus, à lege naturæ, cordibus primorum parentum per creationem inſcripta: quia. 1. Lex innata ſeu cordi inſcripta,

scripta, natura & tempore præcessit fœdus, de Lege illa præstanda: Lex enim naturæ inscripta cordi, cum homine concreata est; Fœdus vero, de lege illa præstanda, non est initum nisi post hominem jam creatum, & in Paradisum introductum, & ad hortum colendum vocatum, ut patet, *Gen.* 2. 16,17. 2. Deus non obligavit se ex vi legis naturæ, cordi humanæ inscriptæ, ad vitam hominis continuandam: Nam licet homo legem accuratissimè observasset, non tenebatur Deus ante fœdus initum cum homine, vitam ejus contiuuare; Sed per fœdus ictum Deus se obligavit ad perpetuandum hominem in vita, quandiu perseverâret in obedientia, secuudùm illud, *Fac hoc & vives.* 3. Naturale meritum & stipendium peccati fuit mors, etiamsi nullum fuisset fœdus: stipendium enim peccati est mors corporis & animæ peccanti ex justitia infligenda, sive peccans consenserit in pœnam, sive non: Sed per fœdus homo in conditionem de morte infligenda, si peccaret, actu formaliter voluntario, consensit, sicut testatur *Eva* in colloquio cum Serpente, repetens conditionem datam à Deo, & acceptam ab homine, *Gen.* 3,3. 4. Cum aboletur & antiquatur fœdus operum, quoad justificationem vel condemnationem credentium in Christum, per fœdus gratiæ, initum de Reconciliatione & gratia in Christo, non tollitur naturalis vis legis, quatenus est regula morum; nec tollitur naturalis obligatio hominis ad legem observandam: quia impossibile est, ut merus homo eximatur ab autoritate Dei, & subjectione ei per naturam debita; Sed eô ipso quod homo sit creatura rationalis, tenetur semper & necessariò ad legem Dei, de dilectione Dei & proximi, ex tota anima, & totis viribus præstandam: nec tollitur naturale meritum peccati aliter, quam per remissionem debiti, seu pœnæ meritæ, propter Christi meritum. Fœdus ergo operum superadditum est legi, ex sapientissimo Dei consilio: hæc enim fœderis cum homine ineundi ratio, medium est in se maximè idoneum, ad hominis fœlicitatem, & Dei gloriam promovendam.

3. Quod enim ad hominis bonum attinet. 1. Singularis quidam honor in hominem conferebatur, quando ille, Dei fœderatus, factus est: Nam si honor est homini plebeio, cum nobili aut Rege aliquo fœdere amicitiæ jungi, quanto major honor est homini, per fœdus amicitiæ jungi cum Deo. 2. Ante fœdus ictum, nihil promisit Deus homini; Sed per fœdus initum, liberè se astrinxit ad dandum, & jus fecit homini ad petendum ab eo, & expectandum cum certitudine obtinendi ea, quæ sine promissione prius facta, homo non potuisset petere, vel saltem non potuisset petita certo expectare. Ante fœdus factum, nihil vetabat quo minus Deus si voluisset, juberet ut homo in pulverem, & in nihil unde ortus est, reverteretur: Sed post fœdus, vo-

luit Deus, promiſſione ſuâ liberâ, ſe ad vitam hominis perpetuandam obligare, quamdiu homo in obedientia perſeveraret. 3. Per fœdus aperiebatur homini oſtium & aditus ad altiorem fœlicitatis gradum, quam per creationem habebat: Nam quum *Adamo* per naturam data fuerit vita naturalis,& fœlicitas in terra, eaque incertæ durationis, Deus per fœdus initum pactus eſt, ſub conditione obedientiæ perfectæ, ſe daturum vitam & fœlicitatem ſupernaturalem, oppoſitam morti corporali & ſpirituali, quam minatus eſt homini ſi tranſgrederetur mandatum. 4. Habebat *Adam* per fœdus adjumentum quoddam, ad legem in corde ſcriptam cautius obſervandam: ex altera enim parte, admonebatur de periculo peccati, ut ſibi magis caveret à peccato; ex altera vero parte, alliciebatur ad ſerviendum Deo alacrius, & debitam obedientiam ei diligentius præſtandam, quia per fœdus præmium obedientiæ maximum propoſitum & promiſſum erat ei, vita ſcilicet æterna, ut ſic ad conſtantiam in obedientia legis divinæ animaretur.

4. Quod vero attinet ad Dei gloriam, quæ ex fœderatione hominis, oritur,& in ea ſplendet. 1. Dei bonitas & dilectio erga homines exerebat ſe in fœdere ineundo: quia in fœderando, Deus ſe dimittebat, & quaſi humiliabat, ad agendum cum homine, de amicitia mutuò in perpetuum colenda. Et hic, cum Pſalte dicente, Pſal. 8.4. *Quid eſt homo ut memor eſſes ejus, aut filius hominis ut eum viſitares?* licet nobis dicere, quid eſt homo, aut filius hominis, ut cum eo fœdus inires? 2. Per fœderationem hominis, oſtendebat Deus moderationem ſuam: quia ſic Imperium ſuum verè Monarchicum,& ſupremattum ſuum abſolutiſſimum, ſuaviſſimè temperavit per confœderationem cum homine, in qua quærebat, quaſi ex conſenſu regnare. Et quando propter jus ſuum pleniſſimum, potuiſſet mandata duriora, eademque juſtiſſima dediſſe, voluit tamen eâ moderatione uti, ut nihil ab homine exigeret, præter id quod homo non tantum æquiſſimum, ſed etiam leviſſimum jugum judicaret,& in fœderatione apertè agnoſceret, 3. Declarabat Deus ſapientiam ſuam: quod cum hominem rationalem condidiſſet, voluerit per fœdus ab eo elicere liberum & voluntarium ſervitium, naturæ rationali congruentiſſimum, idque modo ſuaviſſimo, ſcilicet, non tantum legem æquiſsimam ferendo, ſed etiam præmium obedientiæ maximum ei, ex pacto, proponendo. 4. Deus, gloriæ ſupremattus ſui, ſimul & ſanctitatis ſuæ, ſanctiſsimè proſpiciebat: quia, quando hominem natura bonum condiderat, licet mutabilem, voluit liberi arbitrii humani mutabilitatem, non tantum præmio obedientiæ propoſito fulcire; Sed etiam additâ comminatione de pœna, ſi tranſgrederetur, hinc atque hinc quaſi ſepto circumvallare, & contra omnem tentationem ad peccandum, quæ fieri potuit per moralem ſuaſio-

nem,

nem (cui soli homo exponebatur in probatione obedientiæ ipsius) non præmonere tantum, Sed etiam præmunire & armare, quo constantior in obedientia redderetur: Nullum enim præmium peccati, à tentatione ulla, proponi poterat, majus quam vita perpetua & beata in consortio Dei; nec ullus terror injici potuit, major quam comminatio mortis corporeæ, & spiritualis. Quod si quis curiosè quærat, Quare Deus non condidit hominem, & naturâ bonum & immutabilem? *Resp.* Esse naturâ bonum, & simul etiam esse naturâ immutabilem, soli Deo convenit, ut proprietas & prærogativa Dei, quam decuit Deum sibi soli, ut fonti bonitatis, propriam reservare, eamque nec homini nec Angelo in creatione, Sed soli humanæ naturæ Christi, Deitati ejus personaliter unitæ, adeoque ei qui verè Deus est, communicare, ut debita distantia inter Deum & creaturam non tantum esset, sed etiam appareret, & conspiceretur. 5. Per fœdus demonstrabat Deus justitiam suam sanctissimam in executione pœnæ, quæ non tantum erat naturale meritum & stipendium peccati, Sed etiam ex pacto & consensu constituta & condicta, si homo legem tam æquam tam facilem, in fœderando præmonitus & præmunitus, violaret. 6. Hæc fœderis ineundi ratio, medium erat sanctissimum & accommodatissimum, ad manifestandam creaturæ perfectissimæ vanitatem in se, & labilitatem, nisi in omnium facultatum & habituum actibus elicitis & imperatis, Deum agnoscat, ei adhæreat, & ab eo in maximis minimisque rebus omnibus constanter dependeat. 7. Medium hoc erat sanctissimum, ad educendam in lucem Dei gratiam & misericordiam in Christo, & ad aperiendum decretum Redemptionis per Christum, ad gloriam Dei in Christo, per quem, & propter quem, omnia facta sunt, *Col.* 1.16.

5. In hoc fœdere operum, nullus est Mediator: Pars enim altera, est Deus; Altera vero, est communis omnium parens, viribus suis naturalibus nixus, repræsentans & complectens omnes à se, ratione naturalis originis, oriundos, ex conditione fœderis, suo & posterorum nomine spondens obedientiam, & stipulans vitam, *Gen.* 2.17. In quo peccante, omnes peccavimus. Necessitas autem Mediatoris in hoc fœdere non apparebat, ut postea in meliori fœdere magis appareret. 1. Quia homo, conditus in sanctitate ad Dei Imaginem, amicus erat Dei, qui nondum peccaverat. 2. Gratissimum erat Deo ejus servitium, quandiu perstitit in obedientia, quia tandiu liberè & sincerè Deo serviebat secundùm ejus mandatum & regulam cordi inscriptam.

6. Etiamsi hoc fœdus, per peccatum, violatum, impotens & irritum redditum sit ad justitiam, seu justificationem ex operibus nostris, & ad vitam obtinendam: manet tamen vinculum hujus fœderis ratum & validum, ad con-

condemnationem eorum qui Deo non ſunt reconciliati. Quapropter omnes irregeniti manent ſub fœdere operum conſtricti, ſicut teſtatnr ipſe Chriſtus, *Joh.*3.18. *Qui non credit in me, jam condemnatur: quia non credidit in nomen Filii Dei unigeniti*: ſeu, quia à fœdere operum, & maledictione legis non eſt liberatus per Filium. Id etiam confitetur Apoſtolus, loquens de ſe, & aliis fidelibus Judæis ante Regenerationem conſideratis, *Epheſ.*2.3. *Fuimus etiam nos filii iræ, ſicut alii.* Quiſquis enim non eſt reconciliatus Deo per Chriſtum, contra ipſum, ſtat ſententia legis: peccata enim contra fœdus, non ſolvunt fœderatum ab obligatione ad obediendum, Sed & obligant etiam ad pœnam fœderis violati luendam. Nec impotentia ad fœdus præſtandum, liberat peccatores ab officiis ex fœdere debitis: quia illam impotentiam per peccatum noſtrum, nos nobis attraximus. Neque perdit Deus jus ſuum ad debitum exigendum à peccato ibus, quia illi non ſunt ſolvendo debito pares: nam etiam inter homines, patrimonii decoctores non ſolvuntur ab ære alieno, quod contraxerunt, etiamſi non ſint ſolvendo. Imo vero non decoctores patrimonii ſui tantum, Sed etiam Decoctorum poſteri, in ære alieno manent, quandiu debitum perſolutum non eſt, vel non eſt remiſſum. Rupto ergo fœdere operum, manet obligatio ad obedientiam in futuro, & ſuperadditur ex comminatione, obligatio ad pœnam pro peccato præterito: neque ulla obedientia meri hominis pœnam redimere poteſt: neque obligatio ad pœnam, ſolvit obligationem ad obedientiam. Quapropter quicunque credit ſe, per opera facienda in futuro, vel per pœnas perferendas, juſtificari poſſe, aſtringit ſe ad impoſſibilia: pœna enim luenda ex fœdere, eſt *maledictio*, ſeu mors corporis & animæ, & utriuſque ſeparatio à Deo, eorumque in reſurrectione unitorum vexatio in æternum: Non enim poteſt creatura mera, rebellionem ſuam adverſus Deum, propriis ſuis paſsionibus, in æternum eluere. Rurſum impoſsibilis eſt obedientia perfecta in futuro: quia nos qui caro ſumus, venditi ſumus ſub peccato, nec poſſumus legi Dei ſatisfacere, vel patiendo pœnam, vel faciendo ea quæ illa præſcribit: propterea, lex impotens dicitur (propter carnem) ut ſecundùm eam quiſquam juſtificetur, *Rom.*8.3.

7. Etiamſi differat Lex per naturam cordi inſcripta, à fœdere de lege illa præſtanda (ſicut ſupra oſtenſum eſt) poteſt tamen fœdus operum dici fœdus naturæ, non minus quam lex cordibus inſcripta, lex naturæ poteſt appellari: Non tantum quia fœdus operum lege naturæ nititur, nullamque obedientiam requirit, niſi eam quam lex naturæ exigere poſſet; Sed etiam quia quando ictum eſt fœdus cum *Adamo*, ictum eſt etiam cum toto genere humano, vi benedictionis naturæ per naturalem generationem ab eo, oriundo, tranſiitque

eius

ejus obligatio in omnes posteros, communi lege Naturæ, ab *Adamo*, ut stirpe seu radice, propagandos. Et. 1. quod fœdus operum, naturæ sit fœdus, ostendit vis Conscientiæ excitatæ à securitate sua nativa, quæ semper judicat peccantem secundùm fœdus operum, & iram Dei denunciat adversus peccatorem: *Jus enim Dei agnoscit*, nempe, *eos qui talia faciunt, dignos esse morte, Rom.* 1. 32. 2. Idem ostendit Conscientiæ naturalis conatus, ad absolvendum hominem tanquam justum satis, si opera aliqua præscripta præstiterit, & non sit inter homines pessimos numerandus: ut videmus in Pharisæo, qui in precatione sua ad Deum, gratulabatur sibi, quod non fuerit vitiosissimus, & quod Ceremoniarum aliquot fuerit observantissimus, *Luc.* 18. 11. *O Deus* (inquit) *gratias ago tibi, quod non sim ut reliqui homines, rapaces, injusti, mœchi, vel etiam ut iste Publicanus. Jejuno bis hebdomade, decimo quæcunque possideo.* 3. Hoc etiam testatur inclinatio cordis hominum ad expectandum mercedem operum suorum, & ad fingendum aliquod meritum omnium operum suorum, quæ speciem pietatis aut justitiæ habent aut habere æstimantur: cujus exemplum videmus in *Micah*, Judic. 17. 13. *Tunc dixit Micah, Nunc scio quod Deus sit mihi benefacturus, quandoquidem habeam Levitam Sacerdotem mihi.* Et quam miserè hic hallucinetur hominum Conscientia, dum merita sua deperiunt, videre licet in *Leah, Gen.* 30. 18. *Dixit Leah, reddidit Deus mihi mercedem meam, quia dedi ancillam meam meo viro.* 4. Idem demonstrat naturalis ignorantia justitiæ quæ est per fidem, & affectatio justitiæ ex operibus, quam taxat Apostolus, *Rom.* 9, 31. *Israelitæ consectando legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenerunt. Quare? quia non ex fide, sed velut ex operibus quærebant justitiam.* Et cap. 10. 3. *Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam,* (nempe, justitiam ex operibus, secundùm tenorem fœderis operum) *studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.* 5. Hujus etiam naturalis inclinationis ad quærendum justitiam & vitam, non ex fide in Christum, sed ex operibus, secundùm tenorem fœderis operum, indicium datur in doctrina Pontificiorum, aliorumque Pseudoevangelicorum, qui imputationem justitiæ Christi rident, & justificationem ex fide in Christum, transformant in justificationem ex uno opere, posito (ut ipsi putant) vice omnium, quasi credendi actus vel opus, esset hominum justitia, non vero ipse Christus fide apprehensus, qui nobis factus est à Deo sapientia, & justitia, 1. *Cor.* 1. 30. 6. Denique hoc evictum datur ex morbo etiam Regenitorum, qui, licet probè instituti fuerint de justitia per fidem solum, & de impossibilitate justitiæ ex operibus, respectant tamen subinde ad fœdus operum, cum desiderio quodam naturali hujus fœderis, ad sui justificationem retinendi:

nendi: Id quod acriter reprehendit Apoſtolus in Galatis, *Gal.*4.21. *Dicite mihi vos, qui ſub lege vultis eſſe: Nonne legem auditis?* Et verſ.9. *Nunc cum cognoſcitis Deum, imo potius edocti eſtis à Deo, quomodo convertimini retrorſum ad impotentia & egena elementa quibus regreſſi ad ſuperiora ſervire cupitis.*

8. Fœdus operum, aliud eſt genuinum, verum, & divinæ inſtitutionis, quod Deus fecit cum omnibus hominibus in *Adamo*, de perfecta juſtitia ex viribus naturalibus præſtanda; Aliud vero ſpurium, commentitium, & humanæ inventionis, nempe illud, quod homo in peccatis jacens, impotens ad faciendum quod Lex imperat; vel ad eluctandum ex maledictione ſub qua jacet, ex ſuo cerebro comminiſcitur, Deoque obtrudit ſub conditione alia, quam obedientia perfecta, ut ex operibus juſtificetur. Tale fuit fœdus, quod carnales Iſraelitæ pepigerunt cum Deo in deſerto, & quod poſteri ipſorum ſequuti ſunt, convertentes fœdus gratiæ, ad quod Deus eos vocabat, in fœdus operum ſpurium; & gratiam oblatam in Chriſto, Ceremoniis Leviticis velato, ſibiipſis vertentes in miniſterium literæ & mortis: Non enim obſervabant finem Legis eſſe Chriſtum, ad juſtitiam omni credenti in eum; Sed putabant moralem & Ceremonialem Legem ſibi datas eſſe à Deo, eo fine, ut externa opera legis moralis præſtarent quantum poſſent; & cum peccarent adverſus eam, confugerent ad legem Ceremonialem, ut peccatum ſuum compenſarent & expiarent, per pecudis alicujus oblationem externam, vel corporis ſui veſtiumque à ſordibus purgationem. Tale eſt fœdus eorum qui decurtant præcepta Dei cum Phariſæis, & brevem faciunt legem, ut longam faciant ſuam juſtitiam, negantes peccati originalis reatum, & extenuantes multa ſua peccata, tanquam levia & venialia, uti vocant, & ſatisfactiones pro peccatis expiatorias, à viventibus & mortuis exigentes, ut ita ex operibus, ſcilicet, juſtificentur. Talia etiam ſunt fœdera eorum, qui juſtificationis ſuæ cauſam, in ſuis vel aliorum hominum meritis, vel actibus, quærunt, extra Chriſtum per fidem receptum. Ex quibus, alii atque alii, alias atque alias conditiones excogitârunt, ut ſecundùm eas juſtificentur, & vitam æternam nanciſcantur. Atque hæc fœdera ſpuria vocamus: quia qui ex operibus juſtificari quærunt, ne unum quidem bonum opus faciunt, & tamen ex operibus juſtificari volunt.

9. Si quæratur, Quandoquidem Deus abominatur hæc ſpuria fœdera operum, quibus homines ex aliquot operibus bonis juſtificari quærunt, & novit homines non tantum non poſſe legem præſtare, ſed ne unum quidem opus bonum ante juſtificationem poſſe operari, (ut *Pſal.*14. 1, 2, 3. docemur) Cur exigit legis obedientiam perfectam à peccatoribus? Cur peccati

manci-

mancipia ad verum fœdus operum præstandum, tam sedulò & seriò urget? *Resp.* Licet Deus fœdus operum spurium & commentitium, ab hominibus excogitatum, rejiciat & abominetur; urget tamen sedulò & seriò fœderis operum genuini præstationem ab hominibus, exigitque ab omnibus, qui peccata sua & impotentiam suam ad satisfaciendum legi non agnoscunt, plenam perfectamque obedientiam legis præstandam: Non ut homines somnient se pares esse præstandis officiis, sed ut homines, agnoscentes legis æquitatem & Dei justitiam ex altera parte, suamque fœditatem, & impotentiam ad legi satisfaciendum ex altera parte, desperent de justitia sua ex operibus habenda, & confugiant ad gratiam, quæ offertur in Christo, qui (*Rom.* 10. 4) est *finis legis ad justitiam cuivis credenti*: uti etiam ab Apostolo docemur, *Rom.* 5 20, 21. *Lex introiit, ut redundaret offensa: sed ubi redundavit peccatum, ibi superabundavit gratia. Ut quemadmodum regnaverat peccatum ad mortem, ita etiam gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et 1. *Tim.* 1. *Finis mandati, est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide minimè simulata.*

10. Hic finis fuit promulgatæ legis in monte Sinai, ut duræ cervicis populum, & suis viribus confidentem, frangeret Deus, per exactissimæ legis repetitionem: Cui etiam superaddidit legis Ceremonialis externum jugum, quod nec Patres nec Posteri ferre poterant, ut cognito reatu multiplici, quo inevitabiliter omnes involvuntur ex legis moralis violatione, confugerent onerati, & in seipsis damnati, ad Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, prout in Sacrificiis & Holocaustis repræsentabatur. Hujus rei exemplum videre licet, *Matth.* 19. 16. 20. in colloquio Christi cum adolescente divite, qui opinione justitiæ suæ, & virium suarum turgebat, quasi hactenus legi toti satisfecisset, & porro par, & paratus esset, ad quidvis præstandum, quod ab eo exigi poterat, ut vitam æternam nancisceretur: ad quem humiliandum, Christus nihil aliud ab eo præter legis obedientiam exegit, & negantem se violatæ legis reum fuisse, fœdissimæ Idololatriæ reum peregit, ex eo quod divitias suas pluris æstimaverit & dilexerit, quam cœlum & Dei societatem in vita æterna.

11. Etiamsi Deo displiceat hominum fiducia in operibus suis, non tamen Deo displicent bona opera: verum ita Deo probantur, ut nihil reliqui faciat ad excitandum studium bonorum operum in populo suo, quantum præmiis & pœnis ob oculos propositis fieri potest: Imo vero eousque Deo probatur moralium officiorum externa observatio, & obedientia, qualis qualis, ab irregenitis præstita, ut opera eorum externa (licet in relatione ad justitiam,

vilia & polluta æstimet) beneficiis externis & temporalibus remuneretur. Nam *Ahabi* humiliationem temporariam ita admisit Deus, ut inde arripuerit occasionem differendi supplicium de eo sumendum. Similiter civilem justitiam Ethnicorum, diligentiamque quorumcunque, in quacunque vocatione licita, mercede aliquâ temporali compensare solet. Etiam *Pharisæi*, qui, famæ suæ amplificandæ gratiâ, studium suum non mediocre in orationibus, in compitis & foro effusis, ostentabant, & impensas largiores in speciosis eleemosynis faciebant, ut ab hominibus conspicerentur, Non carebant compensatione in eo genere in quo operabantur. *Habent* (inquit Christus) *mercedem suam*, *Matth.*6.2. Atque hæc Deus facit, ut societatem hominum civilem tueatur & foveat, & ut omnes in Ecclesia sua, ad opera bona ex fide profecta, excitet; & mercedis gratuitæ melioris spe, populum suum ad pietatem & justitiam acuat & incendat.

CAPUT VI.

De Fœdere Gratiæ.

GRatia, aliquando ab orthodoxis scriptoribus, opponitur merito simpliciter sumpto, & hoc sensu, omne bonum quod ex Dei beneplacito decernitur dandum, vel promittitur, vel datur creaturæ etiam innocenti, *Gratia* dicitur: quia impossibile est ut creatura mera mereatur à Deo quicquam: nihil enim habet aut habere potest, quod non accepit, *Rom.* 11.35 *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Aliquando *Gratia* sumitur pro quovis dono vel bono, quod malè merentibus à Deo donatur; quo sensu, dona communia electis & reprobis, *gratiæ* nomine vocantur, *Rom.*1.5. *Ephes.*4.7. Aliquando sumitur *Gratia*, ut opponitur merito operum, seu præmio debito operibus ex pacto, *Rom.* 4. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito.* Quo sensu, quod datur ex operibus, non datur ex Gratia, & quod datur ex Gratia, non datur ex operibus, *Rom.*11.6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus non est opus.* Et hoc sensu sumimus fœdus gratiæ, prout opponitur fœderi operum. Conditio enim fœderis operum, est, *perfecta obedientia legis.* Conditio autem fœderis gratiæ, est, *receptio Christi per fidem*, ad justitiam & vitam, ex gratia in Evangelio oblata, absque operibus, quod sic describi potest. Fœdus Gratiæ, [est contractus de gratia, gratis danda in Christo per Evangelium oblato, ad justitiam & vitam æternam omnibus credentibus;

tibus; ipsorumque liberis, initus inter Deum & peccatores astipulantes, seu conditionem spondentes, ut ad semen promissum, seu ad personas redemptas applicetur benedictio pacta per Christum in fœdere Redemptionis.] Fundamentum enim fœderis gratiæ, est fœdus Redemptionis inter Patrem & Filium Redemptorem, in quo pactum est de Electis,& Christo datis, infantibus & adultis,tempore idoneo convertendis,& Deo reconciliandis.Hoc ut fieret, impetravit Christus, ut illis jam condemnatis ex fœdere operum, prædicaretur Redemptio per ipsius sanguinem ; & ut fœdus novum *gratiæ* seu reconciliationis iniretur, inter Deum & Redemptos : Et propterea dicitur Christus *novi fœderis Mediator*, *Heb.* 12.24.

2. Redemptorum alii sunt adulti, quos Deus, per Evangelii prædicationem vocatos, allicit & efficaciter movet ad societatem Sanctorum, & fœderationem formaliter amplectendam , & communionem secum colendam : Alii vero sunt infantes, qui ante usum rationis moriuntur : his, Deus in parentum suorum fœderatione ita prospicit , ut nolit infantes à fœderis beneficio secludi, quando parentes ipsorum ad se vocat : Sed contra, in communi oblatione gratiæ & Reconciliationis , per Christum facit promissionem parentibus & liberis conjunctim : unâ enim sententiâ, spirituque quasi uno, dicit, *Ego ero Deus tuus & seminis tui.* Id quod Apostolus, *Act.* 2.39. studiosè observat, declarans promissionem Judæis parentibus factam, liberis etiam ipsorum esse factam : & non liberis Judæorum tantum, Sed etiam similiter omnium à Deo vocatorum liberis. Et hanc consolationem tempestivè obtulerunt *Paulus* & *Silas* commentariensi trepidanti & anxio de vera salutis consequendæ ratione, *Act.* 16.31. *Crede in Dominum Iesum, & servaberis tu, & domus tua.* De modo vero quem Deus sequitur,in agendo cum infantum animabus, & in illis operando, quando eos convertit & regenerat,non loquitur Scriptura : Nam pertinet hoc ad Dei secreta, *Deut.* 29 29. Satis nobis esse debet , quod Deùs cum parentibus paciscens , promittit se seminis eorum fore Deum. Secundùm quod pactum, Deùs parvulos interfectos,& Idolis à parentibus fœdifragis immolatos,vocat filios suos & filias suas, *Ezech.* 16.20. Et in secundo præcepto Decalogi, declarat se misericordiam extensurum ad millesimam generationem, à fidelibus parentibus oriundam; ne quis putaret abscindi infantes omnes ab ejus misericordia, per proximorum parentum infidelitatem. Pueros etiam, ex altero parente fœderato prognatos, vocat sanctos, 1.*Cor.* 7. 14. propter consecrationem eorum à parente fœderato factam, & propter jus Dei in eos ex fœdere,ut in filios familiæ suæ. Secundum quod pactum, Christus, fœderatorum

infantes puerulos, pronunciat municipes esse Ecclesiæ, & Regni sui participes; *Talium*, inquit, *est regnum cœlorum, Matth.* 19.13,14. loquens de parvulis in brachiis suis sublatis, propter consecrationem eorum factam Deo. Et propter ipsorum traditionem Christo in disciplinam, unà cum parentibus suis, vocantur *discipuli, Act.* 15.10. Et propterea, in institutione Baptismi, *Matth.* 28.29. omnes discipuli traditi Christo in disciplinam, secundùm fœdus baptizari jubentur, & Pastorum curæ committuntur; ut in doctrina Christi infantes instituantur, quamprimum per ætatem institui poterint. Atque ita infantes Christianorum, non minus participes fiunt sigilli obsignantis fœdus gratiæ de justitia fidei, quam fuerunt infantes Israelitarum participes sigilli obsignantis fœdus gratiæ, de justitia fidei, ante Christi adventum. His igitur præmissis, fœderis ineundi ratio cum adultis, nobis potissimum spectanda est: cum quibus, formaliter, ut loquuntur, & expressè fœdus pangitur.

3. Etiamsi adultorum, cum quibus Deus fœdus gratiæ pangit, alii sint vocati tantum, alii & vocati & electi; & hi præ illis pauci sint, *Matth.* 20. 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: non tamen vult Deus hos ab illis coram mundo separare, vel electorum nomina publicè edere, & propalare; *Novit Deus* (non Ecclesia) *qui sunt sui*, 2.*Tim.* 2.19. Et propterea, communia media electis & reprobis, ad fœderationem faciendam, & continuandam instituit; communia dona vocatis his & illis dat, & communiter operatur in his & illis: specialem vero & efficacem vocationem, specialia dona quæ salutem comitantur, & speciales Spiritus operationes, electis seu redemptis suis solis, reservat.

4. Media communia ad fœderationem faciendam & continuandam, sunt, 1. Externa revelatio voluntatis divinæ, de hominum peccato & miseria, & liberatione, & gratitudine debita, quæ in Scriptura plenè & fideliter describitur. 2. Ministerium Prædicatorum missorum cum authoritate, ad declarandum & exponendum Dei Verbum, per modum informationis. 3. Verbi divini applicatio, ad populi convictionem de peccato, de justitia & judicio, ut sciant omnes se ex fœdere operum condemnari, nullamque rationem esse justitiæ & salutis acquirendæ, nisi per fidem in Iesum Christum. 4. Hortatio communis omnium auditorum, ut agnoscant peccata sua, & confugiant ad Christum Redemptorem, oblatum sibi fœdus gratiæ amplectentes. Huic autem hortationi, ad fœdus gratiæ ineundum, inserviunt sæpius repetitæ invitationes, obtestationes, obsecrationes, promissiones, comminationes, & omnia alia argumenta, quæ ad persuasionem facere poterint. Ante omnia vero mandatum illud Dei, de fœdere ineundo, quod habetur, 1.*Joh.* 3 23. *Hoc*

est ejus mandatum, ut credamus in nomen Filii ejus Iesu Christi, & diligamus alii alios, sicut mandavit nobis. Cui succenturiatur à tergo, terribile illud dictum, ab infidelitate deterrens, 1. *Joh.* 5. 10. 11. *Qui non credit Deo, mendacem eum fecit: quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Est autem hoc testimonium Dei, nempe, *quod vitam aeternam dedit nobis:* & hac *vita* in Filio ejus est.

5. His motivis ad fœdus gratiæ ineundum, non mirum si multi in nassam Evangelii, & sinum visibilis Ecclesiæ, cogantur, & ad fœdus oblatum ineundum, per moralem suasionem moveantur: unde sequitur solennis fœderatio consentientium in conditionem fœderis, fidemq; in Christum profitentium; quos omnes, unà cum liberis suis, Christus in Ecclesiam visibilem militantem transfert, & jus ad privilegia civium Regni communiter omnibus concedit: ut in particularibus cœtibus ædificentur, & disciplinâ Ecclesiasticâ regantur. Cum his externis mediis ad fœderationem facientibus, concurrunt operationes Dei, communes vocatis omnibus, electis pariter & reprobis, & dona utrisque communia dantur: Cujusmodi sunt, Illuminatio, moralis Suasio & persuasio, Fides dogmatica & temporaria, Affectuum moralis mutatio, vitæ externæ aliqua emendatio, & similia.

6. Hujus fœderationis, omnium vocatorum consentientium moraliter in conditionem fœderis, regenitorum pariter & irregenitorum, exemplum habemus, *Exod.* 19. Offertur fœdus Israelitis omnibus; invitantur omnes sine exceptione, ad fœdus ineundum; adhibentur argumenta motiva, ab experientia bonorum antea datorum; adduntur promissiones amplissimæ de bonis spiritualibus, in præsenti & futura vita sub conditione dandis, vers. 4, 5, 6. Accipit populus conditionem fœderis, vers. 7, 8. Præparatur populus ad jussa salvifica accipiendum, reliquo capite. Capite autem 20. & reliquo libro, fœderatorum officia proponuntur, quæ ad agnitionem peccati, & mortis meritæ pertinent, & quæ ad justificationem & sanctificationem per Christum obtinendam, & gratitudinem in tota vita ostendendam faciunt. Idem fœdus, post quadraginta annos, paulo ante obitum *Mosis*, repetitur: in terra *Moabitarum. Deut.* 29. præcipit Deus *Mosi* fœderis renovationem cum toto populo, vers. 1. Convocantur omnes Israelitæ, regeniti pariter & irregeniti, vers. 2. Summa argumentorum ad fœdus ineundum, breviter indigitatur, vers. 3. Declaratur populus fœdere Deo jungendus, esse quoad maximam partem irregenitus, vers. 4. Adduntur argumenta, ad credendum postea in Deum, eique obediendum, usque ad vers. 9. Initur fœdus cum primoribus tribuum, cum Senioribus populi, ejusque Moderatoribus, omnibusque viris Israelitis, cum parvulis, cum fœminis, & cum peregrinis qui erant in medio

castrorum, vers. 10,11. Pangitur fœdus cum adjuratione ad observandum conditiones pacti, vers. 12,13. Extenditur fœdus cum adjuratione ad posteros, 14,15. Neque ulla exceptio fit, aut exclusio consentientium in fœdus, sive irregenitorum Israelitarum, sive advenarum peregrinorum, sed omnes in fœdus admittuntur.

7. Eundem fœderandi rationem sequutus est *Johannes Baptista*, admittens ad Baptismum suum omnes Herosolymitanos & Judæos, & accolas Jordanis, sine exceptione, quotquot confitebantur peccata sua, & gratiam oblatam in Christo, profitebantur se recipere, *Matth.* 3. 5,6. Tantumq; abfuit, ut veræ Regenerationis indubitata signa expectaverit, priusquam in societatem fœderis venientes ad Baptismum suum admisit: ut contra professus sit, ventilabrum, quo palea à tritico, & hypocritæ à verè fidelibus discernuntur & separantur, non esse in sua, vel ullius hominis manu, Sed in manu solius Christi. Ideoque missâ inquisitione de sinceritate cordis *Pharisæorum* & *Saducæorum*, petentium se in fœdus recipi, etiam post significatam illis suam de seipsis suspicionem, vers. 7. baptizavit eos aquâ inter alios, vers. 11. Et, ad examinationem à Christo futuram, de fidei & resipiscentiæ ipsorum sinceritate, eos remittit & relinquit, vers. 12. Eundem rationem colligendi Ecclesiam visibilem secuuti sunt Christi Apostoli, Christo ipso præsente in corpore, & approbante ipsorum factum: faciebant enim illi discipulos plures quam *Johannes*, *Joh.* 4.1. hoc est, in fœdus sacrum, & ad Baptismum, fœderis sigillum, admittebant omnes petentes, nullam strictiorem sequentes rationem, in admissione profitentium fidem, quam *Johannes* sequutus est: atq; ita admiserunt omnes, de quorum interna Regeneratione, minimè ipsis constabat; imo de quibus descendentibus à Christi concione in aquam, nullum præceptum dedit Christus, ne ad Baptismum admitterentur, quos tamen scivit defecturos & discessuros à societate sua, ut patet ex *Joh.* 6. 6. 66. & 70.

8. Hæc autem fœderandi ratio communis Electis & reprobis, Regenitis & irregenitis, (quæ etiam dici potest fœderatio in carne, seu in litera) sapientissimo Dei consilio, in Ecclesiæ visibilis collectione & constitutione, instituta est. Per eam enim Deus. 1. decretum electionis ita exequitur & effectum dat, ut interea nullum ex auditoribus Evangelii impediat à gratia in Christo oblata recipienda; nullum à fœdere amplectendo excludit: Sed contra, vocatis omnibus aperit ostium exterioris atrii domus suæ, ut propius ad ipsum accedere possint: Atque ita reprobationem nullius particulariter manifestat. 2. Hâc ratione etiam Electionem uniuscujusque celat, ut nemo possit eam discernere, priusquam effecta Electionis in fidei obedientia & san-

ctificatione Spiritus apparuerint. 3. Fœderatione hâc communi utitur Deus, ut medio ad fœderationem specialem in Spiritu: quam enim in fœdere requirit fidem, ut conditionem fœderis, eam efficaciter ipse operatur in suis, vel ante, vel una cum externa fœderatione, vel post fœderationem externam, tempore à se proposito, per ordinaria media, quorum usus conceditur omnibus externè fœderatis. Et sicut illuminatio communis, medium est ad illuminationem specialem; & fides dogmatica communis, medium est ad fidem salvificam; vocatio communis, medium ad vocationem efficacem: Sic fœderatio communis in litera, ad fœderationem in Spiritu, medium est accommodatissimum. 4. Fœderatio communis, in qua Deus fidem exigit à solis adultis, non tantum redditur medium, ad gignendam fidem in adultis, qui ad fœderationem procurandam argumenta audiunt; Sed etiam medium fit gratiæ & salutis ad electos infantes, in infantia morientes, deferendæ: & fœderatis parentibus, redditur fundamentum optimæ spei de resurrectione puerorum suorum ad vitam æternam: siquidem in externa seu communi fœderatione, Deus nullam exigit conditionem ab infantibus, sed alloquens parentem adultum, dicit, *Si tu credideris in Christum, Ego ero Deus tuus & seminis tui.* Quam promissionem integram, seu fœdus oblatum, sicut parentes non debent discerpere; Sic non possunt legitimè recipere, nisi promissionem liberis suis factam simul etiam recipiant.

9. Ex his patet, alios atque alios fœderatos, aliter atque aliter esse in fœdere gratiæ: Alii enim sunt in fœdere communiter, externè, & in litera, sed legitimè tamen, propter sponsionem & professionem fidei in Christum: Et hoc modo omnes baptizati adulti sunt in fœdere, quia conditionem fidei in Christum acceperunt, & se, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, consecrârunt; fidemque in Christum Servatorem profitentur. De quibus tamen omnibus verè dici non potest, quod fides ipsorum sit viva: quia in multis reperitur tantum fides mortua, fides dogmatica vel temporaria, quam peperit moralis suasio, seu communis operatio Spiritus, non vero spiritualis regeneratio. Hi licet sponsionem non præstiterint, sed pro fide salvifica spuriam & mortuam fidem supposuerint: fœderati tamen habentur, propter moralem sponsionem veræ fidei, legitimè coram Ecclesia factam. Alii sunt in fœdere gratiæ specialiter, propter conditionem fidei veræ præstitam, nempe, Regeniti, quibus Deus fidem salvificam, per specialem operationem Spiritus Sancti infudit, indidit, & inseruit. Alii denique sunt in fœdere gratiæ absolutè, absque omni conditione ab ipsis requisita, quales sunt infantes electi, morientes in infantia; pro quibus, ut à peccato originali & ira liberentur, Christus posuit vitam suam, promisitq; se fore ipsis in Deum, & quo;

propterea

propterea immediatè vivificat & sanctificat, ut in cœlum mundatos transferat: *Talium enim est regnum cœlorum.*

10. Licet fœdus gratiæ in se unum idemque sit, à prima prædicatione Evangelii in Paradiso usque ad finem mundi, (quia Christus est unus & idem Salvator populi sui, heri, hodie, & in perpetuum; & quia fides Electorum unâ specie fuit, est, & erit) dispensatio tamen externa illius fœderis, alia atque alia est ante Christum in carne manifestatum, & post ejus incarnationem. Nam in Paradiso propositum fuit hoc fœdus, per modum promissionis, de Christo semen mulieris assumpturo, in carne passuro, & opera Diaboli per virtutem suam destructuro, in gratiam populi sui Electi, sub ipso adversus Diabolum militaturi. Et ne quis putaret fœdus gratiæ super hac promissione fundatum, cum omnibus *Adami* posteris initum fuisse, sicut fœdus operum cum omnibus initum est, Deus in promissione Christi venturi, direxit sermonem suum non ad *Adamum* & *Evam*, sed audientibus *Adamo* & *Eva*, ad Diabolum, per modum comminationis: ut primi parentes, promissionem illam per fidem arripientes, & sibi applicantes, justificarentur & salvarentur, sicut alii quilibet fideles ex eis oriundi. Et hanc ipsorum fidem in Christum, Deus aluit & auxit sermonibus suis, & Sacrificiorum, oblationumque typis: admisitque eorum liberos in societatem externam fœderis sine discrimine, uti videmus in *Caino* & *Abele*, quorum ille fuit fœderatus communiter, in carne & litera tantum, utpote fide salvificâ destitutus: hic vero fœderatus est etiam specialiter, in Spiritu, fide viva, justificante & salvifica præditus, ut testatur Apostolus, *Heb.* 11.4.

11. Post diluvium, non cum omnibus hominibus, sed cum Patre credentium *Abrahamo*, ejusque posteris, formaliter & explicitè fœdus fecit, & illud confirmavit, appenso Sacramento Circumcisionis, ut sigillo justificationis per fidem pactæ. In deserto ad montem Sinai, ut necessitatem justitiæ per fidem in Christum ostenderet, legem operum repetivit, & peccata agnoscentibus, Christum liberatorem, sub velo Sacrificiorum, & Typorum Leviticorum involucro, proposuit. Idem etiam est fœdus, ad quod Christus & ejus Ministri, remoto velo Ceremoniarum, apertè invitârunt auditores suos, ut agnoscentes peccata sua, suasque vires & virtutem abnegantes, in Christi Salvatoris ulnas se conjicerent, ad justitiam & vitam æternam per illum obtinendam. Variam quidem fœderis dispensationem hic videmus, sed idem semper fuit fœdus reipsa, aliter atque aliter vestitum; sicut unus & idem est homo aliquis, in adolescentia & matura ætate, aliter atque aliter vestitus.

12. Si fœderati inter se comparentur, respectu variæ dispensationis, fœde-

rati

rati in Spiritu post Christum incarnatum, in meliori sunt conditione, quam erant fideles, ante ejus adventum. Fideles enim ante Christum incarnatum, sub pædagogia legis, duram serviebant servitutem, quoad externum hominem; tunc enim hæres nondum adultus, nihil differebat à servo, *Gal.*4.1. Et quoad hominem internum, obscurius, per velum, videbant mysterium salutis habendæ, per Christum: Sed post Christi adventum, liberalius actum est cum fidelibus; quia in libertate a Ceremoniis Leviticis remoto velo, apertâ facie, gloriam Domini intuentur, tanquam in speculo, & ex gloria in gloriam, in eandem imaginem transformantur, 2.*Cor.*3.18.

13. Quod autem ad fæderatos in litera tantum attinet: post Christi adventum, in deteriori conditione sunt, quam ante ejus incarnationem: tanto enim majori pœnæ obnoxii sunt irregeniti sub Evangelio, quam incircumcisi in corde fuerunt, ante Christi incarnationem; quanto peccatum est gravius, loquentem de cœlo Christum, & gratiam ejus in Evangelio splendentem, neglectui aut despectui habere, quam, ante Christum manifestatum, legem *Mosis* contemnere, *Heb.* 2.3. & 10.20.

14. In admissione adultorum in fædus gratiæ, distinguenda est conditio *fœderis*, à conditione *personæ fœdus initura*, & à conditione *personæ jam fœderatæ*. Conditio *personæ fœdus initura*, tantum disponit hominem ad fœdus ineundum, & hæc est, *peccati confessio*; Nam nisi quis peccatorem se confiteatur, nihil ei cum Christo erit: quia Christus dixit, *Non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam*, *Matth.*9.13. Conditio *fœderis*, cujus præstatio facit & constituit fœdus, est *consensus* ad gratiam oblatam accipiendam, sub conditione fidei: seu, est *fides* recipiens Christum, ad justitiam & vitam æternam. *Conditio in fœderato* requisita, ad probandam veritatem fidei quam profitetur fœderatus, est *susceptio jugi, fœderatis à Christo impositi*, vel, est traditio fœderati in disciplinam & obedientiam præceptorum Christi. Et hæc tria (*Matth.* 11.28,29) exprimuntur: *Vos qui onerati estis, & laboratis*, hîc conditionem *vocatorum* ad fœdus indicat: *Venite ad me*, hîc conditionem proponit *fœderis*, ut Christum recipiant, & ad eum magis magisque appropinquent: *Suscipite jugum meum*, hîc notat conditionem *fœderati*. Fides autem in Christum, seu, receptio Christi in Evangelio oblati ad justitiam & vitam, quæ est conditio sola fœderis, præsupponit conditionem credituri in Christum, & post se trahit conditionem credentis seu jam fœderati: Nam qui Christum recipit ad justitiam & vitam, eô ipso agnoscit se injustum esse, & venire ad eum, ut habeat justitiam, in eaque perseveret ad vitam æternam.

15. Formulæ autem, aliæ atque aliæ sunt, in quibus fœdus auditoribus

proponitur, ut conditionem fœderis accipiant, & in ea retinenda firmi, constantesque reddantur. Proposuit Deus fœdus, *Exod.* 19.5. his verbis, *Si attendetis voci meæ; & servabitis fœdus meum, utique eritis mihi peculium, præ omnibus aliis populis.* Verum his verbis, maximè eminet conditio *fœderatorum*: nam populus hic, fœderatus jam erat, à temporibus *Abrahami*, & ad Sacramenta admittebatur, ante exitum ex Ægypto. Accipit populus conditionem, & respondit, v. 8. *Quicquid dixerit Jehova, faciemus.* Alia formula fœderationis habetur, *Act.* 16.31. *Paulus & Silas*, Commentariensi de salutis ratione anxio, dicunt; *Crede in Dominum Iesum Christum, & servaberis tu, & domus tua.* Commentariensis, & adulti in ejus familia, hanc conditionem fœderis spoponderunt, & baptizatus est Commentariensis, & omnes domestici ejus, v. 33. *David* repetit verba Dei, stipulantis fidem populi sui, eamque non otiosam; accipit ipse *David* conditionem, & respondit, *Faciem tuam, O Deus, quæram, Psal.* 27.8. Alia formula habetur *Isa.* 45.22. Stipulatur Christus fidem omnium auditorum, & sub hac conditione salutem promittit; *Respicite me*, inquit Christus, *omnes fines terræ, & servabimi.* Astipulationis autem seu consentiendi formula, in conditionem postulatam, habetur vers. 24. *Certe dicet unus*, nempe, consentiens in conditionem, *certe in Jehovah, mihi est justitia & robur:* Cujus fructus sequitur, v. 25. *In Jehovah justificabitur totum semen Israelis, & gloriabitur.* Similiter ratio contrahendi fœderis exprimitur in oblatione Christi ex altera parte, & receptione Christi, ex altera, *Joh.* 1.11, 12. Venit Christus ad Judæos, *offerens se* illis ad justitiam & vitam, quotquot autem *receperunt eum*, jus acceperunt & potestatem filiorum Dei. Et *Paulus* offert fœdus planissimè omnibus auditoribus, nempe, sub conditione hac sola, si consentiant in reconciliationem oblatam, 2. *Cor.* 5.19, 20. *Nos nomine Christi, legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, oramus vos, Christi nomine, reconciliamini Deo: fecit enim Deus, ut Christus, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in illo.* Nihil hic restat ad fœdus faciendum, nisi ut auditor respondeat seriò, *Placet mihi conditio, consentio in reconciliationem.* Et qui consentit in reconciliationem, agnoscit se per naturam inimicum, & obligat se ad amicitiam in futuro colendam. Denique, nonnunquam urgetur fœdus ineundum, & firmiter observandum, sub formula legis seu præcepti, 1. *Joh.* 3.23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomen Filii ejus Iesu Christi, & diligamus alii alios, sicut ipse mandavit nobis.* Quibus verbis primò insinuatur conditio *personæ fœdus inituræ*, nempe, quod debeat agnoscere, non tantum se esse peccatorem miserum, & impotentem ad se liberandum; Sed etiam se

habere

habere per naturam, voluntatem alienam à justitia fidei per Christum, adeo ut opus sit imperio Dei efficaci, ad trahendum ipsum ad Christum. Secundo, proponitur conditio *fœderis*, nempe, *ut credamus in nomen Filii ejus Iesu Christi.* Tertio, urgetur conditio requisita in fœderatis, *ut diligamus alii alios, sicut ille mandavit nobis.*

16. Hanc fœderis conditionem, alii per Dei gratiam & spondent & sincerè præstant, corde credentes ad justitiam; Alii, viribus suis nixi, spondent obedientiam fidei, & ore profitentur se credere in Christum, eique se in disciplinam tradere, labiis suis appropinquantes ad eum, quando corda ipsorum longè ab eo recedunt; quorum fides non mutat ipsorum ingenium, & vivendi rationem, sed finit eos servire ventri suo, vel Mammonæ, vel inani gloriæ, & similibus Idolis. Et si quæratur, Quomodo hujusmodi homines, qui fide in Christum salvifica, viva, & frugifera destituuntur, ad fœdus gratiæ poterunt admitti, & in censu fœderatorum Dei haberi? *Resp.* 1. Fœdus gratiæ non excludit indignissimos, si solenniter consenserint in conditionem fœderis; quia secundùm hoc fœdus, nihil datur ex merito, sed tantum ex gratia, quam Deus, tempore suo, fœderato hypocritæ potest dare, per fœderis privilegia data. 2. Quia Ecclesia non judicat de occultis: quia non videt fidem, sed professionem fidei, & sponsionis testis est, non judex sinceritatis: idcirco profitentes fidei obedientiam, pro fœderatis habet. 3. Aliud est esse fœderatum in litera, in carne seu externè; aliud vero fœderatum esse in spiritu, respectu interioris hominis & internè. Nam fœderatus in litera potest aliquis esse, qui nondum est conversus: cujus laus & approbatio est apud hominem, licet non apud Deum. Ut autem sic distinguamus fœderatos, Author nobis est Apostolus, *Rom.* 2.28. ubi docet Judæum seu fœderatum, alium esse in litera externè, alium in spiritu internè: & Circumcisionem, sigillum fœderis gratiæ, aliam esse in litera, aliam in spiritu. Idemque licet dicere de fœdere, quod de sigillo fœderis dicitur, aliud esse in litera, aliud in spiritu. Et licet externum fœdus nihil proficiat ad justitiam & vitam, nisi accedat fœdus internum in spiritu: certum tamen est, fœderationem externam medium esse accommodatissimum ad veram fidem in homine gignendam. 4. Satis nobis esse debet, quod Deus admiserit, & quod *Mosem* admittere ad fœdus jusserit omnes Israelitas, quorum pauci admodum conversi erant, vel Deo in spiritu reconciliati: id quod apertè docet Deus (*Deut.* 5. 28, 29) ubi probat sponsionem fidei, sed desiderat cordis ipsorum sinceritatem. Idemque apertè profitetur *Moses*, renovans fœdus cum irregenitis, *Deut.* 29. 1.4.

17. Si instet aliquis & dicat, Ecclesiam visibilem esse cœtum sanctorum,

 seu

seu Regenitorum, & eos qui in visibili Ecclesia degunt debere esse visibiliter sanctos, quorum vita cum professione saltem non pugnat, & quos ex judicio charitatis tenemur habere pro Regenitis. *Resp.* 1. Ecclesia visibilis, est cætus evocatorum ex mundo, & Deo consecratorum, & ad sanctitatem sectandam fæderali sponsione solenniter obligatorum. Per vocationem ergo sancti sunt, licet moribus & vitâ forte polluti sint: hoc enim docet nos Deus, *Psal*, 50 5. *Congregate mihi* (inquit) *sanctos meos, eos qui mecum fœdus pepigerunt per Sacrificium.* Ex his autem alii non colebant Deum in spiritu; Sed in Ceremoniis externis Religionem suam totam ponebant, & Sacrificiis suis Deum placare, & peccata sua expiare satagebant, ut patet, à vers. 7. ad vers. 15. Alii vero ex his sanctis vocatis, Deo consecratis, & cum eo visibili fœdere junctis, impii erant, qui minimè se gerebant ut decebat fœderatos; & qui tandem à beneficio fœderis excludendi erant, nisi resipiscerent, vers, 16. Sanctitatem veram odio habentes, Dei præcepta post tergum abjicientes, vers. 16. Fures, & adulteri, vers. 18. Maledici & calumniatores fratrum suorum, &c. vers. 19. Quos tamen Deus non excludit ex visibili Ecclesia, sed paternè reprehendit ut resipiscerent, & non perirent. 2. Nulla quæstio est, an omnes in Ecclesia visibili debeant esse, & visibiliter, & intus in corde, sancti, & quod certo condemnandi & perdendi sint, nisi sancti fuerint, & intus & in cute: Sed quæstio est de officio Gubernatorum Ecclesiæ, aliorumque membrorum, An nullos debeant habere pro Ecclesiæ visibilis membris, qui non sunt Regeniti, saltem ex judicio charitatis æstimandi? vel, An pro membris Ecclesiæ censeri, & in Ecclesia retineri debeant omnes fœderati, & sigillo fœderis obsignati, ut per doctrinam & disciplinam Christi (quantum per media & instrumenta fieri potest) Deo benedicente, regenerentur, & Regeniti in sanctitate promoveantur? 3. Discrimen ponendum est inter præcepta de personali sanctificatione uniuscujusque in se, & de gubernatione aliorum, & sancta societate colenda cum vocatis, regenitis & irregenitis, in visibili Ecclesia. Præcipitur enim mihi, ut sanctus sim in corde & vita, sine qua sanctitate, videre non potero Dei faciem: Sed non præcipitur mihi, ut societatem Ecclesiasticam nullam colam, nisi cum Regenitis. Non præcipitur Gubernatoribus, ut examinent unumquemque de Regeneratione; non prohibentur admittere aliquem in societatem Ecclesiæ, præter eos quos æstimant Regenitos esse: Sed contra, præscribitur ut admittant in fœdus cum Deo omnes spondentes fidei obedientiam, seq; suosque in disciplinam Christi tradentes una cum ipsorum liberis: Quia (*Matth.* 28. 19, 20.) Ministris Ecclesiæ dicit Christus, *Discipulos facite omnes Nationes, baptizantes eos, & docentes eos omnia mandata mea: Et ecce Ego ero vobiscum*

usque ad consummationem seculi. 4. Regeneratio non est mensura adæquata Ecclesiæ visibilis, sed externa fæderatio, fæderisque per Baptismum obsignatio: Ecclesia enim visibilis, est Christi Regnum visibile, cujus Cives sunt omnes qui solenni fædere subjectionem ejus Regimini spondent. Christus autem regit plures Cives, quam servat. Non est definienda Ecclesia visibilis, *cætus Regenitorum*, sed, *cætus vocatorum ad sanctitatem*, in quo pauci sunt Electi, & pauciores Regeniti. Et comparatur Ecclesia Christi Areæ, in quam congregantur, & palea & triticum, & externâ societate colliguntur, & colligantur fæderati omnes, & fidem habentes, & fidem profitentes. Ecclesia visibilis est Seminarium servandorum, & Christi Officina, in qua regenerat & reformat Redemptos.

18. Si porro quæratur, quomodo Adultorum (de his enim solis agitur) consensus in fædus gratiæ poterit esse serius, ubi deest fides salvifica? Aut, quomodo poterit consensus sine fide vera, non esse simulatus, hypocriticus & fictus, adeoque consensus talis, qui impediat fæderationem, potius quam promoveat, Deumque provocet ad iram potius, quam fædus cum ipso constituat? *Resp.* Serium aliquando opponitur joco & lusioni: & ita consensus serius in fædus esse potest, qui sine joco aut lusione datur. Et serium etiam opponitur intentioni fraudis: & ita consensus serius dici potest, ubi non est animus fallendi: Sed ubi contra, consentiens loquitur uti sentit, etiamsi fortè cordis sui vafritiem non perspiciat, consensus serius est. Et talis fuit consensus in fædus populi Israelitici, *Exod.* 19. Similiter, simulatum, hypocriticum & fictum aliquando dicitur, in oppositione ad id quod est genuinum, verum & spirituale. Atque ita omnis consensus in fædus gratiæ, qui non procedit à spiritu regenerante, fides ficta est, & non salvifica; sed tamen serius esse potest, & ad fædus contrahendum sufficiens. Aliquando simulatum dicitur id, quod quis destinato consilio fingit; præ se ferens illud, quod novit aliter se habere, conscius sibi nequitiæ suæ: & talis consensus simulatus provocat quidem Deum ad iram: sed non judicatur ab Ecclesia, quandiu occulta est crassa hæc hypocrisis. Et datur consensus moralis in fædus gratiæ, sine fide salvifica, qui dici potest *moraliter honestus*, quod ad convenientiam oris & mentis attinet: qualis reperitur in contractibus civilibus, & in fædere externo ecclesiastico cum Deo & reliquis membris Ecclesiæ: & sic consensus, respectu fæderis contrahendi, minimè simulatus est, nec Deo displicet in suo genere, licet ad salutem non sit sufficiens, & Deo placens, sicut ipse Deus testatur, *Deut.* 5. de Israelitis (qui ignorabant cordium suorum deceptiones, & infirmitatem suam ad præstandum quod spondebant) loquens ait, *Bene loquuti sunt omnia quæ loquuti sunt*, vers. 28, 29. Ad legitimam ergo

obligationem fœderati, sufficit hæc *integritas moralis*, etiamsi non sufficiat ad salutem. Esse autem moralem quandam honestatem & integritatem, quæ differt à Christiana virtute, & spirituali sinceritate, patet ex locis S.Script. in quibus integritas cordis agnoscenda est in eis, qui nihil aliud intendebant, quam quod præ se ferebant: Sic se defendebat *Abimelech*, quando *Saram Abrahami* uxorem, putans esse sororem ejus, abstulit, *Gen.*20.6. *In integritate cordis mei, & innocentia manuum mearum hoc feci:* & id Deus agnoscit, v.7. Sic, duces qui venerunt cum copiis suis ad *Davidem* in *Ziklag*, dicuntur *rectum cor* habuisse: quia moraliter honesti erant, & sincerè statuerunt *Davidem* Regem facere, & in bello juvare, non vero ipsum prodere, 1.*Chron.*12.33 38.

19, Sicut fœdus operum, aliud est divinæ institutionis, verum & genuinum; aliud vero humanæ inventionis, falsum & adulterinum: Sic etiam fœdus gratiæ, aliud est divinæ iustitutionis, verum & genuinum; Aliud vero humanæ inventionis, falsum & adulterinum. Fœdus genuinum est, quod Deus pangit cum Ecclesia, de danda justitia & vita, per fidem in Christum: Adulterinum autem est, quod homines sibi fingunt, sub alia quavis cunque conditione, quam fide in Christum: quale erat commentitium fœdus Pseudapostolorum, qui corrumpebant Evangelium apud Galatas: quo nomine conqueritur Apostolus, (*Gal.*1.6,7.) quod Galatæ deseruerant Deum, qui vocaverat ipsos in gratiam Christi, & quod translati fuerint ad aliud Evangelium, id est, ad aliud fœdus gratiæ quam genuinum; quod in se unum est; Sed à turbatoribus Ecclesiæ mutabatur in aliud. Invertebatur enim & adulterabatur ab eis, qui conjungere contendebant justificationem ex operibus, & justificationem ex gratia per fidem in Christum: quæ duæ justificationis ratione, inter se ex diametro pugnant. Sic Pharisæus, *Luc.*18.11,12. adulterabat & fœdus operum, & fœdus gratiæ: Fœdus operum adulterabat, quia aliqua bona opera externa suppofuit pro perfecta Legis obedientia: Et fœdus gratiæ corrumpebat; quia licet gratiam Dei agnoverit, & gratias ei habuerit, propter datam sibi potentiam ad bona opera producenda, seu, quod habitus pietatis & justitiæ ipsi infuderit: seipsum tamen exaltabat, & sibiipsi gratulabatur, quod benè usus sit datâ illâ gratiâ habituali, *Deus, ago tibi gratias, quòd non sim sicut alii homines sunt*, &c.

20. Similis est error multorum, quorum alii actionem fidei ex liberi arbitrii viribus productam, sine speciali operatione Spiritus sancti, fingunt esse conditionem fœderis gratiæ, contra doctrinam Evangelii, quæ conditionem fœderis statuit *fidem*, per Spiritum regenerantem infusam, & exerentem se in abnegatione suæ virtutis, & omnium operum suorum, & in receptione

solius

solius Christi, ad justitiam & vitam æternam: Nam immobilis stat sententia Dei, contra justificationem, sive per opera, sive per opus hominis, *Rom.* 11.6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.* Alii conditionem fœderis fingunt hanc esse, ut Christus expiet peccata mortalia, auferatque æternas pœnas: Peccator vero ipse peccata sua venialia præstet, & ea expiet per temporale supplicium suum, partim in hac vita, partim in Purgatorio. Alii somniant fœdus in hunc modum fieri: si quis præstiterit quod poterit, eique voluntas adsit ad serviendum Deo, voluntatem, pro operibus perfectè præstitis acceptandam esse. Quæ conditiones fictæ, & alia similia hominum commenta omnia, nihil aliud sunt quam adulterationes & fœderis operum genuini, & fœderis gratiæ; quibus homines à Principe tenebrarum occœcati, seipsos ad perniciem suam decipiunt. Quod autem hujusmodi fœderis gratiæ inversiones comperiantur, docet experientia quotidiana: Sed nobis satis esse debet exemplum carnalium Israelitarum, ante Christi adventum, & Galatarum post Christum incarnatum, ut caveamus nobis à malo tam pernicioso. De Israelitis enim dicitur, *Rom.* 10. 3. & 9.30. Quod *ignorantes Dei justitiam quæ est per fidem, & stabilire statuentes suam ipsorum justitiam, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.* Galatis vero dicitur, cap.5.4. *Inanes facti estis Christi, quicunque per legem justificamini: a gratia excidistis,* hoc est, vos qui justificationem per opera sectamini, renunciastis, quantum in vobis est, gratiæ per Christum habendæ.

21. Hæ autem fœderis gratiæ adulterationes, etiamsi probent adulterantium errorem, periculumque pereundi in errore suo, nisi resipuerint; Non tamen solvunt adulterantes fœdus, à lege fidei, quâ Deus omnes baptizatos obligavit ad justitiam, per fidem solum quærendam. Nam fœdus Dei cum homine, per hominem fœdifragum dissolvi non potest, nisi Deo volente: quia fœdus Dei cum hominibus, propter fœderis æquitatem, & Dei dominium, vim habet legis, ad obligandum eos, quos Deus sibi in populum mancipavit, ut secundùm fœdus subditi ejus, ei consecrati, maneant. Sicut enim Circumcisio, omnibus Circumcisis, erat sigillum fœderis de justitia fidei, quo obligabantur ad justitiam, non aliter quam per fidem quærendam; Sic etiam Baptismus, sigillum est fœderis de justitia fidei, obligantis baptizatos ad justitiam, non aliter quam per fidem quærendam, sive fœderati, seu baptizati, constantes permanserint in conditione fœderis præstanda, sive fœdus corruperint, fœdifragique evaserint: ut videmus in Israele, qui licet in Ægypto pollutus fuerit Idololatriâ; & in deserto, licet rebellis; & in terra sancta, licet

fœderis-

fœderis violati reus fuerit: ſemper tamen populus Dei in Scriptura nuncupatur, & ſemper jus Dei in eos ſtabat, & eorum jus ad externa privilegia civium Regni Dei manebat; donec propter Chriſtum apertè repudiatum, filii Regni ejecti, & ex oliva diffracti ſunt: Sic etiam baptizatorum fœdus gratiæ adulterantium, obligatio ad conditionem fœderis præſtandam manet, & eorum jus ad externa privilegia fœderatorum manet, etiam quando poſſeſſione privilegiorum interdicuntur per excommunicationem: docet enim Apoſtolus, excommunicatos manere, quoad ſtatum ſuum eccleſiaſticum, cives Eccleſiæ & juriſdictioni eccleſiaſticæ ſubjectos, utpote, qui intus in Eccleſia, non vero qui extra eam ſunt, 1. *Cor.* 5. 12, 13. *Quid enim mea intereſt de extraneis judicare? Nonne de eis qui intus ſunt vos judicatis? De extraneis vero Deus judicat.* Illi qui Satanæ traditi erant quoad conditionem ſuam præſentem externam, manebant tamen, quoad ſtatum eccleſiaſticum externum, domeſtici Dei, ſub diſciplina domus Dei, diſcentes à peccatis ceſſare, præcipuè illis propter quæ corripiebantur, 1. *Tim.* 1. 20. *Hymenæus & Alexander traditi ſunt Satanæ, ut diſcerent non blaſphemare*, id eſt, ut humiliati, & pœnitentiâ ducti, ad veritatem rectè agnoſcendam, & cum reverentia declarandam reverterentur. Jus civium & fratrum, ſeu, relatio ad profeſſores fidei, ut ad fratres, non auferebatur ab excommunicatis, nec privata charitatis officia, fratribus debita, deneganda erant iis, etiam quando poſſeſſio honoris eccleſiaſtici ab iis auferebatur: Sed poſtquam ignominioſo excommunicationis ſtigmate notabantur, nihilominus inter fratres, non autem inter inimicos ſeu hoſtes Eccleſiæ, imo non inter extraneos erant numerandi, 2. *Theſſ.* 3. 14. *Quod ſi quis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, ut eum pudeat: non tamen ut inimicum ducite, ſed admonete ut fratrem.* Atque hoc diligentius obſervandum eſt, ut conſtitutio viſibilis Eccleſiæ, & uſus excommunicationis melius intelligantur; ne excommunicati ſententiæ aſperitate vexati, ab Eccleſiæ ſocietate penitus excluſi ſibi videantur, & de reditu ad poſſeſſionem privilegiorum deſperent: Sed ſciant reſervari ſibi jus civium in civitate Dei; & ſartam, tectam manere charitatem fratrum erga ſe etiam ſub ignominia jacentes, ut eô citius ad reſipiſcentiam & honoris ſui eccleſiaſtici poſſeſſionem redeant.

22. Si quæratur, quâ ratione vel æquitate ad contrahendum fœdus gratiæ, ſeu reconciliationis, cum hominibus, ſtipulatur Deus ab omnibus audientibus Evangelium, conditionem fidei in Chriſtum, quam etiamſi moraliter ſpondere poterint irregeniti, præſtare eam tamen nemo poterit, niſi ei datum ſit à Deo, ut teſtatur Apoſtolus, *Epheſ.* 2. 8. *Gratia*

servati estis per fidem, & hoc non est ex vobis, sed Dei donum est? *Resp.* 1. Postulati officii, seu stipulatæ conditionis æquitas, non pendet à præsenti potentia, vel viribus eorum à quibus exigitur conditio; Sed à potentia aliquando *Adamo* data, & ab obligatione ad officium in æquitate fundata: alioqui possent peccatores ab omni peccato etiam se excusare, quod officia legis moralis non præstent, nempe, quia ea præstare non possunt: atque ita seipsos, propter impotentem suam libidinem ad peccandum, ab obedientia legis possent solvere. 2. Ad officium credendi in Christum in Evangelio revelatum, omnes qui audiunt Evangelium, per naturæ obligationem ad obediendum legi morali, tenentur: quia, vi primi præcepti, *Adam* tenebatur, non tantum credere omni Dei verbo revelato, sed etiam omni Dei verbo revelando; tenebatur etiam ex officio, gloriam Deo dare omnium attributorum suorum, non tantum eorum quæ in operibus se jam exerebant; sed eorum etiam attributorum, quæ in operibus ad extra nondum apparebant, e. g. Tenebatur Deo dare gloriam justitiæ vindicativæ, propter comminationem mortis ex justitia infligendæ, si peccaret. Et similiter tenebatur gloriam misericordiæ Deo dare, etiamsi peccatum nullum, miseria nulla, aut objectum misericordiæ exercendæ nullum adhuc exstiterit: idque partim, propter attributorum Dei notam perfectionem: partim, propter bonitatem manifestatam in sui creatione, & fœdere operum, de vita æterna, ex mera bonitate danda, sub tam æqua & præstabili conditione inito. Eandemque ob causam, etiam post lapsum tenebatur *Adam* non desperare, nec à Deo fugere, seseque ab eo frustra abscondere. Quis igitur negabit, per legem naturæ obligari hominem, ut Deo testanti credat; ut Deo, offerenti se ut amicum & Patrem, confidat; ut jubenti quærere ejus faciem obediat; & ut communionem cum eo magis magisque arctam ambiat, & affectet? Verum quidem est *Adamum* in integritate non potuisse fidem exercere in Redemptorem: partim, quia hoc mysterium ei non revelabatur: partim, quia non peccaverat, nec habebat opus Redemptore, vel Remissione peccatorum: Sed tamen potentia credendi Deo, adhærendi Deo, innitendi Deo, non minus erat pars Imaginis Dei, seu pars sanctitatis originalis, quam potentia exercendi misericordiam, si objectum misericordia dignum oblatum fuisset, pars erat originalis sanctitatis in *Adamo* integro. 3. Ad hanc conditionem fidei postulatæ præstandam, omnes Evangelii auditores, per naturam putant se esse pares, & proinde apud se statuunt admittere vel repudiare ea, quæ audituri sunt de Christo, prout ipsis placent vel displicent sermones auditi. Æquum igitur est postulare fidem ab iis, qui putant se posse postulatam fidem præstare: ut periculo facto, vel agnoscant suam impotentiam.

tentiam ad credendum in Christum, & donum fidei petant à Deo, vel careant excusatione, si noluerint præstare quod se præstare posse putant, & profitentur. 4. Æquum est postulare fidem ab iis, qui spondere possunt fidei obedientiam moraliter, & possunt externis mediis uti, quæ ad fidem præparare & disponere ipsos poterint: Hanc enim rationem, sequutus est ipse Deus in fœderatione Israelitarum, *Exod.* 19. Proponit Deus fœderis conditionem, & promittit se illis futurum in Deum, si ejus voci auscultaverint, vers 5.6. Acceperunt illi conditionem, & spoponderunt se facturos, quod postulatum fuerat, vers. 7. 8. Atque ita fœdus moraliter cum omnibus initum est. 5. Denique in fœdere gratiæ prædicando, offerendo & feriundo, gratia offertur & promittitur, & gratia danda pro gratia, volentibus gratiam recipere: decet enim Dei supremátum & voluntatis ejus sanctissimæ libertatem, offerre gratiam per Evangelium quibus vult; decet ejus sapientiam, ubicunque locorum prædicari vult Evangelium, gratiam indifferenter offerre omnibus vocatis, electis pariter & reprobis, ut omnes probentur, velintne gratiam oblatam recipere, an non; decet ejus justitiam, repudiatam gratiam recusantibus non dare, & decet ejus sapientiam, misericordiam, gratiam, veritatem & justitiam, ab Electis, pro quibus Christus satisfecit, simul conditionem fidei postulare, & postulatam conditionem, seu fidem salvificam, operari in illis, atque per stipulationem fidei, tanquam per medium aptissimum ad fidem postulatam ingenerandam. Hinc est quod fides salvifica solis Electis detur, & idcirco *fides Electorum* vocatur, *Tit.* 1. 1. Et quod Electi seu Redempti, *hæredes promissionum* vocantur, *Gal.* 3. 29. Et *filii promissionum*, *Heb.* 6. 17. partim, quia sunt filii Christo promissi à Patre, in fœdere Redemptionis, *Isa.* 53. 10. Partim, quia per promissiones regenerantur ad novam vitam, ut credentes nanciscantur justitiam & vitam æternam in Christo: dicuntur enim, 1. *Pet.* 1. 23. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili Dei verbo, quod vivit & manet in æternum.*

23. Si quæratur, quod sit objectum fidei? *Resp.* Veritas Dei in Scriptura revelata, seu Deus in verbo loquens: salvificæ vero fidei objectum præcipuum est, gratiæ Dei promissio, seu, Deus in Christo, promittens justitiam & vitam æternam credentibus. Promissiones autem, aliæ pertinent ad fœdus operum, quales sunt in genere, (*Matth.* 19. 17.) *Si vis in vitam ingredi, serva mandata*; & (*Gal.* 3. 12.) *Fac hoc, & vives*; Et in specie, promissiones benedictionum corporalium, & spiritualium legis promulgationi annexarum: & hæ ad probationem, & ad humiliationem omnium hominum pertinent. Aliæ promissiones pertinent ad fœdus Reconciliationis inter Deum & auditores Evangelii contrahendum & perpetuandum, quales

sunt quæ in Evangelio proponuntur,de bonis per Christum dandis fidelibus: earumque aliæ generales, aliæ speciales sunt; aliæ ad hanc vitam, aliæ ad futuram pertinent. Aliæ denique sunt promissiones, quæ sunt quasi fundamenta superioris generis promissionum, nempe, illæ quæ pertinent ad fœdus Redemptionis; quales sunt omnes Christo Mediatori factæ, ut Ecclesiæ Capiti in gratiam Redemptorum. Ex hoc fœdere, & hoc genere promissionum pendent omnes promissiones Ecclesiæ factæ, propter Christum, vel in Christo, qui sanguine suo, seu obedientiâ suâ usque ad mortem, acquisivit Redemptis omnia bona; & de bonis suis moriturus condidit Testamentum, eaque legavit Redemptis, ut hæredibus suis; partim, in conditionalibus promissionibus,quæ sub conditione fidei in Redemptorem, beneficia Christi promittunt; partim, in absolutis promissionibus, (quales sunt quæ in genere, de Electorum conversione, perseverantia, & salute, de Ecclesiæ in terris collectione, ædificatione, propagatione, & perpetuatione ad mundi finem, item de recollectione Judæorum, & conversione plenitudinis Gentium ad Christum, & glorificatione omnium suorum in vita futura, in sacris literis occurrunt; partim denique, in promissionibus in speciem conditionalibus. Atque hæ omnes promissiones, ad fidem salvificam in Redemptis formandam, fovendam, promovendam & perficiendam, suo modo & ordine, concurrunt; sive absolutæ, sive conditionales, sive in speciem conditionales sint. Voco autem *in speciem conditionales* promissiones,eas,in quibus qualificatio fidelis personæ, cui promissio facta est, videtur qualitatem, seu virtutem in persona fideli, pro conditione rei promissæ, requirere: quæ tamen promissiones (si res attentè consideretur) præsupponunt, plerumque personam, cui promissio facta est, & fidem salvificam, & simul etiam requisitam qualitatem jam habere. Tales sunt promissiones,*Matth.*5. *Beati misericordes, pacifici, mites, lugentes, pauperes, persecutionem propter justitiam patientes*, &c. Vel important, fideles hanc virtutem habere in ampliori mensura oportere, & ut habeant, studere debere. Tales sunt illæ, quæ confidentibus, sperantibus, lætantibus in Deo,diligentibus, timentibus Deum,pœnitentibus & obedientibus Deo,&c. indigitantur.In quibus gratia pro gratia,ex plenitudine Christi derivanda, fidelibus promittitur.

24. Quod si quæratur, in quem finem hominibus, his vel illis virtutibus præditis, virtutesque in operibus exprimentibus, hæc vel illa alia bona conditionaliter promittantur, quales sunt promissiones hæ, *Si manseritis in me, & verba mea manserint in vobis, petetis quod vultis, & fiet vobis: Si custodiveritis mandata mea,manebitis in dilectione mea*, *Joh* 15.7.10. *Si quis Christo ministraverit, ipsum Pater honorabit*, *Joh.*12.26. *qui me*

diligit, (inquit Christus) *diligitur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum ei*, *Joh.* 14.21. cum certum sit conditionem fœderis gratiæ non esse opus, aut opera, sed fidem solum absque operibus; seu, conditionem, non esse virtutes, earumque actiones, sed Christum ad justitiam & vitam æternam per fidem receptum, ab eis qui renunciârunt omni fiduciæ in operibus suis? *Resp.* Licet bonorum operum studium, & virtutum à Christo præscriptarum exercitium, non sint conditio fœderis; pertinent tamen ad conditionem fœderatorum. Quia enim multi præ se ferunt fidem in Christum & consensum suum in fœdus gratiæ, qui gratiam Dei vertunt in lasciviam, novæ obedientiæ non student, de fructibus resipiscentiæ ferendis non sunt soliciti, sed indulgent cupiditatibus suis carnalibus & vitiosis, & cum debuissent renunciare fiduciæ in carne, seu, fiduciæ in operibus suis, renunciant studio & exercitio bonorum operum, renunciant studio mortificationis, & sanctitatis, *sine qua nemo videbit Deum*, Heb. 12.14. Idcirco Deus vult studium & exercitium virtutum Christianarum, seu, bonorum operum in Lege morali præscriptorum, esse conditionem fœderatorum, licet non fœderis, & ad fidelium, seu fidem in Christum profitentium *probationem*, proponi per conditionis modum, ne sibi placeant, qui sunt in fœdere gratiæ tantum in litera, & quoad moralem stipulationem, de conditione fœderis præstanda, & fidem habent tantum mortuam. Contra quos Spiritus Sanctus solidè disputat, *Jac.* 2. Speciem ergo conditionalium promissionum habent promissiones factæ personis qualificatis, in hos usus. 1. Ut, qui & fide in Christum, & qualitate bonâ præditi sunt, agnoscant se gratiam pro gratia habere, vel eam habituros ex Christo, fonte gratiarum ditissimo, *Joh.* 1.16. 2. Ut credentes in Christum, observantes virtutis alicujus defectus, & vitii alicujus radices, vel fructus amaros, humilientur in se, confugiant ad Christum Redemptorem, ut justitiâ illius tegantur, & ut ab eo hauriant virtutem Spiritus Sancti, ad producendum bonos fructus, secundùm illud, *Joh.* 15.5. *si manseritis in me, feretis uberem fructum.* 3. Ut ordini operationum, & gratiarum Spiritus Sancti se subjiciant credentes in Christum, qui sicut gratiam pro gratia dare vult, sic etiam, & hanc gratiam aut illam. 4. Ut credentes in Christum, desiderio remunerationis promissæ, excitent se ad amorem & exercitium virtutis illius, cui bonum promissum annectitur. 5. Ut credentes in Christum, studentes electionem & vocationem suam firmam facere secundùm consilium Apostoli, operam dent connectendis virtutibus, iisq; augendis in numero & gradibus, 2.*Pet.* 1.3, 4. ad 12. Hic ergo usus esto promissionùm in speciem conditionalium, quæ præsupponunt fidem in Christum, conditionem fœderis scilicet, jam esse præstitam, vel necessario præstandam in eis, quibus alia bona promittuntur.

25. Sed, si porro de fœdere Gratiæ & Reconciliationis externo & morali, communiter in Ecclesia ineundo cum omnibus spondentibus fidem, quæratur, Quomodo doctrina de Electione & Redemptione aliquorum tantum & non omnium & singulorum, consistere poterit cum hac communi omnium auditorum vocatione ad credendum in Christum? vel, quomodo consistere poterit, cum communi fœderatione omnium spondentium fidei obedientiam, vel cum hortatione omnium fœderatorum, ad sinceritatem fidei, & vitæ sanctimoniam, sub spe justitiæ & vitæ æternæ obtinendæ, si obediverint? Respondent nonnulli, nullam solidam rationem hujusmodi dispensationis dari posse, nisi statuatur *universalis Redemptio omnium & singulorum* per Christum, & nisi universalis gratia concessa sit omnibus auditoribus Evangelii, ut possint omnes pariter, sine Spiritus Sancti speciali operatione, credere in Christum, & virtute liberi arbitrii in fidei obedientia perseverare: frustra enim putant vocari omnes, frustra recipi in fœdus omnes, & frustra hortationibus urgeri omnes, si ulli ex vocatis non sint electi, vel non sint redempti. Sed nobis responsio parata est, *Quod multi sunt vocati, pauci vero electi*, sicut testatur ipse Christus, *Matth.*22.14. Et quod nulli credituri sunt in Christum, præter eos, in quibus convertendis, brachium Domini revelabitur, seu, potentia Dei invincibilis manifestabitur, uti docemur, *Isa.*53.1. Id quod etiam confirmatur, *Joh.*12.37, ad 41. Quod autem prædicta Evangelii prædicatio, communiter gratiam offerens omnibus, & dispensatio prædicta, poterint consistere cum doctrina de Redemptione Electorum tantum, patet: quia Deus sancta sua decreta sancte & sapienter exequitur, ut in eorum executione, justitia ejus appareat in pereuntibus, & gratia in servatis clarissimè manifestetur, uti docemur, *Rom.*11.5,6,7,8. Nam quia Deus non redemit omnes & singulos, idcirco nec vocat omnes & singulos ad societatem fœderis, *Psal.*147.19,10. Sed quos *Deus prædestinavit ad salutem, eos vocavit, eos justificavit, & eos glorificavit, Rom.* 8.29. Quia autem prædestinati in aliorum societate degunt in mundo, non vult Deus ante tempus præstitutum, consilium suum secretum aperiendo, quenquam divertere, vel arcere, à fide vel obedientia voluntatis suæ revelatæ; idcirco placet ei manus suas toto die etiam rebellibus, inter quos Electi degunt, extendere; omnes sine discrimine ad gratiam amplectendam hortari, rogare, obtestari, & pro imperio urgere; & omnes communiter, beneficiis suis cumulare & onerare: ut qui repudiant oblatam gratiam, suas, & omnium reliquorum hominum, adversus Deum inimicitias, manifestas faciant, & perditionem suam à seipsis esse demonstrent, uti docemur, *Hos.*13.9. Ex iis vero qui fidei obedientiam spoponderunt, & legi fidei se subjecerunt, (licet inducti temporariis

porariis tantum motivis, & argumentis ad moralem suasionem facientibus in fœdus consenserint) nullos rejicit; Sed omnes in Ecclesiæ visibilis sinum recipit, ut in ea omnes communiter doceantur; Redempti vero, speciali operatione Spiritus Sancti efficaciter vivificentur, convertantur & salventur, *Joh.*6.37.39.40. Quod autem attinet, ad prædicatores virium liberi arbitrii, & Reproborum patronos, qui Deum, propter reprobationis sanctissimum decretum, injustitiæ insimulant, & adversus eum disputant, sicut audimus, *Rom.*9.14.19. Opponimus iis primo, id quod à Deo dicitur, *Rom.*9.15. *Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero.* Et vers.16. *Nempe igitur Electio non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur, nempe Dei.* Et vers. 18. *Itaque cujus vult miseretur, quem autem vult indurat.* Secundo, dicimus malè illos consulere divinæ gloriæ, qui libero hominis arbitrio thronum erigunt supra Deum, & humani arbitrii servum fingunt Deum, quem homines trahant post se quo velint, & de cujus voluntate, operationibus, decretis eorumque executionibus, homo pro libitu suo statuere, eaque vel irrita vel efficacia pro arbitrio suo reddere, possit. Malè etiam consulunt gloriæ Redemptoris, illi qui fingunt eum, pro Redemptionis pretio pacto & persoluto, impetrasse omnibus & singulis hominibus potentiam tantum seipsos regenerandi & convertendi ad Deum, quandocunque & ubicunque Evangelium ipsis prædicatum fuerit; minimè vero obtinuisse à Patre, vel effecisse, ut Evangelium omnibus & singulis in mundo degentibus, prædicaretur. Malè consulunt gloriæ (inquam) Christi, qui tale fœdus Redemptionis initum esse inter Patrem & Filium imaginantur, quale nec divina justitia, nec hominum prudentia probaret, nempe, omnibus & singulis hominibus emptam & datam esse potentiam seipsos salvandi; nulli vero emptam esse salutem, vel vitam æternam infallibiliter dandam: Sic enim gloriam tantum potentiæ datæ hominibus, ad seipsos convertendum & salvandum, Deo dant; gloriam vero actualis & efficacis Conversionis, & perseverantiæ ad salutem, hominibus totam tribuunt, quatenus in hominum arbitrio ponunt, (non in Dei omnipotentis beneplacito) de uniuscujusque efficaci Conversione & perseverantia ad salutem statuere.

26. Sed quia hic Adversarii insolenter rethoricantur adversus Reprobationis decretum, insanientes in sensu suo, & supra modum inflati æstimatione carnalis suæ sapientiæ, quæ Deo prorsus inimica est, quippe, *quæ nec Deo subjicitur, nec ei quidem subjici potest, Rom.*8.7. Idcirco reponimus hujusmodi oratoribus Reproborum Patronis, tertio loco, quæstionem Apostoli, *Rom.*9.20. *Quis tu es, homo, qui ex adverso responsas Deo?* ut pro se

unus-

unusquisque respondeat, priusquam Reproborum causam defendendam suscipiat. Quandoquidem tu, te peccatorem esse novisti, & reum mortis æternæ confiteris, Cur (inquam) quando vocaris una cum aliis Evangelii auditoribus ad misericordiam in Christo gratis amplectendam, non apprehendis, non arripis gratiam oblatam? Si Deo per legem te pro concione arguenti, & condemnanti propter peccatum, fidem adhibes, Cur non credis Deo pro concione roganti te, una cum aliis, ut reconcilieris ei? Quis te excepit à misericordiæ oblatione & amplexibus? Si dixeris te non posse applicare gratiam oblatam, nisi datum tibi supernè fuerit, rectè dicis, & hic aliqua ex parte humiliaris, in agnitione impotentiæ, & pravitatis tuæ naturalis. Quæro igitur rursum, An tibi displicent peccata tua? an nativa tua perversitas, & impotentia ad gratiam oblatam amplectendam, effecerunt ut teipsum condemnes, & abomineris? Si respondeas, ita; Quæro jam tertio, An velis ab his malis liberari? Placetne tibi Christus, se offerens Liberatorem & Servatorem, sub hac sola conditione, *si vis eum recipere?* Si respondeas, ita, non longè abes à Regno Cœlorum: Esurienti enim justitiam, parata est satisfactio in Christo. Sin vero asseris te potentiam accepisse ad te convertendum, & in potestate liberi tui arbitrii esse, gratiam oblatam accipere vel rejicere, convertere te ad Deum, vel in peccatis pergere: tunc (inquam) age, præsta quod te posse profiteris: si non præstiteris, sed tecum maneat peccandi libido; si vitiosis cupiditatibus non vis renunciare; si tibi, præ peccati deliciis, sordeant promissiones Evangelii, vel pro stultitia habeantur, quomodo te excusabis? quomodo Deum non justificabis, non dantem tibi illud quod dari tibi non vis, quod oblatum respuis, quod licet in tua potestate esse positum profitearis, contemnis tamen? Si causam tuam agens, cogeris necessario vel oblatam gratiam recipere, vel culpabilem causam perditionis tuæ in teipso agnoscere; quomodo causam ages Reproborum, qui Deo veritatem prædicanti, peccatores accusanti, per legem condemnanti, Remissionem peccatorum in Christo offerenti, nec credunt, nec volunt credere; sed imaginationes & cupiditates suas, animarum suarum saluti, & ipsi Deo præferunt? Certè id quod Deus dixit *Caino*, obturabit os omnibus sub Evangelii prædicatione degentibus, propter infidelitatem & inobedientiam pereuntibus, *Gen.4.7. Nonne si bene egeris, acceptaberis; si vero non bene egeris, præ foribus est peccatum excubans?*

27. Sed objicies forte, nisi statuatur universalis Redemptio omnium & singulorum; & nisi concessa sit omnibus & singulis, universalis gratia; seu, potentia ad credendum in Christum, qua omnes poterint pro arbitrio suo, Evangelio obedire, & in fidei obedientia perseverare; Quâ ratione dicemus

Deum ſerio agere cum miſeris peccatoribus,quando hortatur,rogat,& obteſtatur omnes ut veniant ad Chriſtum,& perſeverent in fidei obedientia? qua ratione dicemus Deum candidè agere cum peccatoribus,quos novit eſſe impotentes ad obediendum,& quibus non intendit gratiam ſalvificam,vel ſalutem dare; & tamen hortatur ut reſipiſcant,ut convertantur, ut credant in Chriſtum? *Reſp*.Certè in hac objectione , deceptionis cauſa nobis aperitur; quod putent adverſarii non aliter conſiſtere inter ſe poſſe Dei decreta,& diſpenſationem Evangelii,in viſibili Eccleſia colligenda & ædificanda,quam poſitis illis erroribus. Si ad ſolos Reprobos miſſum fuiſſet Evangelium, ſpeciem majorem præ ſe ferret objectio, non vero majorem vim haberet:quia periculo facto de eorum voluntate,nulli ſe vivificarent, regenerarent; nulli ad Chriſtum niſi tracti à Patre venirent : Nam de omnibus Reprobis verum eſt quod dicitur de Iſraelitis, *Iſa.*6.10,11. & *Joh.*12.39. *Non potuerunt credere* : Sed jam mittitur Evangelium prædicandum præcipuè propter Electos,ex *propoſito vocandos,Rom.*8.28. Et ad reliquos, in quorum ſocietate degunt Electi mittitur Evangelium, ex occaſione conjunctionis civilis cum Electis: & cœtui mixto ita accommodatur Evangelii diſpenſatio,ut nec reveletur,nominatim,ſecretum Dei conſilium, de horum vel illorum electione vel reprobatione; neque impediatur, ſanctorum decretorum Dei,ſancta executio : Nam per hortationes,ad reſipiſcentiam & fidem, convertuntur Electi; & Reprobis gratiam Dei oblatam reſpuentibus, aufertur omnis excuſatio,ut teſtatur Chriſtus, *Joh.*15.22.*Si non veniſſem , & loquutus eſſem iis, peccatum non haberent*, (reatum nempe, Evangelii repudiati) *nunc autem non habent quod prætexant peccato ſuo.* De Electis vero dicit, *oves meæ audiunt vocem meam,Joh.*10.27. Declarat ergo Deus propoſitum ſuum in Evangelii prædicatione,& rationem reddit,cur gratiam communiter offerat Electis & Reprobis apertè. Hinc colligimus Deum valde planè, ſerio & candidè agere. 1.Quid enim magis ſerio, magis ſincerè & candidè factum cenſeri poteſt,quam quando quis declarat quid faciat, & quid facturus ſit,quando ſcopum dictorum,factorumque ſuorum apertè profitetur,& congruenter operatur,facit & dicit omnia? Quando Agricola triturans, percutit integrum ſegetis faſciculum baculo, ex profeſſo, ut triticum excutiat è ſtramine, & frumenti grana à palea ſeparet ; Annon ſerio & candidè agit? Quando hortulanus irrigat hortum,ex profeſſo,ut herbas utiles alat, & noxias, irrigationis participes factas,in apertum producat, & eradicet; Annon ſerio agit? 2. Novit quidem Deus omnes homines non tantum impotentes eſſe ad obediendum Evangelio, Sed novit etiam omnes per naturam ſuperbos eſſe,& opinione ſapientiæ ſuæ, juſtitiæ ſuæ, & virium ſuarum turgere

adeo,ut non agnoſcant peccata ſua, non ſentiant miſeriam ſuam, non confiteantur inimicitias adverſus Deum: Sed quod contra, mordicus teneant,ſe ſemper dilexiſſe Deum, & etiamnum diligere eum ſupra omnia; imo omnes opinantur,per naturam ſe poſſe præſtare obedientiam Deo in omnibus, ſaltem in ea menſura, quæ Deo ſatisfacere poterit, ut in Iſraelitarum exemplo videmus, *Exod.*19. Idcirco Deus in ſapientia ſua, priuſquam quenquam convertat, ſuperbiam hanc retundit, & vanam hominum de ſe opinionem refutat: In eumque finem,per prædicationem Legis & Evangelii, ad lapidem lydium vocat,& probat omnes,ut & ſibiipſis & aliis manifeſtet omnium hominum impotentiam ad bonum, propenſionem omnium in malum; & latentes in omnibus inimicitias adverſus Deum eſſe tantas, ut licet offerat ipſis cœlum & vitam æternam,ſub hac conditione gratioſiſſima, *ſi renunciantes peccatis ſuis confugerint ad Chriſtum,* non credant tamen, nec cedant Deo, ſed pergant in viis ſuis. Atque hic morbus, communis eſt Electis pariter & Reprobis: ſed Deus facit diſcrimen,potenti ſuâ manu,tempore ſuo, Electos trahens ad Chriſtum, ex mera gratia; reliquos vero ſinens ire vias ſuas, ex juſtitia. Nam Electi ſincerè tandem Chriſtum oblatum amplectuntur ad juſtitiam & ſalutem; reprobi vero, minimè, ut docet nos Chriſtus, *Joh.*8.47. *Qui eſt ex Deo,audit verba mea: vos vero non auditis ea,quia non eſtis ex Deo.* Candidiſſimè hic agit Deus cum omnibus: apertè enim profitetur, in diſpenſatione Verbi ſui, & operum ſuorum,ſe probationem & manifeſtationem cordis humani ſerio intendere: Nam, *Exod.* 16.4. dicit Manna cœlo demiſſum eſſe, ut probaretur populus, velitne in Dei Lege ambulare, an non: Et *Exod.* 20.20. Legem promulgatam eſſe eodem fine: & per quadraginta annos in deſerto detentos fuiſſe, ut probaretur, quid eſſet in ipſorum cordibus, *Deut.*8. 2.16: Et Pſeudoprophetas permiſſos eſſe in populo verſari,ut probaret eos, utrum Deum amaverint toto corde,an non: *Deut.*13.1,2,3. Et propter eandem rationem Chriſtus dicitur (*Iſ.*28.16.) *lapis probans,* ſeu, *lapis probationis;* & *lapis offenſionis,Iſ.*8.14; poſitus ad ruinam aliorum,& reſuſcitationem aliorum,*Luc.*2.34. Per hanc enim probationem, manifeſtum facit Deus, omnes Electos pariter & Reprobos concluſos eſſe ſub peccato & infidelitate; & neminem venire ad Chriſtum, niſi Pater traxerit eum, ut miſereatur eorum quorum vult miſereri. Atque hæc probatio per Chriſtum, pars eſt illius prudentiæ, qua ille per hortationes & promiſſiones evangelicas, vocatos ἀναπολογήτους reddit: Electos vero & Redemptos ſuos ex mari & ſocietate pereuntium expiſcatur: de qua, *Iſa.* 52.13. *Ecce ſervus meus aget prudenter, & proſperabitur, extolletur, & altus erit valde.* Quapropter hanc Dei ſapientiam, (in convertendis Electis,

ctis, sine Reproborum offensione, per communem prædicationem Evangelii, & per hortationes communes utrisque) admirari decet nos, eamque non sugillare, sed laudibus in cœlum attollere, dicentes cum Apostolo, *Rom.* 11.33. *O profundas divitias tum cognitionis, tum sapientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles!* Interea debet unusquisque auditor Evangelii apud se dicere; Si Deus per Evangelium me probat, an velim gratiam oblatam recipere, & peccatis meis renunciare. Ecce Reconciliationem oblatam amplector: ad Deum reconciliantem sibi mundum in Christo, confugio, eique me totum in disciplinam, ad salutem trado.

CAPUT VII.

Superioris doctrinæ explicatio & confirmatio, ex Jer. 31. 31, 32, &c. & commentario Apostoli, Heb. 8. 6, 7, &c.

TOtius doctrinæ præcedentis, de fœdere Redemptionis, fœdere operum, & fœdere Gratiæ, externo pariter & interno, eorumque dispensatione, compendium nobis proponit *Jeremias*, cap. 31. vers. 31, & sequentibus. Cui addit Apostolus *Paulus* Commentarium, *Heb.* 8. vers. 6, 7, &c.

1. Quod enim attinet ad fœdus Redemptionis: præsupponitur esse, ab Apostolo hunc locum *Jeremiæ* explicante, quando fœdus Gratiæ impetratum esse ostendit, non aliter quam per Mediationem Domini nostri Iesu Christi fœdus de Redemptione cum Patre pangentis. Utque hoc subindicet. 1. Christus vocatur *Mediator* melioris fœderis: quia intercessit ut fœdus fieret. 2. Fœdus Gratiæ *Testamenti* nomine designatur: quod insinuat *Mediatorem*, non aliter quam mortis suæ pretio impetrasse bona illa omnia, quæ in melioribus illis promissionibus continentur, & *moriendi certum*, Testamentum condidisse, & bona impetrata Redemptis, seu fidelibus ab æterno designatis hæredibus suis, omnia legasse. 3. Mediator Testamentum condens, vocatur *Jehova*: non merus homo, sed Deus incarnandus, & condens Testamentum immutabile, quod necessario requirebat mortem Testatoris, ut ratum esset, *Heb.* 9. 15, 16; & mortem non gregarii alicujus morituri instar meri hominis, sed Testatoris Dei incarnandi & morituri, qui vitam in seipso habet, ut potuerit vitam suam ponere & resumere. 4. Bona quæ impetrat ex fœdere Redemptionis, & quæ in Testamento suo legat hæredibus suis, sunt omnia quæ ad pietatem & vitam æternam spectant, *Re-*

missio, scilicet *peccatorum*; *inscriptio legis in cordibus*, &c. 5. Redempti hæredes designati, non sunt omnes & singuli homines, sed Electi tantum, salvandi tantum, à Deo efficaciter docendi tantum: ex quibus, singuli *à maximo ad minimum cognituri sunt Deum* : Non Patres reprobi, sed electa societas *Israelis* Dei; familia Christi, seu, *domus Jehuda*, quæ est Tribus Christi. Nam Apostolus hæc extendit ad fœdus inter Deum & Electos sub Evangelio colligendos ad Christum, & ex Judæis & ex Gentibus.

2. Quod ad fœdus operum attinet: certum est. 1. Deum cum Patribus ex Ægypto deductis pepigisse fœdus gratiæ, quoad substantiam & rem ipsam, ut colligere licet ex comparatione partium illius fœderis : Nam etiamsi Deus fœdus operum repetivit, & vim legis, ad inferendam maledictionem in omnes peccatores declaravit: in ordine tamen ad Reconciliationem, per sacrificium Agni illius immaculati faciendam, urgebat legem; & fœderis operum scopum seu finem docebat, esse Christum ad justitiam omni credenti. 2. Certum etiam est, formam hujus fœderis cum visibili illa Ecclesia facti, promissiones de justitia & vita æterna, & rebus spiritualibus, sub velo typorum temporalium obscurius suspendisse à conditionibus in speciem durioribus, & deterioribus, quam novum fœdus exigit. Hoc enim, *Heb.* 8.6. apertè docet Apostolus. 3. Certum est Patres incredulos, fœdus gratiæ non intellexisse; sed illud in fœdus operum convertisse. Quod manifestum est ex comparatione verborum *Jeremiæ*, & commentarii ab Apostolo additi : *Jeremias* enim dicit, eos fædus transgressos fuisse, *etiamsi Deus se maritum ostendebat* erga Patres infideles, hoc est, commutârunt fædus gratiæ in fædus operum; & illud etiam fædus violarunt : Apostolus vero dicit eos *non mansisse* in fædere illo Dei, nempe, quia converterunt fædus gratiæ in fædus operum, suam justitiam ex lege quærentes, & non ex fide : & propterea dicit *Deum despexisse eos*, seu, tractasse eos secundùm naturam fæderis operum. Et certè verba *Jeremiæ* admittunt utrumque sensum: Significant enim & Deum se gessisse ut maritum, in fædere pangendo scilicet; & gessisse se ut Dominum, exigendo mulctam violati fæderis operum, & rejecti fæderis gratiæ.

3. Quod ad fædus gratiæ attinet: de eo agit verbis disertis. 1. Promittendo se *novum fœdus* facturum cum Domo Israelis, & Jehudæ. 2. Meliores promissiones proponendo, quam erant illæ quæ Patribus in deserto factæ sunt. 3. Causam tantorum bonorum nullam aliam, quam suum beneplacitum, afferendo. 4. Nullam conditionem præter *fidem* requirens, hoc est, ut, qui bonorum promissorum indigentiam in se sentiunt, & indignitatis

tis suæ convicti sunt, promittenti Deo credant; promissiones accipiant, & in usum applicent.

4. Quod ad externam fæderis dispensationem. 1. Communem eam esse vult omnibus vocatis, omnibus Ecclesiæ visibilis membris: fædus enim ictum in deserto, idem erat cum Patribus Electis & Reprobis; cum iis qui rejecti sunt ob fæderis violationem, & iis qui Christum è longinquo perspiciebant & servati sunt. 2. Externam formam fæderis gratiæ obscuriorem, & typis velatam, esse voluit ante Christi adventum ; Sed post ejus adventum, clariorem & melioribus promissionibus, proponere. 3. Statuitur dies, nempe, plenitudo temporis, quando abolendæ erant umbratiles illæ Ceremoniæ, & gratia Dei apertâ facie visenda, & ob oculos quasi proponenda. Et hoc observat Apostolus, *Heb.* 8. ex eo quod fædus *novum* promittatur. 4. Non tamen adeo obscurata erat Dei gratia sub fædere veteri, ut non potuerit à filiis Dei perspici: passim enim in umbra & tenebris legalibus micabant stellæ promissionum gratuitarum, & ipsius novi fæderis doctrina (uti hoc loco apparet) audiebatur.

5. Quod ad fædus gratiæ internum attinet : 1. Qualem offendat Deus hominem, quem in fædus secum trahit, ostendunt ea quæ sunt in fædere promissa: cum enim suscipit Deus *legem suam in mentibus & cordibus ipsorum se inscripturum*; *spiritu suo ipsos docturum* ; *peccata condonaturum* & similia, præsupponit ἀνομίαν in ipsis regnantem, cum mentis cæcitate, & cordis duritie; electosque per naturam esse sine Deo, sine lege, & sine fide; priusquam secundum Redemptionis fædus Deus eos reformet. 2. Etiamsi natura inscriptam esse legem in cordibus omnium, quoad cognitionem officiorum aliquot, & quantum satis est ad ἀναπολογίαν, ostendit Apostolus, *Rom.* 1.20, Veruntamen inscriptio legis quæ hic promittitur est spiritualis, supernaturalis, mentem luce Spiritus Sancti perfundens , & cor renovans, adeoque ipsissima est *Conversio*. 3. Quod si Conversio promittitur absolutè, suscipitur etiam præstanda absolutè à promittente: non enim dicitur, *indam legem si voluerint*, sed *indam* & *inscribam* simpliciter, id est, efficiam eos volentes, qui nolentes erant ; & obedientes legi, qui transgressores erant. 4. Neque sibi satisfacit Testator, promittendo mentis mutationem, & cordis inclinationem ad tempus, sed opus solidum permanens, ut perseverent, promittit, *Indam & inscribam*; siquidem inscribere est exarare aut insculpere, ut permaneat scriptum. 5. Præcipuum Caput fæderis, & quod reliqua omnia virtute in se continet, proponitur hâc promissione ; *Ego ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus :* hinc enim fæderatis datur jus : primo, in ipsum *Deum*. Deinde, in omnia ejus *beneficia*, quibus opus habent ad ju-

stitiam

ſtitiam & vitam æternam: quorum enim Dominus Deus eſt, illi vivunt & vivent in æternum, ſicut dicitur à Chriſto, *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum*. Omnes enim promiſſiones particulares, nihil aliud ſunt quam magnæ hujus, & primæ promiſſionis explicationes, & applicationes ad caſus, & conditiones particulares. 6. Promittuntur hic dona Spiritus, & dotes quibus opus habent diſcipuli, & viatores proficiſcentes in cœleſtem Civitatem: imo ipſe Spiritus promittitur ipſis, qui unà cum iis ad vitæ & viæ finem maneat Doctor & Ductor: *cognoſcent me, dictum Jehovæ*, &c. i. e. (Chriſto interprete) erunt omnes θεοδίδακτοι. 7. In hoc promiſſo, acturum ſe cum homine, in ejus Reconciliatione & Regeneratione, oſtendit, ut cum creatura rationali: ſervata, ſcilicet, & non deſtructa ipſius natura; conſervata non everſa arbitrii ipſius libertate: *pangam fœdus cum domo Jehudæ*. Fædus autem eſt contractus voluntarius. 8. Oſtendit ſe Dominum eſſe voluntatis humanæ, ad flectendam eam quo ipſe vult; nec variabili voluntatis contingentia impediri ſe, quo minus exequatur in voluntate hominis, & per voluntatem hominis, quicquid decrevit facere; Sed potius per cauſas, ſive contingenter, ſive neceſſario operantes, potentiſſime & ſapientiſſime, ſe ſuam voluntatem perficere poſſe & ſolere: *Dies veniet in quo pangam fœdus cum domo Iſraelis*, 9 Quapropter ſuſcipit in ſe fæderis percuſſionem, ſpondens non pro ſeipſo tantum, ſed etiam pro Electis ex Iſraele: ſpondet enim fore, ut inclinata eorum voluntate ad Reconciliationem, cum Deo fædus percuterent: dicit enim, *pangam fœdus cum iis*, non, ſi volent; Sed *pangam* abſolutè, i. e. faciam ut conſentiant in fædus. 10. Pars altera fæderata, non eſt omnis homo, nec quivis cœtus, ſed *Eccleſia*; non eſt quævis Natio aut Gens, ſed populus, electus ex omnibus nationibus & gentibus in tota terra: *pangam fœdus cum domo Iſraelis*, ut exprimitur *Deut*. 7. 6, 7. 11. Primas ergo partes tribuit Deus *populo Iſraelis* in fædere: quia Princeps fæderatorum Chriſtus ex hoc populo oriundus erat. Quod videtur innuere, cum poſt nominationem *Domus Iſraelis*, nominat ſpeciatim *Domum Jehudæ*, ſeu tribum Chriſti. 12. Imo vero hoc habent Iſraelitæ, & Judæi præ omnibus aliis gentibus, quod ex ſemine Iſraelis, ſeu, ex ſanguine Judæorum, electus aliquis numerus in ſingulis generationibus ſeu ætatibus, ad finem uſque mundi, ſit futurus, *Rom*. 11. 5. Et Eccleſiæ perpetuatio concipitur hic ſynecdochicè, ſub perpetuatione Domus Iſraelis, & Jehudæ cum Deo fæderatæ. 13. Nulla ætas nec ſexus, nec diſcrimen ullum externum, quod poni ſolet inter homines in communi vita, excludit quenquam à fœderis beneficio, aut commendat quenquam Deo, ut acceptet hominum perſonam: à minimis enim ad maximum, omnes hominum gradus & differentias gratia divina

pervadit. 14. Interim singillatim novit Deus, suos nominatim & viritim, maximorum, juxta & minimorum capita, designans & intuens, eademq; dilectione complectens : *Cognoscent me* (à me scilicet jam cogniti) *à maximo usque ad minimum.* 15. Unum quod huic beneficentiæ poni videretur obstaculum, aufert Dei *misericordia* de medio, peccata scilicet: *Condonabo iniquitatem ipsorum, & peccatorum non recordabor amplius* , vers. 34. 16. Hanc autem Remissionem non vult Deus limitari, neque peccatorum numero, neque pondere, neque genere quovis, sed *iniquitatem* omnis generis, & *peccata* quævis auferre, & oblivioni tradere statuit; idque repetitione promissionis factâ confirmat, v. 37. 17. Hinc deducit Apostolus, *Heb.* 10. 14. sub novo hoc fœdere unicam esse oblationem pro peccatis, quæ repeti non possit, quum per eam Remissio plenissime parta sit: v. enim 14. *Unica* (inquit) *oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Hoc probat ex verbis fœderis, v. 15, 16, 17. Ex quibus concludit, v. 18. *Porro ubi est horum Remissio, non est amplius oblatio pro peccato.* 18. Hujus fœderis gratiosi causam si quæras, nullam in homine reperies. Unica hic ponitur Dei voluntas ipsiusque beneplacitum : *Condonabo iniquitatem* (inquit Dominus) *& peccati ipsorum non recordabor amplius*, i. e. *miserebor quorum volo misereri.* 19. Quia Testamentum hîc condit Dominus , in quo suscipit in se præstanda, quæcunque hîc promittuntur : ideo solus ipse in Testamenti confirmationem subscribit, *Sic ait Jehova, cui nomen est Jehova exercituum.* 20. Ornat autem subscriptionem suam, additis magnificis titulis suis, ab operibus creationis, & gubernationis creaturarum sumptis : *Jehova qui disponit solem ad lucem interdiu , statuta lunæ & stellarum ad lucem noctu ; qui disrumpit mare & fremunt fluctus ejus.* Idque facit, ne fides populi sui, ad aspectum impedimentorum & difficultatum, labasceret; sed collectis viribus, ex observata Dei potentia in mundi opificio & regimine, in via pergeret constanter. 21. Obsides & pignora, simul etiam & testes promissionum dantur, v, 36. *Si amovebuntur statuta illa à conspectu meo, dictum Jehovæ, etiam semen Israelis cessabunt esse gens in conspectu meo omnibus diebus.* 22. Denique, ne quisquam, considerans vel peccatorum gravitatem, vel promissa præstandi apparentem impossibilitatem, dubitaret de peccatorum Remissione, de fœderatorum perseverantia, aut de Ecclesiæ perpetuatione, Jubet Dominus de his omnibus esse securos, v. 37. *Sic ait Jehova, si potuerint mensurari cœli superne, aut pervestigari fundamenta terræ inferne, etiam ego spernam totum semen Israelis propter omnia quæ fecerunt, dictum Jehovæ.*

6. Quod ad dispensationem hujus fœderis externam simul & internam.

1. Hæc

1. Hæc promiſſio novi fœderis, incuſatio eſt incredulorum Patrum, qui, neglectâ Dei gratiâ, ſectabantur juſtitiam operum, & legale fœdus: cui implendo impares erant; & quod ad ipſos condemnandos tantum faciebat. Id etiam ex hoc loco colligit Apoſtolus, *Heb.* 8.8. 2. Miranda interim miſericordia hæc eſt, quod incuſans horum incredulitatem, qui ſub hoc veteri fœdere vivebant, tam clementer voluerit ulciſci hanc ipſorum perditam ſtultitiam & ingratitudinem, ut *novi fœderis* pangendi mentionem apud eos faceret. 3. Procuratur *fœdus gratiæ* cum Eccleſia à Chriſto, in eum finem, ut fœdus Redemptionis effectum ſuum conſequatur. Fundamentum habet hæc obſervatio in eo, quod Chriſtus dicitur *Mediator* hujus fœderis: fœdus enim cum populo ſuo voluit contrahere, ut parta illis in *Redemptionis fœdere* bona, applicentur per hoc *fœdus gratiæ*; & quæ comparata erant in illo fœdere, communicentur per iſtud. 4. Prædicatio promiſſionis de hoc fœdere pangendo, medium eſt aptiſſimum ad fœdus hoc novum conciliandum & contrahendum, inter Deum & populum ſuum, ex propoſito vocatum. Id colligitur ex *Jeremiæ* & *Pauli* prædicatione ejuſdem in hunc ipſum finem. 5. In fœderis hujus promiſſione & prædicatione, vult Deus limitari omnium hominum judicia, cogitationes, animique conceptus, & ſuſpendi in toto hoc myſterio ab ipſius ſolius ore, conſiliique ſui, hac de re tota, revelatione. Id colligitur ex invitatione Dei ad attendendum quid ſit ipſe dicturus, & obſervandum quid ipſe oſtenſurus ſit in hoc negotio; *Ecce dies venient, inquit Jehova*, quibus ſcilicet, *Ego talia atque talia perficiam, quæ nunc vobis prædico me facturum*. 6. Fœderis contrahendi cum homine ratio tota à Deo pendet abſolutiſſimè, ut fiat fœdus vel non fiat, ut fiat quale fœdus viſum ipſi fuerit; ut fiat quibus ille vult conditionibus; ut fiat cum quibus ipſe vult fœdus facere. Non prior invitavit quiſquam ex hominibus Deum ad fœdus: ipſe omnes prævenit; prævenit Deus Patres in deſerto, prævenit poſteros noviſſimis diebus oriundos, promittens ſe fœdus icturum cum iis qui nondum erant; nec niſi multo poſt tempore in mundo erant futuri. 7. Intelligi vult Deus ab omnibus, gloriam ſuam finem eſſe contracti fœderis cum homine, cum hujus excellentioris, tum illius antiqui & minus excellentis: omnia enim Deus fecit propter ſeipſum; etiam improbum in diem mali. Id colligitur ex eo quod Deus *dominatus*, ſeu ſuprematus ſuì exercitium afferat pro ratione repudiatorum Patrum in deſerto: *Ego dominatus ſum iis, ego deſpexi eos*; *ex jure dominationis*, ut vocis originalis vis fert. Et quod gratiæ factæ ipſorum poſteris rationem afferat ſuam *voluntatem*, ſuum *beneplacitum*: *Condonabo peccata ipſorum*, &c. 8. Oſtendit etiam in operibus ſuis non pendere ſe ab hominibus, ſed nota ſibi eſſe omnia opera ſua ab initio; &

ſtatutum

ſtatutum eſſe apud ſe,& quid & quomodo, & quibus mediis unumquodque præſtet, in eo quod de rebus futuris prædicat, quid ſit facturus in Iſraelitis electis ſervandis: non minus certus, ſcilicet, de futuro præſtando, quam de præterito præſtito, in Patribus incredulis perdendis,certus erat. 9. Vult Deus nos ſcire, quod (ſeclufa decreti ſui conſideratione) in ſua poteſtate,& arbitrio ſuo habeat, peccatum punire in quibus vult; & in quibus vult, non punire, hoc eſt, miſereri quorum vult, & indurare quos vult. Id colligitur ex eo quod peccant Patres in deſerto, & ex juſtitia pereunt; peccant poſteri ex iis oriundi,& ex gratia ſalvantur. 10. Interim nulla vis fit voluntati aut arbitrio libero, ſive pereuntium ſive ſalvatorum: liberè ambulant hi in via ſalutis, & liberè illi in via perditionis: ex fœdere ſeu contractu voluntario agitur cum utriſque. 11. In pereuntibus cauſa eſt perditionis ſuæ juſtiſſimæ: cauſam intellige meritoriam & culpabilem. Id ex eo colligimus, quod rationem perditionis Patrum reddat Deus, ab ipſorum peccatis: *Illi fœdus meum violârunt;& ego deſpexi eos.* Sed in iis qui ſalvantur, nulla reperitur cauſa ſalutis: tota eſt in Dei ſolius gratia; *Peccatorum non recordabor amplius.* 12.Satagit juſtitiæ ſuæ Deus in pereuntium perditione,quod præcepta & minas aliaq; moralia impedimenta poſuerit ne peccarent,etiamſi efficaciter non impediat ipſorum innatam ad peccandum inclinationem, & proclivitatem. Id colligimus ex eo,quod cum Patribus incredulis ſe fœdus pepigiſſe dicat,quod *fœdus ipſi violârunt.* 13.Viſum eſt Deo non tantum præcepta ſua dare hominibus de ipſorum officio,ſed etiam decreta & conſilia ſua aliquatenus aperire: ut admiſſi,quaſi in abditos ſapientiæ,& bonitatis & juſtitiæ theſauros, ſaperent magis, & ad officium ſuum præſtandum magis incitarentur. Id colligimus ex revelato decreto Electionis,hoc loco, de poſteris ex ſemine Iſraelis oriundis, & in fœdus novum trahendis. 14. Revelat autem decretum de hominum Electione ad ſalutem *in genere* tantum, non deſcendens ad revelationem ſpecialem ſingulorum nominum. Id colligimus ex eo,quod domeſticos Iſraelis, & familiam Jehudæ pollicetur ſe converſurum, non nominatis ſpecialiter electis illis, ad tantam gratiam deſignatis & deſtinatis. 15. Etiamſi Electorum nomina (paucis exceptis) celat Deus ante Converſionem ipſorum: proponit tamen indicia & τεκμήρια, ex quibus poſt Converſionem alii eos dignoſcant; ipſique ſeipſos certo ſciant Electos eſſe. Id colligimus ex eo, quod fœderatorum notas certiſſimas ponat, eſſe Dei populum, ſeu, cultores Dei, *Deum cognoſcere, inſcriptum habere in corde ſuo legem Dei*,&c. 16. Quod vero attinet ad reprobationem: nulla ejus ſtatui vult Deus indicia, (ſi excipias unum illud peccatum ad mortem; idque obſervandum non niſi in pauciſſimis) quandiu in vivis agunt rejectitii:

ctitii: ita ut nemini liceat, vel se vel alium quemvis à Resipiscentia, & misericordiæ Dei beneficio (dum patientiæ & longanimitatis divinæ adhuc dies est) excludere. Id colligimus ex eo, quod non nisi de jam mortuis, incredulis illis Patribus, reprobationem seu rejectionem manifestaverit, eamq; in genere tantum, non autem editis speciatim ipsorum nominibus. 17. Quamvis in fædere gratiæ de salute applicanda tam sapienter res geratur, ut & celetur pactum, seu decretum Redemptionis in specie, & interim perficiatur, in singulari applicatione gratiæ, prout ex fædere statutum est inter Deum & Mediatorem: in hoc tamen manifestatur fædus Redemptionis non esse de omnibus & singulis hominibus, quod fædus gratiæ non offeratur singulis Nationibus, nedum singulis hominibus; Sed seligatur ex Nationibus populus Israeliticus in consortium fæderis, præ omnibus Gentibus & nationibus quæ sunt in terra: sicut dicitur, *Psal.* 147. 19, 20. ubi speciatim nominatur *Domus Israelis* & *Jehudæ* præ omnibus aliis familiis in terra. 18. Ut decretum Electionis in specie simul celetur & perficiatur, omnes fæderatos, in litera pariter & in spiritu, communibus nominibus insignit Deus. Id colligitur ex eo, quod rejectitii illi in deserto, communi nomine *Patrum*, appellantur; & Ecclesia illa, ex Electis & Reprobis, communiter ejus *sponsa* hîc vocatur; & fæderati posteri Electi, communi nomine *Domus Israelis* & *Jehudæ* designantur. 19. Quales sunt fæderati, tale aptatur illis fædus, aut, tale saltem evadit fædus in eorum persona. Rejectitiis, fædus gratiæ fit temporarium; mutatur in fædus operum ipsorum vitio, & irritum redditur, ut ipsi rejiciantur & pereant: Fædus vero gratiæ, Electis manet gratiæ fædus, & perpetuum; ex quo ipsi nec excidunt, nec excidere possunt, prout comparatio hîc instituta à Deo manifestum facit. 20. Sapienter connectit vitam cum via quæ ad vitam tendit, & mortem cum via quæ ad mortem ducit; nec separari sinit ea quæ ipse conjunxit. Hoc ex eo colligitur, quod *Patres* non permanendo in fædere à Deo despiciuntur, & pereunt; *Posteri* Electi, legem in cordibus habendo, & Deo indivulsè adhærendo, servantur. 21. Doctrinam de Electione aliquorum & reliquorum reprobatione, de fædere contracto cum aliquibus, prateritis aliis; de fædere inito cum aliis atque aliis, aliter atq; aliter, vult Deus in Ecclesia prædicari: in eum finem, ut auditores resipiscant, & credant in Deum; non vero ut desperent, aut in morum licentiam doctrinam hanc trahant. Id colligimus ex eo, quod Deus jubet *Jeremiam* hæc docere in usum non solum Ecclesiæ in exilium jam abeuntis, sed in usum omnium qui verbum Domini ad finem mundi audituri erant. Et id *Paulus* verba *Jeremiæ* in usum Judæorum & Gentium citans, nobis confirmat.

CAPUT VIII.

De prudenti applicatione fœderum divinorum in genere.

DIctum eſt de fœderibus divinis in genere: Reſtat ut de eorum prudenti applicatione aliquid dicamus. Applicatio autem, alia eſt *Dominica* à Deo ſolo facta, quæ eſt bonorum ex fœdere communicandorum efficax donatio, ſeu operatio in hominibus: Alia eſt applicatio *miniſterialis* per homines, quæ eſt mediorum à Deo inſtitutorum, ut per ea Deus bona ſpiritualia, communia & ſpecialia, modo ordinario, efficaciter communicet pro beneplacito ſuo, quibus, quando & quantum vult, ſicut docet *Paulus*, 1. *Cor*. 3. 6. *Ego plantavi, Apollos rigavit: ſed Deus dedit incrementum*. Bona autem ſpiritualia, quæ Deus efficaciter operatur, communiter vel ſpecialiter in Verbi ſui auditoribus, plurima ſunt: in quorum numero cenſeri poſſunt iſta. 1. Intelligentia doctrinæ in Scriptura revelatæ. 2. Agnitio authoritatis Scripturæ ſacræ, ſeu hiſtorica & dogmatica fides habita veritati in Scriptura declaratæ. 3. Fides applicans doctrinam de humani generis peccato & miſeria, de liberatione per Chriſtum, ſeu de juſtitia & vita per eum habenda, & de judicio Dei in fidelibus abſolvendis, & reliquis condemnandis, confuſè & in genere. 4. Conſcientiæ excitatio ad ſpecialem examinationem vitæ cujuſque ſuæ, & ad ſententiæ dictionem de ſe ſecundùm legem & tenorem fœderis operum, h. e. ad ſe judicandum reum mortis propter peccatum. 5. Dolor peccatoris, ex ſenſu reatus ſui, cum metu & cruciatu animi, ex ſenſu maledictionis divinæ incumbentis reo, & porro perſequentis reum, propter ipſius peccata. Quæ omnia, in genere bonorum à Deo datorum, numerari debent: quia naturâ ſua inſervire poſſunt præparando peccatori ad Reconciliationem. *6*. His addatur ſpecialior conſideratio & cognitio Redemptoris & Mediatoris Ieſu Chriſti, officiorumque ejus quæ ille ſuſcepit, & exequutus eſt, (& porro exequuturus eſt,) ut juſtitiam & vitam æternam confugientibus ad ſe impetraret, & applicaret. 7. Deſiderium Reconciliationis, ſimul & Remiſſionis peccatorum, per & propter Chriſtum à Deo obtinendæ. 8. Perſuaſio peccatoris de poſſibilitate Reconciliationis ſuæ cum Deo habendæ, per & propter Chriſtum; & bonæ ſpei de ſalute ſua inchoatio. *9*. Seria conſideratio, & admiratio conditionis à Deo propoſitæ in fœdere gratiæ, nempe, quod Deus à peccatore, in ſenſu peccati ſui & impotentiæ ſuæ proſtrato, nullam requirat perſonalem dignitatem, nullum opus bonum quod peccatorem Deo commendet; Sed tantum ut reci-

recipiat Christum in Evangelio oblatum, ut unicum necessarium & sufficiens remedium adversus peccatum & miseriam, seu, ut peccator in se condemnatus, fugiat ad Christum Redemptorem, offerentem se peccatoribus in Evangelio, & se in ejus ulnas conjiciat, ut propter, & per eum non tantum justificetur, sed etiam sanctificetur & salvetur. 10. Voluntatis evidentior inclinatio ad consentiendum in fœdus gratiæ, & ad prædictam conditionem præstandam, seu, ad credendum in Christum. 11. Fidei lucta adversus tentationes, solicitantes hominem, sive ad desperationem, sive ad dubitationem de misericordia Dei. 12. Regenerationis, Conversionis, Justificationis & Adoptionis, clarior manifestatio facta à Spiritu Sancto, fugienti ad Christum, eique adhærenti. 13. Credentis assertio juris sui in Christum, & ad privilegia filiorum Dei, quæ in Evangelio declarantur. 14. Obsignatio fidei credentis, à Spiritu Sancto, per pacem & lætitiam credenti datam pro arrhabone hæreditatis, plenè tandem possidendæ. 15. Amoris erga Deum ferventioris in corde credentis excitatio, & languentis in eo amoris resuscitatio. 16. Sincerum studium pietatis & justitiæ exercendæ in corde credentis fixum, & frequentius repetitum desiderium communionis cum Deo in spiritu colendæ, augendæ, & renovandæ per Iesum Christum. His addi possunt reliquæ omnes Spiritus Sancti operationes, quibus Ille solet fideles magis magisque illuminare, dirigere, excitare, roborare in viis Dei, consolari in afflictionibus & mortificare in illis peccati originalis corpus, seu veterem hominem, internum autem hominem de die in diem magis magisque renovare, & ad Imaginem Christi conformare: Atque hæc est efficax, seu *dominica applicatio bonorum & donorum*, quæ secundùm tenorem & ordinem fœderum divinorum à Deo promittuntur: de qua applicatione non est nostri instituti pluribus agere. Nam ea de qua nos loquimur prudentia, non in Dei applicatione bonorum requirenda est; sed in *Ministeriali applicatione* externorum mediorum, Spiritus Sancti operationibus inservientium, quæ fit per homines, investiganda est.

2. Externa autem media, quæ prædictis Dei operationibus inserviunt, sunt. 1. Salutaris doctrinæ in Scriptura descriptio, ejusq; Lectio privata & publica, ut cognitio aliqua habeatur de Deo & ejus operibus, de miseria hominis, de ratione liberationis per Christum, & gratitudine à Redemptis Deo debita. 2. Voluntatis divinæ per Ministros missos cum autoritate prædicatio, seu, textualis expositio & explanatio Scripturæ, ut ad applicationem doctrinæ in usum auditorum via sternatur. 3. Fœderis operum, & iræ Dei adversus peccatores propter violatam Dei legem declaratio, cum applicatione ad auditores. 4. Propositio novi fœderis in nomine Dei, de gratia & misericordia, pan-

gendi,cum omnibus agnoſcentibus peccata ſua, & Chriſtum Liberatorem in Evangelio oblatum recipientibus. 5. Invitatio auditorum cum autoritate,ut reſipiſcant & confugiant ad Chriſtum,ſeq; ſubmittant Redemptori Chriſto, aperienti & offerenti Regnum Cœlorum omnibus hoc donum Dei oblatum recipientibus. 6. His mediis addantur obteſtationes quæ præponuntur in Scriptura,ne auditores negligant tantam ſalutem, unâ cum obſecrationibus ut reconcilientur Deo, qui à tempore lapſus primorum parentum in hunc uſque diem,in Chriſto reconciliabat ſibi mundum (2. *Cor.*5,19.) non imputando credentibus peccata. 7. Confirmentur & acuantur hortationes ad fœdus gratiæ pangendum, & conſentiendum ad conditionem fœderis præſtandam, per omnia argumenta,quæ Scriptura ſuppeditat, ab honeſto, utili, & jucundo: Specialiter vero, proferendo ex Scriptura vota illa vehementiſſima Dei ſitientis ſalutem hominum, & lamentationes Dei peccatorum pervicaciam deflentis. Et imprimis,urgeatur mandatum illud Dei imperioſè jubentis, *ut credamus in Filium Dei unigenitum,& diligamus alii alios, ſicut ipſe mandavit nobis*, 1.*Joh.*3.23. Et denique proferantur comminationes terribiles, quas Deus edidit in Scriptura, de perditione æterna,& conjectione peccatorum in ignem Gehennæ, niſi auſcultaverint vocanti Deo,& in Chriſtum crediderint. His aliiſque hujus generis mediis ſolet Deus efficaciter flectere corda ſuorum, & efficere non ſolum, ut omnes qui ordinati ſunt ad ſalutem,credant;Sed etiam ut multi vocati & non electi,morali ſuaſione inducti,per fidem temporariam in fœdus conſentiant. 8.Octavum medium eſt,admiſſio & receptio in ſocietatem externam Catholicæ Eccleſiæ, omnium conſentientium in fœdus gratiæ & fidei obedientiam ſpondentium, unâ cum ipſorum liberis, ſecundùm promiſſionem factam *Abrahamo*, & legem poſitam Chriſto conſecratis omnibus, per ſolennem fœderationem. 9. Fœderatorum parentum & liberorum ſuorum Baptiſmus per aquam, ad obſignandum fœdus inter Deum & fœderatos, de bonis omnibus in Evangelio promiſſis, ſub conditione fideî in Chriſtum dandis. 10. Cœnæ dominicæ ab adultis participatio, & cultus divini publici ſocietas in precatione, verbi divini prædicatione,pſalmodia, aliiſque Dei inſtitutis. 11. Diſciplinæ eccleſiaſticæ, & cenſurarum eccleſiaſticarum exercitium. Quibus addi debent, domeſtica inſtructio, honeſta colloquia, mutuæque admonitiones privatæ, ad ædificationem in fide & charitate, reliquaque officia in Scriptura commendata. In horum mediorum uſu, maximèque in Verbi Dei diſpenſatione, ſeu fœderum divinorum applicatione, prudentia Paſtoris requiritur.

3. Applicatio autem fœderum divinorum, ſeu Verbi divini mediorum in

eo præſcriptorum à Paſtore facienda; Alia eſt publica pro concione; Alia vero privata, quæ per colloquia ſancta, ubi ritè fieri poteſt, vel per literas procuranda eſt. De utraque hac applicatione, paucula præmittemus generalia: deinde ad ſpecialiorem applicationem deſcendemus.

4. Remedium omnis morbi, qui Conſcientiæ accidit, petendum eſt ex doctrina ſalutari, prius cognita & credita ab ægro. Ut ergo applicatio prudenter fiat, neceſſario inſtituendus eſt æger in cognitione doctrinæ applicandæ, priuſquam doctrina cum fructu poterit ipſi applicari. Experientia enim teſtatur, quam difficile ſit ignaros conſolari, quandocunque ipſorum Conſcientia expergiſcitur, vel terroribus agitatur: quia neque cauſas moleſtiæ quam ſentiunt, ex verbo Dei didicerunt; Neque remedii malorum quæ metuunt capaces ſunt, niſi prius in Capitibus Catecheſeos inſtituantur: quod nec exiguo tempore fieri poteſt; nec in eis, qui morti jam propinqui ſunt, poſſibile eſt.

5. Ordo applicandi doctrinam ſalutiferam, non incipit ab applicatione fœderis Redemptionis, aut ab applicatione fœderis gratiæ; Sed incipit ab applicatione fœderis operum, & Legis moralis, ſub cujus jugo, omnes per naturam naſcuntur filii iræ: cui applicationi ritè receptæ, ſuccedere debet applicatio Evangelii, ſeu fœderis gratiæ; in quod quando peccator ſincerè conſenſit, fidelis cenſetur à Deo, & jam licet ei aſcendere ad applicationem bonorum à Chriſto impetratorum ex fœdere Redemptionis. Hunc ordinem multi non obſervant; ſed incipientes à fœdere Redemptionis, volunt prius ſibi ſatisfieri de certitudine Electionis ſuæ, priuſquam exercitium mediorum ad reſipiſcentiam, & fidem tendentium, aggrediantur: Et horum tentatio tendit vel ad diſſolutam profanitatem, vel ad deſperationem anxiam. Alii, neglecto fœdere operum, nihil ſerio cogitantes de peccatis ſuis, ſtatim proſiliunt ad fidem ſuam in Chriſtum aſſerendam, & ad numerandum ſeipſos inter Electos, ab æterno datos Chriſto redimendos & ſalvandos; gratiamque Dei convertunt ad licentiam morum, & ad libidinum ſuarum ſatisfactionem. Quapropter neceſſe eſt, ut unuſquiſque qui ſalvari cupit, & rationem ſalutis conſequendæ ſequi ſtatuit, incipiat à Lege Dei, ſeu à fœdere operum, & ſecundùm moralem Legem examinet, judicet & condemnet ſeipſum, ut reum maledictionis Dei & iræ æternæ, propter peccata. Deinde, ubi convictus eſt de peccato & maledictione merita, & de impotentia ſua ad ſe liberandum, fugere debet ad Chriſtum, & applicare ſibi gratiam in Evangelio oblatam, ſecundùm tenorem gratioſi fœderis in Evangelio pleniſſimè revelati. Deniq; ubi ſerio conſenſit in fœdus gratiæ, ſeu Reconciliationis, Chriſtumque fide non ficta apprehendit, eo fine, ut in eo Remiſſionem peccatorum, & vitæ ſuæ

renovationem obtineat, jam licet ei ad fœdus Redemptionis ascendere; & nomen suum, quasi descriptum in libro vitæ, legere. Et nisi hic ordo observetur, non potest legitimè, & cum fructu ad salutem fieri applicatio. Periculosum ergo est, neglecto hoc ordine, unumquemque auditorem Evangelii urgere, ut in prima (quasi) instantia, credat *Christum pro se esse mortuum*: quia Christus neminem vocat ad Remissionem peccatorum applicandam, nisi eum qui prius peccata sua, & mortis reum se esse propter peccatum agnovit: *Non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam, Luc.* 5.32. Nemo vocatur ad credendum se esse in numero ovium Christi, pro quibus Christus vitam posuit; vel in numero eorum, quos ipsi Pater dedit redimendos, nisi prius venerit ad Christum, ejusque disciplinæ, & curæ pastorali, se ex fide subjecerit: *Non oro* (inquit) *pro mundo, sed pro eis quos dedisti mihi ex mundo, Joh.* 17.9. Et nemo sciet se Christo datum, nisi prius venerit ad eum, *Joh.* 6.37.

6. Ordo etiam servandus est in applicatione bonorum in Evangelio oblatorum. In Evangelio enim, primo offertur ipse Christus, ut unicum & sufficiens remedium adversus peccatum & miseriam: Deinde, amplectenti Christum promittuntur omnia Christi beneficia per Christum, & in Christo habenda & possidenda, qualia sunt, justitia, adoptio, Spiritus Christi inhabitatio, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo & temperantia, &c. *Gal.* 5.22. Nemo enim jus habet in beneficia Christi, priusquam crediderit in Christum: sed statim ubi quis per fidem apprehendit Christum, aperitur ei ostium & aditus ad thesaurum gratiæ, & jus ei datur ad omnia Christi beneficia: omnes enim promissiones, non extra Christum, sed in Christo, sunt fidelibus etiam & Amen.

7. Perperam ergo faciunt, maleque sibi consulunt, qui accedentes ad thronum gratiæ, præscribunt Deo ordinem alium, quam ipse illis posuit, postulantes ut Deus det ipsis *primo* consolationem & pacem sensibilem in corde suo, & ita roboret, ut bona opera faciant, quæ hypocritæ præstare non possunt. Quæ si Deus dederit, & jam data esse manifestaverit, tum pollicentur se credituros in Christum. Quod si vero ista sibi minimè data esse perceperint, statim cum dolore animi profitentur se non audere ad Christum venire. Tentatio hæc invertit ordinem vocationis divinæ: Christus enim non vocat ad se operantes, seu fidem suam in operibus suis fundantes; Sed *vocat* peccatores renunciantes fiduciæ in operibus suis; *vocat* perditos (in sensu suo) & impotentes ex se ad cogitandum bonum, ut justitiam Dei quæ est per fidem habeant in Christo: & vult ut, secundo loco, virtutem Spiritus Sancti, ad edendum bonos fructus, per fidem sugant ex Christo, sicut palmi-

tes succum trahunt ex vite: hunc enim ordinem præscribit Christus discipulis suis, *Joh.*15.4. *Si manseritis in me, feretis uberem fructum, & seorsum à me nihil potestis.* Qui igitur vel nolunt credere in Christum, vel putant sibi non licere ad eum accedere, nisi prius sentiant in se vitæ emendationem, & fidei suæ fructus evidentes, conditionem fœderis gratiæ immutant, & fidem ab operibus suspendunt, cum deberent tanto ardentius ad Christum fugere, eumque amplecti, quanto magis se impotentes sentiunt ad fructus ferendum; Cum deberent apprehensum Christum per fidem, tenacibus amplexibus tanto arctius retinere, eumque assiduis precationibus urgere, ut promissionem suam de uberioribus fructibus ferendis ipsis præstet, quanto magis suam sterilitatem sentiunt.

8. Omnes qui per fidem justificantur, urgendi sunt, ut sincerè studeant Decalogum seu Legem moralem observare, ut perpetuam normam bonorum operum à Deo præscriptorum: Christus enim non venit ut solveret Legem, sed ut eam impleret, *Matth.*5.17. Solvit quidem *fœdus* Legis, seu *jugum fœderis operum*, non tantum docendo, *ex operibus Legis non posse justificari ullam carnem in conspectu Dei: quia per Legem est agnitio peccati*, *Rom.*3.20; Sed etiam absolvendo à condemnatione omnes per fidem justificatos, non ambulantes secundum carnem, sed secundùm Spiritum, *Rom.*8.1. ne quis, in Christo manens, lugens peccatum inhabitans, & adversus illud luctans, Spiritumque Sanctum ductorem sequens, condemnationem metuat: Sed non cum *jugo fœderis* solvit etiam *jugum obedientiæ*, Legi morali debitæ: Verum contra, venientibus ad se, ut Remissionem peccatorum habeant, præscribit (*Matth.*11.29.) ut jugum ipsius suscipiant, & fructus novæ obedientiæ producant. Et hic est ordo quem Apostolus præscribit, *Tit.* 3.8. *Certus est hic sermo, & hoc volo te asseverare, ut qui crediderunt Deo, studeant bonis operibus* (non tantum agendis, ut in iis excellant, aliisque exemplo præeant; Sed etiam) defendendis, *hoc enim bonum est & utile hominibus.*

9. Præcepta omnia moralia ita sunt urgenda, ut auditores, sive convertendi, sive jam conversi, per ea (sive ut præstanda, sive ut observata, sive ut violata) ducantur ad Christum, ut Lex aliquo modo semper sit Pædagogus ad Christum: Nam ante Conversionem, per Legem manifestandum est peccatum, peccatique jam admissi meritum ostendendum est, ut videat convertendus se periturum, nisi ad Christum Redemptorem confugiat, ut in eo habeat Remissionem peccatorum. Et *post* Conversionem, per præcepta convincendus est fidelis officii sui, & impotentiæ ad obedientiam præstandam, nisi virtus ei, & ad volendum bonum & operandum à Christo communicetur,

nicetur. Et porro urgendus est fidelis, ut secundùm eadem præcepta, opera sua bona examinet, & imperfectionem operum examinatorum agnoscat, ut humilietur in se, & glorietur in sola justitia Christi imputata, Christoque acceptum referat quicquid boni præstitum est à se.

10. Comminationes etiam omnes ita sunt in genere omnibus applicandæ, ut auditores, sive convertendi, sive conversi, quasi calcaribus urgeantur ad Christum currere, qui solus à reatu, & ira, & morte merita convertendos liberare potest,& qui conversos à merita pœna sententiæq; executione solus liberavit; & solus efficere potest, ut caveant sibi ab illa via cui maledixit Deus. Inserviunt autem comminationes,respectu conversorum, ut non tantum premantur, ad abscondendum se sub alis propitiationis,quæ est in Christo; Sed etiam ut humilientur in se, perspicientes se merito suo, in periculo fuisse pereundi;& excitentur ut ardenti amore Christum amplectantur, propter liberationem ab ira toties præstitam, quoties se jam peccasse observârunt.

11. Peccator convictus jam de peccato & impœnitentia sua, & cordis sui duritie, non est deterrendus ne prius adeat Christum, quam pervenerit ad præscriptam aliquam mensuram contritionis: quam mensuram inexperti ali-Medici, ab ægrotis & resipiscere cupientibus, nimis rigidè exigunt, metuentes,ne nimis cito consolationem ministrantes ægris conscientiis, resipiscentiam impedirent, & præsumptionem vel procurarent, vel alerent: Nam resipiscentiæ donum dare, solius est Christi, *qui venit vocatum peccatores* (in sensu suo convictos de peccato,& destitutos resipiscentia) *ad resipiscentiam, Matth.9.*13.Agnosco enim lubens periculum esse,ne quis aculeo Conscientiæ leviter punctus, non pendat serio peccati sui pondus & meritum,sed labiis tantum appropinquet ad Christum. Verum agnoscendum est etiam, ex altera parte, periculum esse,ne quis, qui in sensu suo destitutus est resipiscentia, putet resipiscentiam obtineri posse labore suo solo, sine Christo, vel antequam adeat Christum,ut ab eo,& ex ejus thesauro,donum resipiscentiæ habeat: Nam, *Act.* 5.31. *Christum ut Principem & Servatorem exaltavit Deus dextrâ suâ,ut det Resipiscentiam Israeli, & Remissionem peccatorum.* Cavendum etiam ne æger deterritus & exclusus ab aditu ad Christum, in præparatoriis exercitiis ita hæreat, ut non imploret opem Christi, nimiumque tribuat corporalibus exercitationibus, quasi aliquid mererentur: Non enim est metuendum, ne quis ad Christum accedens,statim habiturus sit consolationem; quia novit Christus prudenter tractare venientes ad se; habet collyrium dandum,& vestimentum & aurum iis, qui cœci,nudi,& egeni sunt: Divites tamen in sensu suo, pulsantes ostium gratiæ,suspendere solet,

&

& arcere aliquantisper ab observabili accessu, donec humilientur & sitiant esuriantque justitiam Dei serio.

12. Non est dilatanda via illa angusta ad Regnum cœlorum, nec ita prædicandum est Evangelium, ut fræna laxentur hominum cupiditatibus, quasi credentium peccata vel nulla essent, vel levia, vel leviter detergenda: non est enim Deus fautor iniquitatis. Quicunq; enim gratiam Dei vertunt in licentiam, certè illi nec legem Dei, nec Evangelium Christi intelligunt: quapropter ita temperanda est prædicatio Legis & Evangelii, ne vel ex altera parte despondeant animum aspirantes, ad Christum, & per Christum, ad mortificationem carnis: vel ex altera parte lascivientes in fidei professione, confirmentur in iniquitate. Deus enim apertè declarat hunc esse sensum scopumque & comminationum & promissionum suarum omnium, *Ezech.* 33. 10, 11, 12, ad 20. Et Christus (*Matth*, 5.19) ex censu salvandorum delet omnes, qui moralia præcepta irrita reddunt, docentque alios ea transgredi.

13. Quia Deus iisdem argumentis in Verbo suo utitur ad moralem persuasionem, & ad fidem salvificam, novamque obedientiam producendam & promovendam, vis argumentorum divinorum, prout datur occasio, est ostendenda, acuenda & urgenda, ut rationibus convicti auditores de præceptorum applicatorum sanctitate, & officiorum utilitate & necessitate, *moraliter* saltem in prima instantia persuadeantur; In eum finem auditores hortandi, ut argumenta illa recolant & perpendant ut ratiocinando apud se, animum suum inducant ad credendum Verbo Dei. Sic faciebat *Paulus*, sermonem dirigens ad *Felicem*, cujus Conscientiæ arcem hoc quasi ariete pulsavit & concussit, *Act.* 24. 25. Sic agebat cum Rege *Agrippa*, cui ferè persuasit ut Christianus fieret, *Act.* 26. 28. Sic studebat apud omnes auditores Verbum Dei prædicare, & declaratum applicare & urgere, ut omnibus persuaderet, 2. *Cor.* 5. 11. *Scientes igitur terrorem illum Domini, hominibus persuadere conamur.* Idem docuit omnes Christi discipulos, ratiocinandi facultatem exercere in negotio fidei & obedientiæ, ut propositis sibi argumentis, ex Dei Verbo petitis, quasi subductis calculis conclusiones inferrent, seque sanctâ suâ ratiocinatione constringerent ad credendum & obediendum Verbo Dei, *Rom.* 6. 21. *Ita vos ratiocinando reputate, vos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere Deo per Christum.* Et 2. *Cor.* 5. 14. 15. exemplum in sua praxi proponit hujuscemodi argumentationis.

14. Quia Deus variè exercet homines pro sapientia sua, ut patientiâ & longanimitate, indulgentiâ & bonitate, vel ferulâ & castigatione suâ, omnes ducat ad resipiscentiam: Idcirco usus omnis generis tentationum, afflictionum, beneficiorum & dispensationum providentiæ divinæ, cordate docendus

est,ut homines Dei bonitatem,& longanimitatem, sua peccata & Dei justitiam,sua malè merita & Dei gratiam ita agnoscant, ut resipiscant,confugiantque ad Christum in quavifcunque exercitatione, in quavifcunque Dei erga ipsos dispensatione,in rebus prosperis & adversis, quomodocunque Deo visum fuerit eos tractare.

15. Doctrina reprobationis nemini particulariter & determinatè applicanda est: neque suspicio orta in alicujus animo de reprobatione sui,fovenda est: quia reprobatio est in secretis Dei decretis, de quibus non est nobis judicandum,priusquam ipse Deus revelaverit decretum suum; Sed contra, urgendi sunt omnes auditores,ne hostili sint in Deum animo, ne de ipso sentiant aliter quam de fideli Creatore, justo quidem, sed etiam misericordi, longanimi,patiente,benigno erga bonos & malos. Satis enim urgebit Satan hanc tentationem, & suspicionem de Deo,in animis eorum, quos Deus affligit, etiamsi non adjuvetur per imprudentem Verbi Dei applicationem, ad hunc vel illum peccatorem. Quapropter etiam quandocunq; miseranda conditio eorum qui sunt extra Christum aperienda est, & applicanda populo in communi, aut declaranda alicui homini in peccatis jacenti, semper appareat Pastoris compassio erga miseros,& desiderium salutis eorum: nec unquam in miseris peccatoribus, est extinguenda vel præcidenda spes emergendi ex illa conditione misera, & transeundi in Regnum gloriosum gratiæ Christi.

16. Omnis doctrinæ & applicationis scopus sit, ut peccatores, humiliati in sensu injustitiæ,inopiæ,infirmitatis,& indignitatis suæ, ducantur ad Christum, ut ei per fidem magis magisque agglutinentur, in ejus amore crescant & quiescant, Deum in eo,& eum ut Deum quærant, amplectantur, osculentur,& colant in Spiritu, Regnumque ejus pro virili in vocatione quisque sua, in se & extra se promoveant. Idcirco in eum finem describendus est Christus,prout se proponit nobis in Verbo suo,ut neque Deitatis ejus incarnatio,neque ulla alia Dei incarnati humiliatio, quicquam detrahat æstimationi ejus, qui unus est cum Patre & S.Sancto Deus; neque majestas ejus divina deterreat quenquam cupientem ad eum accedere.Sed contra, ut naturarum unio,& officiorum susceptio,omnes alliciant ad eum ut *Mediatorem*, qui non est acturus cum accedentibus ad ipsum ut *Judex*, sed ut *Advocatus*, *Fidejussor* & *Intercessor*, plenam salutem daturus omnibus accedentibus ad Deum per ipsum.

17. Inculcandum auditoribus, & publicè pro concione, & privatim in colloquiis, ad Regenerationem & Conversionem peccatoris solidè inchoandam, hæc tria necessario requiri. 1. Ut peccator se examinet, judicet &

condemnet secundùm tenorem Legis Dei, seu, fœderis operum. 2. Ut fugiat condemnatus ad Christum Liberatorem, eumque in Evangelio se offerentem recipiat, & per fidem non fictam amplectatur ut unicum necessarium & sufficiens remedium adversus omne peccatum, & miseriam omnem peccato adhærentem. Et 3. Ut fixo cordis proposito, constanter adhæreat Christo, seque totum illi in disciplinam tradat, ut per ipsum sanctificetur & salvetur: Nam quandocunque S. Sanctus hominem regenerat, efficit ut efficaciter vocatus hæc tria officia præstet sincerè. Similiter inculcandum ad Regenerationem seu Conversionem inchoatam dignoscendam & promovendam, hæc tria requiri, nempe, 1. *Resipiscentiæ exercitium*, seu peccati inhærentis & propriæ indigentiæ permanens sensus, ad humilitatem & sui abnegationem subinde exercendam faciens. 2. *Exercitium fidei*, seu assidua imploratio Christi ad succurrendum & auxilium ferendum prout res postulat. 3. *Exercitium charitatis*, seu novæ obedientiæ, ex dilectione Dei & proximi in virtute Christi, præstatio.

CAPUT IX.

De prudenti applicatione fœderum Divinorum specialiori, in removendis Regenerationis impedimentis.

Dictum est de prudenti applicatione fœderum divinorum in genere. Sequitur, ut de Casibus seu morbis Conscientiæ circa Regenerationem curandis, per specialiorem applicationem agamus. Ex his, Alii tendunt ad Regenerationem impediendam ne omnino fiat: de quibus in reliquo hoc libro agemus. Alii tendunt ad Regenerationem inchoatam obscurandam, & quæstiones movendas, & dubitationes fovendas in Regenito de ipsius statu, sitne regenitus? vel an sit in statu gratiæ? de quibus libro sequenti. Alii denique tendunt ad conditionem Regeniti vitiandam, seu ad decipiendum Regenitum circa conditionem suam in statu gratiæ: & de his in libro tertio agetur. Quod ad primum genus attinet: Morbi impedientes Regenerationem non facilè numerantur propter multitudinem fallaciarum, quibus irregeniti decipiuntur. Sed satis erit ad institutum nostrum, paucos aliquot Casus (quasi exempli causa) nominare: in quibus tractandis, ratio curandi alios similes morbos poterit observari.

2. In his enumerandis, non est exacta methodus aliqua à nobis expectanda, vel Casuum à se invicem ulla distinctio accurata quærenda: partim, quia vitia multa in uno Casu, variè inter se complicari possunt: partim, quia in

omnibus casibus seu morbis, aliqua vitia eadem aliter atque aliter in hominum Conscientiis suum virus effundere comperiuntur. Idcirco facilioris doctrinæ causa, Nos, omnes irregenitos Regenerationem suam impedientes, rudiori divisione in tres ordines dispescemus. Primus ordo, est, aversantium examen & judicium Conscientiæ suæ, ne illa pronunciet sententiam de ipsorum statu. Secundus ordo, est judicantium se secundum Legem Dei & desperantium de remedio. Tertius ordo, est seipsos decipientium in examine, falsôque se absolventium sub prætextu aliquo.

3. Quod ad primum ordinem, aversantium scilicet examen & judicium Conscientiæ suæ attinet: Nominabimus tantum septem morbos, seu impedimenta examinationis & judicationis irregeniti à Conscientia sua. Primum impedimentum seu morbus, est *Crassa ignorantia* revelatæ veritatis de statu peccatoris, sub peccato & ira jacentis, de liberatione per Christum habenda, & de gratitudine propter liberationem debita. Secundum est, *Error in dogmatibus Religionis*, in quo quandiu hæret peccator, non potest rite humiliari, non potest suam sapientiam, suas vires seu potentiam ad se liberandum, vel suam dignitatem & merita abnegare. Tertium, est, *Dissimulata infidelitas*, crassa hypocrisi incrustata, quæ regulam judicandi sui tacite rejicit. Quartum est, Conscientiæ *bruta stupiditas*, seu Conscientiæ cauterio inustæ callosa durities. Quintum est, *vanus prætextus periculi* examinationem sequuturi. Sextum est, *Ignava procrastinatio* examinationis & judicii de se ferendi. Septimum est, rerum terrenarum licitarum *studium immoderatum* & illicitum.

4. De his malis omnibus examinationem Conscientiæ impedientibus, observanda sunt hæc tria in genere. 1. Licet hæc mala plerunque accidant aliis atque aliis reprobis, non tamen solis reprobis contingunt: Nam etiam Electi nonnulli ante Regenerationem, aliquandiu malis his omnibus vel aliquibus laborare possunt: Quapropter Pastoris est, operam dare ut omnia hæc mala ab auditoribus removeanrur, ut Electos inter reprobos degentes convertat & salvet. 2. Distinguendum est inter voluntariam examinationem conscientiæ, & excitationem conscientiæ coactam, quæ fieri potest per verbi prædicationem, vel per afflictiones à Deo immissas. Prioris exemplum habemus, *Act.* 24. 25. in præside *Felice*, qui audiens *Paulum* disserentem de virtutibus & vitiis, & de Dei judicio totus trepidavit. Posterioris vero exemplum habemus in *Josephi* fratribus, quorum conscientiæ jam multos annos secure dormientes, per afflictionem tandem excitatæ sunt. Quapropter pastor operam dare debet, ut gladio Spiritus vomicam peccatorum turgentium in superbia sua aperiat, detegendo scelera ipsorum, & iram Dei

in eos denunciando, si forte Deus daturus sit iis resipiscentiam, sicut dedit auditoribus *Petri*, *Act.* 2.37.41. 3. Non debet pastor anxius esse de laborum suorum successu, quando res ei est cum præfractis peccatoribus, quorum Conscientiæ,nec accusationibus, nec comminationibus, nec hortationibus excitari possunt; Sed post media publice & privatim adhibita, committat rem Deo qui meseretur quorum vult, & quos vult justissime indurat: satis est quod omnes oves Christi tandem aliquando audient ejus vocem. Tantum ne desperet pastor de quoquam; Sed etiam de excommunicatis rationem ineat secundum Scripturas,ut illi resipiscant, uti monet Apostolus, 2 *Thess.* 3. 14,15. *Quod si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate; & ne commercium habete cum eo, ut eum pudeat. Non tamen ut inimicum ducite,sed admonete ut fratrem.*

5. Sed ut specialius de his malis agamus: Quod attinet ad removendum primum impedimentum examinationis Conscientiæ, *Crassam scilicet ignorantiam*; Non opus est ut de Catechetica institutione aliquid dicamus, cum in omnibus Ecclesiis formula aliqua sit Catecheseos, in qua salutiferæ doctrinæ rudimenta per modum quæstionum & responsionum pueris, & adultis rudioribus proponuntur. Tantum hoc Candidatis ministerii offerimus consilium, ad præparandum populum ad Catechesin aliquam felicius discendam. Quia Catecheseos formulæ descriptæ, fere omnes longiores sunt quam ut perlegi, vel recitatæ explicari, vel intelligi possint aliter quam membratim, & per partes divisæ, (quod quam longo tempore, & in quam paucis, & quam difficulter fieri poterit, experientia testatur) operæ pretium futurum existimamus, Si, convocatis simul rudioribus, profiteatur Pastor se summulam doctrinæ salutiferæ quasi in Tabella ante ipsorum oculos in sex vel septem articulis seu doctrinæ capitibus propositurum, ita ut unius horæ spatio,si attenti fuerint lineamenta doctrinæ Christianæ perspicere poterint. Qua præfatione usus, quam planissime & quam poterit brevissime aliquid dicat, 1. De creatione mundi per Deum Patrem, Filium & S. Sanctum; & de primorum parentum nostrorum formatione ad Imaginem Dei in sapientia, sanctitate & fœlicitate, & de fœdere operum, cujus summa hæc est, *fac hoc & vives; sin peccaveris, morte morieris.* 2. De peccato primorum parentum & fœderis violatione, in quorum lumbis omnes posteri peccarunt, & mortis rei cum ipsis facti sunt, secundum tenorem fœderis. 3. De fœdere Redemptionis inito ante tempora inter Deum Patrem, & Filium Jesum Christum designatum Mediatorem: cujus fœderis summa habetur, *Gen.* 3.15, *Semen mulieris conteret caput Serpentis.* i. e. Conventum est in Concilio Patris, Filii & Spiritus Sancti, quod æternus filius

Dei incarnabitur, & passionibus suis expiabit peccata Electorum, & destruet in eis opera Diaboli, peccatum scilicet & mortem. 4. De fœdere Reconciliationis pangendo inter Deum & Evangelii discipulos per Christum, cujus summa est, Quicunque agnoscentes peccata sua & malemerita sua, & impotentiam suam ad se liberandum, confugient ad Christum Redemptorem, ut in eo habeant sapientiam, justitiam, sanctificationem, & plenam liberationem à peccato & miseria, non peribunt sed habebunt vitam æternam. 5. De externis sigillis hujus fœderis, nempe de Baptismo, & Cœna Domini: per quæ obsignatur omnibus fœderatis ipsum fœdus, & bona omnia in Evangelio adultis danda confirmantur, si in Christum crediderint. 6. De necessitate novæ obedientiæ Legi Dei per fidem in virtute Spiritus Sancti præstandæ, seu de necessitate bonorum operum, ab omnibus fidelibus, ad gloriam Dei & sinceræ fidei probationem, præstandorum. 7. De Resurrectione corporum in secundo Christi adventu certissime futura. Quo tempore Christus Judex condemnabit ad pænas infernales, omnes contemptores Evangelii & operarios iniquitatis: fidelibus vero bonorum operum studiosis, præstabit omnia bona quæ Electis & fidelibus promissa sunt, ad summam & sempiternam ipsorum fœlicitatem. De his omnibus, ordine servato, sermonem habeat pastor quantum unius horæ spatio fieri potest, & subinde sæpius de die in diem aliis atque aliis verbis, iisdem auditoribus eadem capita inculcet, donec populus conceperit & intellexerit aliquid de omnibus his articulis: cujus rei periculum fieri poterit, post sermones aliquos de his habitos per quæstiones aliquas, quibus ut respondeant rudiores verbis suis, & prout ipsi rem capiunt rogandi sunt. His jam jactis fundamentis, appetitus excitabitur in populo plenioris explicationis horum capitum, & simul spes in illis aliqua fovebitur, de scripta Catechesi verbatim ediscenda, aut saltem cognitione pleniori ex ea accipienda: quem in finem subinde alliciatur populus ad proficiendum in cognitione Dei, per promissiones iis factas in Scripturis qui Deum in Christo noverunt, qualis est illa sententia Christi, *Joh.* 17.3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum.* Similiter etiam subinde comminationibus urgeantur auditores ad promovendum in salutari cognitione: ex quibus comminationibus hæc una esse potest, quæ habetur, 2 *Thess.* 1. 7, 8, 9, 10. Quod patefiet Dominus Jesus de cœlo, cum Angelis potentiæ suæ, cum flammeo incendio, infligens ultionem iis qui Dominum non noverunt, neque auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui pœnam pendent æterni exitii, damnati à præsente Domino & potenti ejus gloria: quum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in fidelibus omnibus in illo die.

6. In

6. In his ſeptem capitibus intelligendis, ubi ſemel inſtitutus eſt populus, & in eorum cognitione aliquouſque profecerit: Tunc applicatio urgenda eſt, 1. Ut unuſquiſque agnoſcat & confiteatur Deo peccata ſua. 2. In agnitione peccatorum ſuorum & male meriti ſui, ſecundum tenorem fœderis operum; confugiat ad Redemptorem Chriſtum per fidem, ſecundum tenorem fœderis gratiæ. Et 3. ut unuſquiſque qui credit in Chriſtum, Chriſti jugum ſuſcipiat, ad novam obedientiam Legi Dei præſtandam in virtute Chriſti.

7. Secundum impedimentum examinationis Irregeniti à Conſcientia ſua, quod fit per errores in dogmatibus Religionis, non facile removetur: Conſcientia enim per errorem decepta, abſolvit peccatorem à crimine, quantumvis atroci, quantumvis periculoſo, ſecureque contemnit omnes accuſationes & comminationes, quæ adverſus peccatum ipſius proponuntur, quandiu de errore non convincitur. Ad obdurandum autem peccatorem in errore ſuo, concurrere ſolent plerunque quatuor cauſæ. Prima, eſt verſutia & malitia Diaboli, qui quando non poteſt penitus omnes articulos doctrinæ cœleſtis obſcurare, nec Scripturam ſacram è mundo eliminare, ſolet per emiſſarios ſuos (ad hanc damnationem olim deſcriptos) doctrinas Dæmoniorum ſerere in Eccleſia viſibili, quibus (quantum fieri poteſt) miſeros homines detineat in peccato. Secunda cauſa, eſt prudentia carnis ſapientiæ divinæ adverſaria, quæ ad patrocinium cupidatum ſuarum vehementer fertur, & deteſtatur Dei veritatem cupiditatibus ſuis contrariam. Tertia cauſa, eſt multitudo conſentientium in errore, & ſibi invicem gratulantium quod in eo conſentiant. Quarta, eſt juſtum judicium Dei, qui in odio habentes veritatem immittit efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, & damnentur omnes qui non crediderunt veritati ſed acquieverunt in juſtitia.

8. Quoniam vero de hujus vel illius Reprobatione nulli conſtat, paſtori opera danda eſt, ut omnes ſalventur: quapropter ſi periculum videt imminere gregi ſuo, ab aliquo errore aut hæreſi aliqua, publice errorem ſolide refutet, eumque pro concione, ab effectis & cauſis ſuis, non minus odioſum reddat, quam peccatum flagitioſiſſimum adverſus ſecundam Legis Tabulam, oſtendatque multo magis periculoſum eſſe errorem illum, aut hæreſin illam, quam ſcelus aliquod adverſus ſecundam decalogi Tabulam: quia propter communen humanæ rationis lucem in officiis erga proximum, Conſcientia uniuſcujuſque oculatior eſt, & difficilius decipitur, quam in Religionis negotio, in quo nullam lucem habet in ſpecie, niſi ex ſpeciali revelatione per Scripturam: cujus ſenſus ſi ignoretur aut pervertatur, Conſcientia

præceps ſine reprehenſione ulla tacita, fertur poſt errorem & tenebras, quas naturaliter quiſque diligit magis quam veritatem & lucem.

9. Quando autem Paſtori res eſt cum errante ſeu Heterodoxo aliquo privatim, ſi liberum Paſtori fuerit colloquii ordinem ſibi præſcribere, non ſtatim initio inſtituendus eſt ſermo de errore, à quo Heterodoxum ſtatuit reducere; Sed ratio aliqua ineunda eſt potius, ut Heterodoxus intelligat nihil aliud intendi à Paſtore, quam ipſius ſalutem; & id ſuum eſſe inſtitutum, aliquando expedit Heterodoxo aperte ſignificare: in quem finem profitebitur ſe ambire Heterodoxi Reconciliationem cum Deo per Chriſtum, eamque ſe cupere (ſive factam ſive faciendam) promovere. Ex conceſſis ergo utrinque principiis, aperiatur meritum peccatorum, quorum ſi in genere ſe reum confitebitur Heterodoxus, urgeatur ſententia legis adverſus illa peccata, & Dei juſtitia, cui, niſi per illam immenſæ virtutis obedientiam Chriſti, non poteſt ſatisfieri. Hortetur itaque Heterodoxum ut ſe accuratius examinet & judicet ob peccata ea, de quibus non eſt controverſia, confugiatque ſerio ad Chriſtum ut gratiam inveniat apud Deum, ab eoque obtineat promiſſum Spiritum Chriſti, qui veritatem ex Scriptura docebit; ſanctificationem per virtutem Chriſti operabitur, & conſolationem in omnibus afflictionibus efficaciter ſuppeditabit. Si hîc auſcultaverit Paſtori Heterodoxus, oſtium aperietur cum ipſo conferendi de errore in quo implicatur, & de quibuſlibet aliis erroribus, de quibus quæſtiones movebuntur in colloquio, ut ſi Deus voluerit, non tantum ab errore revocetur, ſed etiam in quotidiana Conſcientiæ ſuæ examinatione, proficiat in humiliatione, reſipiſcentia, fide in Chriſtum & nova obedientia.

10. Tertium impedimentum examinationis Conſcientiæ, nempe, *Diſſimulata infidelitas craſſa hypocriſi incruſtata*, difficillime removetur. Hujus generis hypocritæ ſunt illi qui rationem factorum ſuorum facile cuivis ſe reddere poſſe putant; quia leges regni in quo vivunt, magis quam Scripturas ſacras venerantur, legibuſque Civilibus pro involucris & integumentis utuntur, ad avaritiam violentiam & crudelitatem ſuam celandam, ſtudioſe caventes ne quid in negotiis vel actionibus ſuis legitime accuſent ſpectatores: Verum de judicio Dei minime ſoliciti ſunt. Et licet pietatem ſanctorum laudent apud aliquos, quibus id placiturum putant, tacite tamen apud ſe ſocioſque ſuos, eam rident & ſubſannant: Nam in hujuſmodi hominum oculis ſimplicitas piorum ſtultitia eſt, & fides in Deum inſania eſt, maxime ſi propter juſtitiam Dei aliqui perſecutionem patiantur. Hos hypocritas Pſaltes vocat ſtolidos & inſipientes, *Pſal.* 14.1. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus:* & v. 6. *Conſilium inopis & egeni, probris afficiunt: quia*

Deus est spes ejus. Hujusmodi homines, licet sanctos simulent, veræ tamen pietatis hostes sunt, & osores omnium verè sanctorum, in quibus gratiæ & solidæ Religionis scintillæ apparent: *Nam comedunt populum Dei, ut panem comedunt: Deum non invocant*, Psal. 14.4. Formam pietatis habent; virtutem vero & efficaciam pietatis factis suis abnegant: nihil enim credunt quod de rebus spiritualibus ex Dei verbo prædicatur. Non mirum igitur si seipsos non examinant, nec admittunt accusationem Conscientiæ suæ de peccato ullo adversus Deum.

11. Obdurantur autem in hypocrisi & infidelitate sua, primo, per prudentiæ carnalis mensuram, supra communem Plebeiorum sortem, politioris ingenii hominibus, sibique inter alios, concessam: per quam carnalem prudentiam, nihil sapiunt præter mundum præsentem, nullam agnoscunt sanctitatem realem, præter civilem legum humanarum observantiam, in qua Religionis proram & puppim collocant: quasi tota Scriptura, Religionisque exercitia omnia, ad hunc finem solum referenda essent, ut homines secundùm leges regni, & consuetudinem receptam in societate in qua degunt, viventes, præsentis vitæ commoditatibus studerent. Atque hæc prudentia carnis, *Psal.* 1.1, vocatur *consilium improborum*: quia omnibus improbis, consultius multo videtur in via prudentiæ suæ ambulare, quam divinæ legis cancellis circumscribi. Accedit alia obdurationis causa, nempe, carnalis fiducia in rebus prosperis, quibus se perpetuo fruituros sperant, per & propter sapientiam suam. Hanc causam notat Psaltes, *Psal.* 10. 6. *Dicit insipiens in corde suo, non dimovebor, non ero in malo ulla ætate*: i. e. nunquam experiar res adversas. Tertia causa obdurationis, est, scandalum crucis & afflictionis, qua ordinariè exerceri solere observant omnes pios: ad quod scandalum facilè impingunt, imputantes piorum afflictiones ipsorum imprudentiæ, & suam prosperitatem suæ sapientiæ, in qua ita efferuntur, ut omnes homines præ se contemnant, sicut dicitur, *Psal.* 10,5. *Quicunque sunt hostes ejus, in eos sufflat.* Quarta causa obdurationis, est, neglectus judiciorum Dei, de quibus quia loquenti Deo non credunt, idcirco operationem Dei non observant: *In alto sita sunt judicia tua procul à conspectu ejus*, Psal. 10.5.

12. Etiamsi exigua spes sit convertendi ejusmodi homines; quia privatam admonitionem pro calumnia ducunt, nec ferre possunt suspicionem levissimam sibi subindicari de suo Atheismo & hypocrisi: Nullus tamen de reprobatione hujus vel illius hominis determinatè debet statuere, quandiu Dei longanimitas hominem præstolatur, & invitat ad resipiscentiam. Quapropter Pastor operam dare debet, ut scioli hi, qui opinione sapientiæ suæ turgent, ex Scriptura sacra pro concione solidè convincantur Atheismi, &

ignorantiæ in rebus ſpiritualibus. In quem finem, 1. depingendum eſt hominum hujuſmodi ingenium ex Verbo Dei, ſed in genere tantum, ſine alicujus perſonæ deſcriptione per circumſtantias, quibus hic vel ille potius quam alius aliquis taxari videatur, 2. Judicium Dei adverſus hoc genus hominum ſeverè denunciandum eſt. 3. Detrahenda iis juſtitiæ civilis larva; & vera juſtitia Chriſti cum fœlicitate ſanctorum, ob oculos iis proponenda eſt: ut videntes nuditatem ſuam, vileſcant in oculis ſuis; & ſi fieri poſſit, ad Chriſtum alliciantur & trahantur. 4. Subinde in memoriam iis revocetur graviſſima Apoſtoli admonitio, 1.*Cor*.3.18,19. *Nullus ſeipſum ſeducat: ſi quis ſibi videtur ſapiens in hoc ſeculo, ſtultus fiat ut fiat ſapiens. Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum: Scriptum eſt enim, carpit ſapientes in verſutia ſua.* 5. Obſervanda occaſio, ſi quando viſum fuerit Deo, aliquem hujuſmodi hominem calamitate aliquâ onerare; & tunc curet Paſtor, ut cum omni manſuetudine & prudentia expergefiat & excitetur afflictus, ad Conſcientiam ſuam excutiendam, ut juſtitiam Dei, iramque ejus agnoſcat, & perditionem, niſi ſincerè agat cum Deo, metuat. Simul etiam offeratur humilianti ſe coram Deo, miſericordia & gratia per Chriſtum, ſi fortè Deo viſum fuerit ei reſipiſcentiam ad vitam dare.

13. Quartum examinationis impedimentum, eſt *Conſcientiæ* quaſi cauterio inuſtæ *calloſa durities, & ſtupiditas*: Ea autem perſpicitur in hominibus voluptuariis, & bruteſcentibus hominum monſtris, qui adeo inſanâ voluptatis carnalis libidine capiuntur, ut non magis ſibi temperare poſſint aut velint, quam ſi eſſent beſtiæ: Et illi quidem frequenter peccando, eô uſque profecerunt in pejus, ut omni ſenſu peccati deſtituantur. Nam licet per naturam in homine lapſo reliqua ſit naturæ lux aliqua, per quam opus legis cordi inſcriptum perſpicitur, quantum ſufficit ad excuſationem tollendam; & licet etiam reliqua ſit Conſcientiæ naturalis vis aliqua ad accuſandum, & ſenſu doloris vexandum peccatorem, qui adverſus Conſcientiæ dictamen rebellavit, ne amplius audeat ſimili modo peccare: Aliqui tamen ita ſe laſciviæ & carnis ſuæ libidini vendiderunt, ut nec Conſcientiæ admonitiones audiant, nec aculeos ſentiant; Sed proni præcipiteſque in omne genus immunditiæ ferantur, ſeſe corrumpentes ut bruta animalia, rationis expertia. Idem perſpicitur in profanis, qui & pietatis efficaciam in factis, & formam pietatis apertâ profeſſione abnegârunt: Ex his, alios etiam in blaſphemiis exprimendis deprehenſos, non tantum impatientes admonitionum perſpicies, & cum ſuperbis Dei hoſtibus (Pſal.12.4.) dicentes, *lingua noſtra ſunt, quis eſt Dominus?* Sed etiam cum canibus & porcis conculcantes ſancta omnia, & eos qui amicè reprehendunt, lacerantes, perſpicies. Alios, de Religione

gione & fide sua interrogatos, audies responsantes, se tum demum de Religione certi aliquid statutum habituros , ubi dissentientes hominum sententias de Religione, compositas perspexerint: Alios videbis afflictis Dei servis iusultantes,& cum *Davidis* hostibus dicentes, *ubi est Deus eorum?* fugiant jam ad preces suas: Alios etiam cernes Scripturarum & fidei apertos irrisores, dicentes cum perditis illis nebulonibus, 2.Pet.3.4. *Ubi est promissio adventus ejus? siquidem ex quo die Patres obdormierunt, sic omnia permanent ab initio creationis.* Hos vocare licet, non tantum *practicè*, sed etiam aliquo respectu , *speculativè* Atheos: quia licet principia quædam de Deo in cordibus suis habeant naturaliter insita, suffocant tamen omnem Dei notitiam, quantum possunt, & quasi sibi persuasissent nullum esse Deum, aperiunt os suum,instar fœtentis sepulchri, & adversus Deum, Religionem,& omnes sanctos, calumnias evomunt. De aliis scelestis, qui Deo & rationi communi renunciârunt,ut sibi,mundo,& Diabolo serviant,idem judicium esto.

14. Hujus tam formidabilis mali in improbis causæ variæ dari possunt. Prima, est vis facta Conscientiæ frequenter, in peccatorum graviorum admissione, gradatim ascendens à neglectu admonitionum,ad contemptum accusationum Conscientiæ,& tandem audacter insurgens adversus Conscientiam mordentem,idem peccatum repetitis vicibus perpetrando,tanto frequentius, quanto sæpius propria Conscientia ipsos propter illud scelus accusavit, condemnavit & vexavit peccantes. Secunda causa,est Diabolus, qui non satis habet peccatores inescare,obdurare in peccatis, & sensu doloris ob peccatum admissum privare, nisi etiam obtineat, ut Deo renuncient, & adversus ipsum oblatrent: nec quiescit donec sibiipsi Principi tenebrarum quam simillimos reddiderit. Tertia causa,est Dei justitia,contemptorem lucis & castigationum Conscientiæ, tradens in reprobum sensum, ut, communis judicii usu & fructu privatus, brutescat, & Diaboli instar in omnia maleficia ruat insanus: Quod observatur ab Apostolo in Ethnicorum punitione, Rom.1. 28. *Quos quia non est visum eis Deum in cognitione retinere, Deus tradidit in mentem omnis judicii expertem,ut facerent quæ minimè conveniebant*, nempe, ea scelera quorum catalogus pertexitur versibus reliquis illius Capitis: & *Ephes.*4.17,18,19. Si Ethnicos luce naturæ abutentes sic Deus punit: quid mirum si idem faciat iis , qui contra lucem Scripturarum rebellant? Dicitur enim, 1. *Tim.*4.1. & 2. *Thess.* 2.11. *Propterea mittet illis Deus efficaciam deceptionis , ut credant mendacio : ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia:* Quæ autem sint opera illa carnis, quibus se dedunt mancipia ista Satanæ, re-

censet Apostolus, *Gal.* 5.19. Quarta causa, est sapientia Dei, qui, permittendo ut homines perversi in viis suis ambulent, manifestat vim, & virus peccati omnibus innati, & in apertum producit odium illud naturale omnium hominum adversus Deum: quod minimè agnosceretur omnibus inesse, nisi in aliquibus per experientiam planè manifestaretur.

15. Quod ad remedium hujus mali attinet, exiguam nobis spem facit Scriptura sacra, idque partim propter causas prædictas: partim, quia Conscientiæ hæc stupiditas, reproborum morbus est lethalis. Verum quia non solum in reprobis; sed etiam in aliquibus Electis, ante Regenerationem, stupiditas hæc comperta est, ut videmus in *Manassis* & Corinthiorum nonnullorum exemplo, 1.*Cor.* 6.9 10, 11. Et quia experientiâ sæpe compertum est, aliquos ex his, ad mortem à Magistratu condemnatos, ad Deum conversos esse, & ab eo gratiam obtinuisse per fidem in Christum; Non debet Pastor de hisce hominum monstris prorsus desperare, sed periculum facere, quid per privatum colloquium, & Legis divinæ seriam applicationem, reliquaque media ad conversionem tendentia fieri possit. Præcipuè autem observanda est opportunitas, si quando calamitas à Deo in hujusmodi homines immittitur, vel quando ex hoc numero aliquis sceleratus ad capitale supplicium à Magistratu rapitur, ut Pastor omnia tentet, si fortè miser, suæ pravitatis & malè meriti convictus, resipiscat & fugiat ad Christum Redemptorem.

16. Quintum impedimentum examinationis, est metus periculi, si examinatio admitteretur. Sunt enim aliqui qui Conscientiam suam nolunt excitare: quia putant hoc & inutile & periculosum esse. Hos audias profitentes se pace Conscientiæ suavissima frui; nunquam ipsis injectum esse scrupulum, nedum dubitationem de Dei erga se dilectione; nec igitur audere litem sibi ipsis movere: & hîc se confirmant; partim, quia frequentiores hortationes pro concione audiverunt, ut firmiter credant in Deum: partim, quia si Conscientiam suam ad examen vocarent, statim fidem suam labefactarent: partim denique, quia nôrunt Diaboli astutiam, cui si ostium aperirent per Conscientiæ examen, verentur ne ille accusationibus ipsos obrueret, & ad desperationem adigeret, sicut accidit aliquibus (inquiunt) qui post excitatam Conscientiam nunquam quieverunt, donec ex impatientia cruciatuum Conscientiæ, necem sibi consciverunt. Sunt & alii qui velint nolint trahuntur in judicium, quorum Conscientiæ, per Ministerium Verbi excitatæ, incipiunt eos accusare: Quod ubi primum observant, statim examen & judicium interrumpunt: qualis fuit *Felix* ille Ethnicus, *Act.* 24.25. qui auditâ *Pauli* dissertatione, de justitia, temperantia, & judicio venturo, tre-

muit; juſſitque *Paulum* in aliud tempus ſermonem differre. Ex his etiam aliqui ſe ſubducunt à publicis concionibus, ne vocem Paſtoris fidelis audiant: aliqui cum Rege *Saule*, advocato Citharœdo, latrantis Conſcientiæ ſuæ vocem ſupprimunt; vel aliquo ſimili modo cogitationes Conſcientiæ ſuæ à judicando divertere conantur.

17. Hujus mali in irregenitis cauſæ inter alias ſunt hæ quinque. 1. Affectata ignorantia & inconſideratio officii à Deo præſcripti, de nobis ipſis examinandis. 2. Eſt fixum propoſitum ſecure pergendi in peccatis ſuis. 3. Eſt ſenſus ſuavitatis quam ex carnali quiete & ſomno Conſcientiæ jam diu perceperunt. 4. Eſt perſuaſio, quod non poterint ſe in judicio Conſcientiæ expedire, vel ferre cruciatus cæcorum vulnerum, quæ Conſcientia (pro Tribunali ſedens) ipſis eſſet inflictura: quem dolorem perſpiciunt ſe, non aliter quam deturbato judice de ſede ſua, poſſe amoliri. 5. Eſt Diabolus, qui captivum ſuum ſervum in ſecuritate & ſomno ſtudet detinere, ne ſi excitaretur, ſtatim ad Chriſtum Redemptorem aſpiraret, atque ita ex ipſius catenis elaberetur.

18. Quando Paſtori res eſt cum hujuſmodi hominibus: primo, operam dare debet, ut cœcus hic, & tacitus metus in apertum extrahatur, i. e. ut intelligat lucifuga, nullum dari locum quo ſe recipiat, aut in quo ſe abſcondat à Deo; & ut conſideret conſtitutum eſſe à Deo ut omnes ſemel moriantur, poſteaque in judicium veniant; ut expectet perditionem inevitabilem, niſi Judicem (dum dies eſt) agnoſcat, & Mediatorem Chriſtum adeat, quandiu Mediatoris officium exercet, & invitat omnes peccatores ut reſipiſcant, & ut onerati ad ſeipſum veniant. Secundo, oſtendat Paſtor meticuloſis his homnibus, metum illum periculi ex Conſcientiæ ſuæ examine forte orituri, prorſus inanem eſſe, nec ullam eſſe metuendi cauſam convertentibus ſe ad Deum; Sed contra, ſomnum quem affectat æger lethalem eſſe: quia Deus dixit, *nullam eſſe pacem impiis*, *Iſa.* 48. 21. Tertio, proponat præcepta Dei, jubentis nos examinare & judicare noſipſos; colloqui cum cordibus noſtris in cubili noſtro; tentare & explorare, an ſimus in fide? niſi à Deo judicari ſine meſericordia vellemus. Sed in his explicandis non eſt opus ut inſiſtamus: interim oremus cum Apoſtolo, 2 *Tim.* 2. 7. ut Deus det ſervis ſuis ſapientiam & prudentiam in omnibus.

19. Sextum impedimentum, eſt ignava procraſtinatio examinationis. Sunt enim multi qui agnoſcunt officium ſuum, ſeu, quod debeant Conſcientiam ſuam excutere: qui tamem ad ſe judicandum non feſtinant, ſed procraſtinando & officium de die in diem differendo, tempus ducunt. Hujuſmodi hominum mores in rebus ſpiritualibus videre licet in ſimilitudine pig-

rorum, quos Paræmiastes describit, *Prov.*6.10. *Pauculum somnum, pauculam complicationem manuum quærit piger; pauculam dormitationem petit, dum adventat tanquam expeditus viator, paupertas ejus; & tanquam vir clipeatus, egestas ejus.* Et *Pro.* 26. 14, 15, 16. *Ut Janua circumagitur in cardine suo, ita piger in lecto suo: Abditam habet piger manum suam in sinu suo, defetiscitur reducendo eam ad os suum. Sapientior sibi videtur piger in oculis suis, quam septem prudentes vocantes eum ad rationes.* Tales sunt ignavi procrastinatores, de quibus loquimur, non ferunt laborem examinandi seipsos & excutiendi corda sua. Sed quandiu Deus patitur dormire ipsorum Conscientias, tandiu requiem sibi ipsis canunt; & carnificinam ducunt, somnum suum quovis modo à quovis interrumpi.

20. Hujus mali causæ sunt. 1. Impatientia omnis molestiæ & laboris quantumvis utilis. 2. Intoxicantis sensus suavitatis, quam cessator percipit ex otio suo. 3. Fallacia cordis propositum suum examinandi sui præ se falsô ferentis & promittentis, de die in diem, morum suorum mutationem in melius: Cui piger, licet millies deceptus, fidem adhibet. 4. Falsa opinio de suis viribus, quasi posset resipiscere & Remissionem peccatorum omnium statim obtinere, si morbus aliquis ipsum invaserit, vel metus mortis injectus fuerit: Et hîc sibi plaudit piger in opinione prudentiæ suæ, quasi, procrastinando Conscientiæ suæ examen, miseriæ scopulos præternavigaturus sit, quibus (ut ipse putat) diligentiores & laboriosiores alliduntur, Conscientias suas quotidie vexando. His causis adde rerum prosperarum longiorem usum, quo magis magisque inebriatur, somnumque altiorem sibi conciliat.

21. Non facile curatur hic morbus, nisi Deus flagello aliquo pigrum corripuerit, veternumque ei excusserit. Sed quod ad Pastoris partes attinet, opera danda est, ut ignavo huic cessatori publice & privatim, ante oculos ponatur procrastinationis periculum: quia vitæ duratio incertissima est: Nescit enim stultus an hac ipsa nocte, auferenda ei sit anima: & quia differre resipiscentiam, & numerum peccatorum procrastinantis, & cordis ejus duritiem, & iram Dei adversus ipsum magis magisque auget. Convincendus ergo ignavus dementiæ suæ, si vel ad horam differat, venenum peccati mortiferum evomere, & iram Dei adversus se accensam extinguere. Deinde explicentur & refutentur fallaciæ quibus se Demens decipit: ipsique optio offeratur, utrum malit in stagno sulphuris & societate Diabolorum, post somnum brevissimum, Conscientiam suam tandem excitari & perpetuô torqueri? An potius, dum per tempus licet, dum Christus in Evangelio se Media-

torem offert, dum societate sanctorum frui potest, velit Conscientiam suam excutere, peccata agnoscere, misericordiam & pacem Dei per Christum petere & obtinere.

22. Septimum impedimentum examinationis, est studium rerum terrenarum, & implicatio in negotiis curisque secularibus: Multi enim sunt qui voluntatem suam ad examinandum seipsos propensam profitentur, qui tamen omne tempus in aliis atque aliis hujus vitæ negotiis curandis impendunt: in quibus ita involvuntur,& ad quæ præcipites ita feruntur, ut Religionis exercitiis perfunctorie tantum defungantur, neque expectent Conscientiæ dictamen ad directionem agendorum, neque admittant examinationem de actionibus præteritis. Hujus generis sunt illi, de quibus Christus loquitur, *Luc.* 14. 18, qui, invitati ad cœnam nuptialem, responderunt, alius se agrum, alius se juga boum emisse, alius se uxorem duxisse, idcirco non potuisse ad nuptias venire: negotia sua prætexentes, tanquam justam excusationem, cur ad cœnam Domini non venerint. De his etiam loquitur Christus, *Matth.* 13.22. *Qui in spinas semen excepit*, (inquit) *is est qui sermonem audit: sed solicitudo seculi hujus, & fallacia divitiarum suffocat sermonem, & fit fructus expers.* De iisdem queritur Deus, *Jer.*8.6. *Attendi & audivi, omnes prava loquuntur, nullum eorum pænitet malitiæ suæ; nullus dicit, quid feci? quisque eorum conversus est in cursu suo ad vias suas, ut equus præceps ruens in prælium.*

23. Hujus mali causæ sunt. 1. Rerum terrenarum prava concupiscentia, quæ tempus totum, in quo rebus spiritualibus vacandum esset, absumit; totumque hominem quasi calcaribus additis, ad rerum temporalium studium immoderatum impellit. 2. Est Conscientiæ deceptio per speciem rerum licitarum, quasi ad excusationem sufficeret, tempus terere in rebus licitis; nec requireretur, ut illud unum necessarium omnibus terrenis commodis præferretur: quid enim juvat totum mundum, cum jactura animæ, lucrari? 3. Est fallacia divitiarum, quas sequitur unusquisque negotiosus, & frequenter etiam assequitur: solet enim Deus diligentiam in quovis opere licito, successu læto, in eo genere compensare. Hunc successum & hanc laborum remunerationem per divitiarum incrementum, interpretantur negotiosi specialem esse Dei benedictionem & immoderati sui studii rerum terrenarum approbationem. 4. Est levis æstimatio verbi divini & rerum spiritualium; quæ quia sub sensum carnalem non cadunt, sed in promissionibus offeruntur, non autem in præsenti dantur, idcirco homines de futura & æterna vita minus soliciti, ea quæ præsentem vitam spectant avidius arripiunt.

24. In hoc malo curando, quantum ad Pastoris partes attinet, prudentia

requiritur, ut & pro concione, & in privatis suis colloquiis, rebus licitis locum suum concedat, & subordinationem earum rebus spiritualibus circumspecte doceat; & periculum quod animæ creatur ex immoderato rerum terrenarum studio, ita ostendat, ut diligentiam in uniuscuiusque vocatione externa non condemnet; verum ita moderandam præscribat, ut animæ excellentia & vitæ æternæ necessitas, semper in omnibus primas teneant; utque ex studio rei familiaris augendæ, vel ex rerum licitarum usu, nullum pietati rebusve spiritualibus fiat præjudicium, nec ullum pretiosæ animæ creetur periculum.

CAPUT X.

De Desperantibus.

DIctum est de primo ordine eorum, qui suam Regenerationem impediunt, Conscientiæ suæ examinationem aversando. Sequitur secundus ordo, eorum, scilicet, qui post Conscientiæ suæ examinationem voluntariam vel coactam, & post Conscientiæ sententiam adversus se, secundum Dei Legem, pronunciatam, desperant de remedio in Evangelio oblato; & renunciantes consilio Dei, consilium sui cordis & Satanæ sequuntur.

2. Distinguimus Conscientiæ examinationem voluntariam â coacta. 1. Quia inter se differunt hæc duo, *Judicat aliquis seipsum, & judicatur aliquis in se ipso*: Multi enim se non judicant, qui tamen judicantur. *Judicare seipsos* dicuntur, qui libero actu voluntatis suæ, Conscientias suas ad examen sui vocant, inquiruntque de iis rebus, super quibus coram Dei tribunali judicandos se norunt. *Judicari* vero dicuntur ii, quorum Conscientia excitatur à Deo, mediate vel immediate, ad judicandum; & expergefacta, non expectat, sed antevertit omne voluntatis imperium, judiciumque suum totum perficit, sive velit sive nolit *judicatus*. Examinationem igitur *voluntariam* dicimus, quando voluntas imperat Conscientiæ, seu menti, ut ascendat tribunal suum ad judicandum: *Coactam* vero vocamus examinationem, quando Deus mediate vel immediate excitat Conscientiam ad judicandum hominem, qui minime vult se examinari. Differunt hæ duæ examinationes: quia examinatio voluntaria, aliquando fit perfunctorie, leviter & oscitanter; aliquando vero accurate, & toto conatu. Sed coacta examinatio, semper est seria & accurata, & cum castigatione peccatoris exami-

minationem declinantis, aut differentis, conjuncta. Atque hujus distinctionis autor nobis est Apostolus, 1. *Cor.* 11.31, 32. *Si ipsi nos judicaremus, non judicaremur: Sed dum judicamur, à Deo erudimur, ne cum mundo condemnemur.* Desperatio autem sequi potest, & post examinationem voluntariam perfunctoriam, & post examinationem coactam & districtam.

3. Desperationem hic non accipimus pro quavis diffidentia de rebus promissis & sperandis; Sed pro diffidentia de Reconciliatione cum Deo, & de misericordia Dei per Mediatorem obtinenda. Nec per desperationem hic intelligimus quamvis diffidentiam de Reconciliatione, à Tentatore injectam, & ad breve aliquod tempus admissam, propter iræ divinæ incumbentis sensum: Nam etiam in regenitis, aliquam hujusmodi desperationis speciem videre licet, ut, e.g. in *Jona* & *Davide*, qui aliquando sibi visi sunt à Deo abdicati & rejecti: Sed statim ex hac voragine emerserunt. Nec desperationem accipimus pro spei omnis ecclipsi longiori, in qua æger sibi videtur desperare; imo forsan profitetur se desperare, veruntamen non audet mediis ad spem recuperandam tendentibus renunciare: Nam etiam *Heman* Ezraita, *Psal.* 88.14, 15, 16. dum à juventute sua terroribus Dei agitabatur, non tantum animo pendebat, sed etiam quasi distrahebatur, putans se à Deo rejectum: interea tamen Deo non renunciabat, sed in precatione perseverabat. Sed desperationem hic intelligimus prævalentem, impressam à Diabolo, & ab homine admissam, eamque fixam & permanentem, in qua peccator convictus peccati, spem omnem abjiciens de solido remedio mali sui obtinendo, à Deo se avertit, ut quoquo potest modo, ineluctabilis miseriæ suæ sensum leniat, vel extinguat, vel differat, vel fugiat.

4 Est autem desperatio, alia secura, alia vero anxia, & cum vexatione conjuncta. Desperatio *secura* dicitur, quando peccator convictus peccatorum multorum atrocium, putans Deum irreconciliabilem, & se à Deo perditioni destinatum esse, (propter sententiam condemnationis in Lege divina prolatam adversus sui similes) obdurat se adversus comminationes, & pergit in viis suis, genio suo & voluptatibus suis indulgere quandiu potest, ne miser sit ante tempus. Talis erat desperatio Israelitarum, *Isa.* 22.13. qui comminationes & judiciorum infligendorum prædictiones à Prophetis audientes, cum debuissent, precibus & jejunio in sacco & cinere conversi ad Deum, Remissionem peccatorum flagitare, Convivia lautiora, inter se celebrabant, dicentes quisque ad proximum suum, *edamus, bibamus, cras moriemur.* Et *Ezech.* 33.10. *Ita loquimini dicendo, quia defectiones nostra, & peccata nostra incumbunt nobis: ideo in ipsis nos tabescimus, ecqui viveremus?* Non inficiantur se onustos iniquitatibus, non dubitant de justitia comminationum;

tionum; Sed comparantes justitiam judiciorum Dei cum iniquitatibus suis, & nihil cogitantes de remedio, planè desperant; quasi remedium nullum in Verbo Dei paratum fuisset; vel, quasi comminationes, absolutè sine exceptione resipiscentiæ, pronunciatæ fuissent.

5. Causæ præcipuæ hujus mali sunt hæ. 1. Naturæ corruptæ pravitas, peccandi consuetudine ita obfirmata, ut Conscientia nec terreatur minis, nec moveatur accusationibus, nec Dei amicitiam ambiat, nec cupiditatibus carnalibus renunciare velit. 2. Crassa infidelitas, comminationes Legis quasi inanes & falsas contemnens. 3. Falsa persuasio de impossibilitate redeundi in gratiam cum Deo, orta partim ex ignorantia Evangelii, & gratiæ Dei in eo oblatæ; partim ex ignorantia finis & scopi Legis, qui est, ut sit pædagogus ad Christum.

6. Difficile est, & plerunque impossibile hujus mali remedium: Exemplum videmus, *Isa.* 22.12,13,14. *Cum vocaverat Dominus Deus tempore illo ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, & ad cincturam cilicii: Ecce lætitiam & gaudium, occidendo boves, & jugulando pecudes, comedendo carnes, & bibendo vinum; Edamus* (inquiunt) *& bibamus, cras enim morituri sumus. Atqui revelavit se, me audiente, Deus exercituum, non expiabitur ista iniquitas, donec moriamini, inquit Dominus Deus exercituum.* Verum, quia varii sunt hujus generis desperationis gradus, de quibus non licet cuiquam, cum applicatione ad individuos homines, determinate pronunciare; & quia Dei decreta de singularibus hominibus abscondita sunt, operam dabit Pastor, ut publicè & privatim excutiat veternum his Epicureis; Gehennæ ignem inextinguibilem, cruciatusque damnatorum in æternum duraturos, ex Scriptura ita illis ob oculos ponat, ut spem Reconciliationis & resipiscentiæ, non tantum ab eis non tollat, sed etiam spem certam confirmet illis, si, relictis vitiosis viis suis, redire in gratiam cum Deo per Christum voluerint. Et in hunc finem ostendat Pastor comminationes omnes, quibus Deus peccatores in visibili Ecclesia onerat & terret, non esse simpliciter & absolutè intelligendas, sed cum exceptione hac, *nisi resipuerint.* Et hujus consilii Autor est ipse Deus, qui desperantes alloquens, *Ezech.* 18.21,22,23, & 33.10,11,14,15,16. interpretatur cum juramento sensum minarum esse, ut peccatores audientes comminationes resipiscant, & judicia Dei evitent.

7. Desperatio anxia & cum vexatione conjuncta, est, quando peccator ex apprehensione vel peccati irremissibilis, vel miseriæ ineluctabilis, vel simul utriusque, abjiciens omnem spem remedii à Deo habendi, torquetur & vexatur sine requie. In hoc genere desperationis, miser vel convertit se ad carnalem,

lem, & temporariam in mundo conſolationem, & deſperationem ſecuram eligit, ut anxietate ſe liberet; vel meditatur αὐτοκτονίαν, ex deliberatione eligens necem ſibi conſciſcere, potius quam vexationem animi & Conſcientiæ tormina pati.

8. Quod ad illam ſpeciem deſperationis anxiæ, quæ poſt morſus Conſcientiæ graviores in ſecuritatem carnalem relabitur, valde quidem illa periculoſa eſt, & valde exiguam ſpem de ſalute deſperantis reliquam facit Paſtoribus, vel amicis fidelibus, qui hominem in ſecuritatem poſt Conſcientiæ excitationem recidivum obſervant: ſiquidem hic ex conſilio deſtinato impius eſt, & poſt Conſcientiæ vulnera, ob peccatum inflicta, pergit peccare; & poſt apprehenſionem & ſenſum iræ divinæ, peccatum ipſius perſequentis, non ſe ad Deum convertit, ſed Deum averſatur; & ſtatim ubi deferbuit tormentorum Conſcientiæ æſtus, dedita opera ſuam conſolationem quærit in vanitate creaturarum, ut ſe à conſpectu Dei, in tenebris conſilii ſui, & conſortii improborum ſui ſimilium ſe abdens, totus ſatagat cupiditatum ſuarum. Talis fuit illa deſperatio *Caini*, qui poſt lamentationem & ejulatum aliquem ob maledictionem à Deo adverſus ſe pronunciatam, ſeceſſit ab Eccleſia, & à conſpectu Dei in terram *Nod*, ſeu in exilium; & ſe ædificandis Urbibus dedidit, *Gen.* 4. 13, 14. Talis etiam fuit illa *Eſaui*, qui ubi perſpexit ſe à cœleſti primogenituræ benedictione excluſum eſſe, ad terreſtrem benedictionem comparandam ſe accinxit, & conſolationem in ea ſola quæſivit, *Gen.* 4. 16.

9. Quod ad alteram ſpeciem attinet, niſi curetur, αὐτοκτονίαν accerſit voluntariam: addo *voluntariam*, ad diſtinctionem ab αὐτοκτονία *bruta*, quæ accidit furioſis mente captis, Melancholicis & inſanis, aut ſpiritu aliquo malo obſeſſis: in quibus facultas ratiocinandi ita impeditur, ut abſque rationis & communis ſenſus uſu, ferantur ad ſeipſos aliquo mortis genere perdendum. Hi autem voluntarii ſuiipſorum interfectores dici non poſſunt, quippe, qui nec ſe, nec periculum in quo verſantur, nec circumſtantias ullas, quæ ipſos inhibere poſſent à maleficio, diſcernere aut obſervare queunt. Et idcirco hujus generis αὐτοκτονία, *deſperatio* propriè non eſt dicenda: quia non deliberat miſer, nec rationis adeo compos eſt, ut argumenta ſperandi, vel deſperandi conſiderare poſſit. *Voluntaria* vero αὐτοκτονία, eſt ex deſperatione propriè dictâ: quia miſer poſt deliberationem de evaſione ex malo incumbente vel imminente, ubi jam ſpei ratio omnis penitus deficere videtur, ampliorem inquiſitionem de remedio abjicit; & ex apprehenſione mitigationis, aut evaſionis ex malo præſenti, non aliter quam per mortem ut ipſi videtur poſſibilis, necem ſibi ſciens volens conſciſcit.

10. Voluntaria autem hæc αὐτοκτονία, aliquando ex ſenſu peccati & Conſcientiæ, non tantum ad judicium armatæ, ſed etiam jam vexantis miſerum tormentis intolerabilibus, oritur. Talis erat αὐτοκτονία *Judæ*, qui, poſt confeſſionem peccati, in proditione Domini noſtri Ieſu Chriſti admiſſi, laqueo ſe ſtrangulavit, *Matth.* 27. 5. Aliquando vero accidit, ex ſenſu acrioris miſeriæ præſentis vel imminentis, quæ morte quavis acerbior apprehenditur. Talis fuit illa *Saulis* in gladii ſui mucronem ſe conjicientis, ne vivus incideret in manus Philiſtæorum, 1 *Sam.* 31. 4. Item illa *Achitophelis* ſuiipſius ſuſpenſio, poſtquam conſilium ſuum *Abſolomo* oblatum, rejectum vidit & eventum perſpexit, 1 *Sam.* 17. 33.

11. Verum de αὐτοκτονία longior tractatus requiritur, quam inſtituti noſtri ratio patitur. Unicum tamen hujus mali remedium eſt, Converſio ad Chriſtum: & in hunc finem, ubi aliquis hujus mali metus apparet, media omnia adhibenda ſunt ut horrendum illud malum avertatur; invocandus eſt Deus, advocandi ſunt Medici, dies noctesque ab amicis ſuis ſtudioſe obſervandus eſt miſer, ne unquam ipſi liceat eſſe ſoli; extrahenda eſt ab eo, ſi fieri poteſt, conſilii cæpti de atroci illo facinore perpetrando confeſſio; inquirendæ cauſæ, eæque ſi fieri poteſt ſunt removendæ; & ſi quando compos animi reperitur, ſeu, beneficio rationis non plane deſtituitur, proponendum ei Evangelium, urgenda reſipiſcentia & converſio ad Deum; coram ipſo inſtituatur colloquium piorum, & prudentium amicorum, inter ſe de rebus divinis & ad miſeri hominis conditionem accommodatis differentium, ut audiat miſer dubia quæ ipſum male vexant, ab aliis propoſita & ſoluta; in quo colloquio, aliorum qui ſimilibus tentationibus exercitati fuerunt experientia in medium afferenda eſt; & denique nihil omittendum quo malum hoc ex malis peſſimum præcaveri vel evitari poſſit. Hoc enim genus deſperationis in Electis curari & auferri poteſt per fidem in Chriſtum: & quia ſolus Deus novit qui ſint Electi, Paſtoris eſt omnes deſperantes ad ſpem excitare. In aliquibus quidem bene ſperandi indicia apparent; Sed in aliis fieri poteſt, ut non niſi ex eventu dignoſci poterit, utrum juſtitiæ, an miſericordiæ executio à Deo intendatur: quia in Electis qui curantur, & reprobis qui pereunt, eadem ſpectantibus videri poſſunt morbi hujus ſymptomata, ſi anxietatem cum anxietate, ſi verba cum verbis comparaverimus: Nam, quum frequenti experientia notum ſit, multos ex fidelibus ad extrema redactos fuiſſe, priuſquam adducti fuerunt ad pacem apud Deum per fidem in Chriſtum quærendam: Quid mirum, ſi Electi nondum converſi durius exerceantur? cum enim à jam renatis, & pace Dei ſemel potitis, voces deſperationem ſapientes audiamus, per vim tentationum extortas, minime dubi-

dubitandum eſt, quin in Electis ante fidem datam, multa anxietas, &, ad tempus aliquod, plena deſperatio apparere poterit. Quam acerba autem eſſe poſſint Electorum Regenitorum exercitia, Teſtis eſt *Heman* Ezraita, pretioſum illud caput, *Solomone* in ſapientia (1 *Reg.* 4. 31.) non multo inferior, *Pſal.* 88. 16. dicens, *Domine, quare abjicis animam meam? & abſcondis faciem tuam à me? affiictus ſum & moribundus ab adoleſcentia, dum porto terrores tuos, diſtrahor &c.* Teſtis eſt *David, Pſal.* 116. 11. qui dixit in anguſtia ſua, *omnes homines* (prophetas intelligens) *mendaces eſſe.* Et *Pſal.* 31. 22. dixit in feſtinatione, *abjectus ſum à conſpectu tuo.* Teſtis eſt *Jonas*, qui dixit in ventre Balenæ, *Jon.* 2. 4. *Rejectus ſum à facie tua.* Etiam *Jobus* luctatus eſt cum deſperatione, & tantum non ſuccubuit, *Job.* 7. 13, 14, 15. *Quum dico ſolabitur me ſponda mea; tollet aliquid de querela mea cubile meum: tum conſternas me ſomniis, & viſionibus perturbas me: adeo ut eligat anima mea ſtrangulationem & mortem præ vita.* Quid nobis ergo mirandum eſt, ſi Tyrones & Novitii nondum ex anguſtiis Regenerationis extricati, graviora patiantur? Sed ubi Deus ſuos humiliavit ſatis, non ſinit eos in anguſtiis nimis diu hærere: deductos enim ad ſepulchrum & umbram mortis, reducit ad vitam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

CAPUT XI.

De falsò ſe abſolventibus.

RESTAT tertius ordo impedientium ſuam Regenerationem, eorum, ſcilicet, qui poſtquam vel perfunctorie ſe judicarunt, vel inviti judicantur, & ſe teneri reos peccati & mortis, ſi jure ſummo cum ipſis ageretur, agnoverunt; falsò ſe abſolvunt, paralogiſmo aliquo, Conſcientiæ ſuæ lumen obfuſcantes, & ſententiam abſolutionis à cæco & decepto judice pronunciatam auferentes: Nam, vel principium aliquod falſum de abſolvendis peccatoribus ponunt, vel, principium verum, falſo ſibi applicant; atque ita ſibi ipſis miſeri miſerrimè imponunt.

2. Hujus generis ſunt omnes, qui abſolutionem à peccato, juſtitiam & vitam æternam quærunt, aliter quam ſolum per veram fidem in Chriſtum, vel alibi quam in Chriſto ſolo Mediatore unico inter Deum & homines, ſolo ſufficiente & neceſſario remedio adverſus peccatum & mortem. Ex his, alii ſibi perſuadent tantam eſſe Dei miſericordiam, ut nolit quenquam ob

peccata perdere: quo principio falso semel posito, non mirum si se à perditionis periculo eximant, requiemque suis animabus canant. De his loquitur Deus, *Deut.* 29. 18, 19. *Ne sit in vobis radix proferens cicutam, aut absinthium: neve sit quisquam, qui cum audiverit verba execrationis hujus, benedicat sibi in anima sua, dicendo, pax erit mihi etiamsi ex sententia animi mei ambulavero; qui addat ebrietatem siti, &c.* Pauci forte invenientur adeo impudentes, ut crassam hanc infidelitatem audeant disertis verbis profiteri: non sunt tamen pauci, qui hunc errorem tacito fovent corde, quasi pactis cum morte induciis, & cum inferno fœdere inito, nulli metuentes ne pereant in peccatis suis. In hoc ordine censendi sunt illi, qui putant omnes comminationes in Scripturis, factas esse eo tantum nomine & fine, ut homines terroribus frænati, in bonum societatis humanæ, vitam degant innocentiorem; & ne Athei videantur, Dei misericordiam, bonitatem, φιλανθρωπίαν ita extollere solent ut veritatis & justitiæ ejus nullam habeant rationem: quasi Dei justitia, in perduellionum punitione justa, non posset cum misericordia consistere; & quasi finis creationis obtineri non posset, si ullus ex hominibus periret. His & similibus aliis erroribus seipsos volentes occæcant. Vera autem causa horum errorum est, obstinatum propositum ambulandi in consilio cordis sui, & vivendi secure secundum leges imaginationum suarum: & quia non possunt secure satis suo genio indulgere, nisi præsupposita absoluta omnium peccatorum impunitate, præsumunt audacter contra comminationes omnes in viis suis pergere. Hæc tam crassa infidelitas & profana præsumptio, non eget refutatione sed fustibus: aperte enim convellit authoritatem Dei in Scriptura loquentis. Idcirco nihil aliud huic deceptioni opponemus quam quod ipse Deus pronunciavit adversus hoc monstrum hominum, loco citato, *Deut.* 29. 20. *Non acquiescet Jehova ut condonet ei; sed tunc fumabit ira Jehovæ & Zelus ejus contra virum illum, & recubabit in illo omnis execratio quæ scripta est in libro hoc: delebitque Jehova nomen ejus sub cœlo.*

3. Alii sunt prioribus valde affines, qui comminationes quidem non omnino rejiciunt; veruntamen solos flagitiosos & sceleribus contaminatos, putant iræ divinæ esse obnoxios: seipsos vero, quia non sunt hominum pessimi, extra aleam & periculum judicii divini ponunt; & si forte vitam ad humanas leges ita composuerunt, ut à vicinis pro honestis habeantur, se longe putant à perditione remotos. Cum hujusmodi hominibus agit Christus, *Luc.* 13. initio capitis: ubi cum nunciatum esset de Galilæis, quorum sanguinem *Pilatus* miscuit cum sacrificiis ipsorum, dixit eis, *Putatis quod Galilæi hi, peccatores præ omnibus fuerunt, quia hæc passi sunt? dico non: sed nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.*

4. Alii

4. Alii sunt, qui, supra vulgus hominum ascendentes in Legis cognitione & obedientia, excellere sibi videntur: ideoq; non dubitant, quin ex Legis observatione justitiam & vitam æternam sint consequuturi. Sed ut ulna non sit longior quam ipsorum pannus, Legis sensum decurtant, & ad modum mensuramque observantiæ suæ adæquant. Nonnulli enim cum veteribus traditionum Pharisaicarum Autoribus, ipsorumque sequacibus, nullam metonymiam in Decalogo admittunt, nullum æstimant, e. g. Idololatram, aut reum violati primi præcepti, præter eum qui Creatore cœli & terræ relicto, Idolum apertum apertè pro Deo adorat; neminem haberi volunt reum peccati adversus sextum, septimum, & octavum mandatum, qui torum matrimonialem non violavit: qui hominem non interfecit; qui vi, aliena bona clam vel apertè non abstulit, & sic in cæteris. Hos refutat Dominus noster, *Matth.* 5. & 6. Capitibus: Nec opus est in hoc errore refutando insistere: quia hujusmodi homines & justitiam quærunt ex operibus, non per fidem in Christum; & operum regulam decurtant, suaque opera polluta & hypocritica, pro perfecta obedientia supponunt.

5. Alii sunt, qui etiamsi convicti teneantur transgressionum plurimarum adversus literam Legis, opinantur tamen Deum non exacturum à quoquam, qui studet Legi obedire, plus quam præstare per infirmitatem poterit; & Deum satis habiturum confidunt, si adsit voluntas præstandi ea quæ Lex jubet: Hos audias dicentes, Deum accepturum voluntatem pro opere, abutentes Scriptura quæ dicit, *Isa.*1.19. *Si volentes & obedientes fueritis, commedetis bona terræ.* Et 2.*Cor.* 8.12. *Si primum adsit voluntas, acceptatur quisque à Deo secundum id quod habet, & non secundum id quod non habet.* Sed hic latet eorum deceptio, quod ea quæ dicuntur resipiscentibus, per fidem justificatis, & ad novam obedientiam contendentibus, transferant ad seipsos, in peccato jacentes, non resipiscentes, & non justificatos; Sed contra, seipsos absque omni justitia, sive Christi, sive Legis absolventes, & in securitate carnali sibi plaudentes. Verum enim est, ubi Deo est negotium cum justificatis, qui justitiæ suæ renunciârunt, ad Christum confugerunt, ejusque jugum in se susceperunt, Deum boni consulere, primitias novæ creaturæ, & teneriores Spiritus sui fructus magni æstimare: Sed quando cum homine ψυχικῷ & irregenito res est, agit Deus cum illo, ex Legis rigore, ex fœderis operum conditione, maledictionem pronuncians adversus omnia illius peccata, donec peccator se humiliaverit, & confugerit ad Christum.

6. Alii sunt, qui peccata sua eluere se posse putant; & partim, afflictionum tolerantia; partim lachrymis, jejuniis, eleemosyna, & precibus multiplicatis;

plicatis; partim, peregrinationibus, & pœnis voluntariò sibi à se inflictis & similibus, compensare se posse putant injurias Deo per ipsorum peccata factas. Tales fuerunt hypocritæ, qui (*Isa.*58.3.) Sacrificia, jejunia, & preces Deo objectabant. Cum hujusmodi hominibus contendunt Prophetæ omnes, & ipse Christus cum eis agit in persona Pharisæorum, ut cum odiosis hypocritis, qui naturalem suam fœditatem foliis ficulneis tegere se posse opinantur, & læsam Dei majestatem næniis suis placare posse hariolantur: Paralogismus, quo hi se decipiunt, manifestè ex doctrina Legis & Evangelii refutatur.

7. Alii sunt, qui ignorantes justitiam Dei, eòusque profecerunt in studio justitiæ humanæ, ut sibi videantur perfecti; & qui coram Deo comparere possint, absolutionem expectantes secundùm regulam justitiæ. Talis erat *Paulus*, quamdiu Pharisæus erat, qui profecit in Lege supra consortes: & quia inculpabilis compertus fuit secundùm Legis justitiam, homini irregenito possibilem, sibi plaudebat, vivebat, & de peccato quasi mortuo triumphabat, *Rom.*7.9. donec Lex in spirituali sua luce introiit in mentem ejus: tum enim revixit peccatum, & ille occisus est. Talis fuit adolescens ille dives in Evangelio, *Matth.* 16.16. accedens ad Christum cum opinione justitiæ propriæ, & perfectæ obedientiæ, Legi jam præstitæ; *Omnia* (inquit) *hæc* (præcepta Legis scilicet,) *observavi à pueritia mea.* Verum hîc ubi Christus morbum ejus aperuit, compertus est servus peccati abjectissimus, & fœdus idololatra, qui divitias suas, & Idolum suum Mammona, vero Deo, & Christo, animæque suæ saluti præferebat.

8. Causa deceptionis horum multiplex est: Omnes enim hi justitiarii, qui, propter offensarum suarum vel paucitatem vel levitatem, putant se non esse damnandos; vel propter innocentiam vitæ, & bona opera quæ fecerunt & facere parati erant, in judicio Dei se absolvendos sperant; ignari sunt prorsus & justitiæ per legem, quæ requirit perfectam obedientiam; & justitiæ Evangelicæ, quæ constat Remissione peccatorum, & imputatione justitiæ Christi, per veram fidem applicandæ: nam perfectionem personalis obedientiæ, quam legale fœdus, seu, fœdus operum exigit, non agnoscunt, & justitiæ Dei per fidem seipsos subjicere nequeunt; Sed quaqua possunt ratione, suam ipsorum justitiam student stabilire. Non observant finem Legis datæ, esse agnitionem peccati, & conclusionem omnium hominum sub peccato, ut manu ducantur omnes, qui perire nolunt, ad Christum; perfectionem Legis Moralis, seu, spiritualem ejus sensum non capiunt: naturam peccati, meritumque ejus stipendium, non apprehendunt; justitiæ divinæ severitatem, quæ non patitur sibi fucum fieri, non agnoscunt: Sed ex corrupto sensu suo, justitiam

divinam

divinam metiuntur; justitiamque humanam, quam minimè habent, impudenter mentiuntur.

9. Alii justitiam Christi quæ est per fidem, cum justitia operum suorum, tam feliciter in seipsis composuisse videri volunt, ut impossibile sit, quin ipsi utriusque justitiæ præsidio salvi sint futuri, quaqua ratione Deus sit cum iis acturus. Tales erant Galatæ plerique, ad quorum errorem refutandum, eosque ad Christum reducendos, *Paulus* in Epistola sua ad Galatas, instar parturientis laboravit, demonstrans abundè figmentum hoc adeo perniciosum esse, ut necesse sit justitiam per fidem in Christum planè everti, evacuari, & aboleri, si justificatio apud Deum ulla ex parte quæratur ex operibus: Nam si justificatio, ulla ex parte, sit ex operibus, nulla ex parte erit ex mera gratia: & si justificatio sit ex mera gratia, nulla ex parte erit ex operibus: quia, ex gratia esse, & ex operibus esse, in hac quæstione, non magis possunt componi, quam contradictoria possunt esse simul vera, ut docet *Paulus*, *Rom*. 11.6.

10. Alii sunt, qui cum audiunt justitiam esse ex fide sola, absque operibus, fidem solitariam & destitutam operibus imaginantur: imo vero avidè talem fidem affectant, & profitentes justificationem per fidem solum, abjiciunt studium bonorum operum, & tam longè segregant studium justitiæ à justificatis, quam iustitiam operum à causis justificationis videntur velle segregare: atque ita sibi ostium aperiunt ad omnem voluntatem carnis implendam, & ad ascendendum nihilominus ad cœlum, per scalam, scilicet, phantasiæ suæ, non per regiam viam sanctimoniæ, seu novæ obedientiæ. Hujus farinæ sunt Libertini & Antinomi, qui post professionem fidei in Christum, & consensus sui in fœdus gratiæ, solvunt seipsos, non tantum à *fœdere* Legis, seu operum; Sed etiam à mandatis & *obedientia* Legis, gratiamque Dei vertunt in licentiam ad quidlibet agendum pro voluntate sua, ita ut quicquid patraverint, nolint se amplius argui peccati propter illud, postquam semel se inter credentes nominârunt. Hos confutat Dominus noster, *Matth*, 5.17, 18, 19. *Ne putate me venisse ut solverem legem: non veni ut solverem, sed ut impleam eam.* Et *Paulus*, *Heb*. 12. 14. *Sectamini sanctimoniam, absque qua nemo visurus est Dominum.*

11. Alii collocantes liberum arbitrium in solio Dei, & in liberi arbitrii manu ponentes & credendi & sancte vivendi potentiam, eamque communem mortalibus omnibus facientes, non solum naturam sic instructam, ornant specioso nomine *Universalis gratiæ*; Sed etiam justificationem ex gratia, vertunt in justificationem *propter* fidem, unicum suum opus. Sic omnes se decipiunt, & falso absolvunt, qui justitiam ex operibus quærunt, &

errorem errant, vel Pharisæorum, vel Galatarum; contra quem errorem Apostolus,(*Gal.*cap.3.& 5.) disputat,& docet eos omnes seipsos segregare à Christo,qui ex operibus justificantur; & à gratia excidisse, qui propter opera absolvi & justificari volunt :*Quid dicemus ergo de iis, qui docent *propter* fidem,ut conditionem fœderis novi, naturalibus liberi arbitrii viribus, sine speciali Spiritus Sancti operatione gratiosa præstabilem, se justificari posse,& à maledictione absolvi gloriantur? Illi quidem (quicquid verbis præ se ferunt) videntur nihil aliud agere, quam justificationem *propter* opera bona multa præstita dissimulare,& justificationem *propter* unum opus bonum,nempe fidem, asserere: quasi hoc unum bonum opus, loco omnium bonorum operum,à Deo acceptandum,& pro *causa* ex pacto meritoria,imputandum credenti esset ad justitiam.

12. Horum deceptio in his tribus consistit. 1. Quod putent Christi justitiam,nostram non posse fieri per adjudicationem, seu, non posse imputari nobis qui credimus in Christum, de quibus Scriptura docet credentium peccata fuisse imputata Christo. 2. Quod putent, per fœdus Redemptionis, neminem emptum esse ad plenam certamque salutem, sed per Christi mortem solum partam esse libertatem Deo, ut ei per justitiam liceret novum fœdus operum, cum toto genere humano pangere, sub hac conditione, ut quisquis benè usus fuerit libero arbitrio, obtineret cognitionem Evangelii, vel salutem sine Evangelio, si inter Ethnicos degat; & quicunque audiens Evangelium crediderit in Christum, (ex viribus scilicet liberi arbitrii) ei fidei actus (non Christi obedientia per fidem apprehensa) imputaretur ad justitiam. 3. Quod volentes ignorent naturam salutiferæ fidei, sive in seipsa, sive in relatione ad justificationem spectetur: Nam quod ad fidem in se consideratam, non agnoscunt eam speciale esse donum Spiritus Sancti, ut docet Apostolus, *Ephes.* 2. 8. Redemptis à Christo solis destinatum, vel solis illis datum; Sed putant fidem salvificam esse in potestate liberi arbitrii omnium & singulorum *Adami* posterorum; qui omnes (ut illis placet) possent credere, si ipsis offerretur Evangelium per disertum aliquem Evangelii Ministrum. Quod autem ad fidem in relatione ad justificationem, volentes nesciunt quod fides justificans, Electis concessa, duplicem actum exerceat in justificationis negotio: unum, per quem exuit se credens omni fiducia in operibus suis, imo omni fiducia in sua fide; qua opus est, ne sit justitiæ quæ nobis imputatur vel causa,vel pars. Alterum actum exercet fides, quo, hominem denudatum & exutum omni suâ inhærenti justitiâ, induit justitia Christi imputata per gratiam; ut simili modo absolvatur credens, quo condemnatus est Christus,

qui

qui sine omni suo peccato inhærente, judicialiter factus est peccatum pro nobis, ut nos, sine justitiæ inhærentis seu sanctitatis nostræ conside ratione, justitia Dei fieremus in illo judicialiter.

13. Superioribus se falso absolventium generibus annumerari possunt omnes, qui falsa Religionis specie, à veritate seducti & lethalibus erroribus fascinati, falsi nominis Christum aliquem amplectuntur, salutemque sibi promittunt in alio quovis, quam in eo qui nobis in Scriptura describitur θεάνθρωπος, æternus Deus, in plenitudine temporis incarnatus, Rex, Propheta, & Pontifex noster, via, veritas & vita, factus nobis à Deo *Sapientia, Justitia, Sanctificatio & Redemptio.* De hoc enim periculo solicite præmonuit Christus discipulos suos, *Matth.* 24. 4. *Cavete* (inquit) *ne quis vos decipiat: multi enim venient in nomine meo, dicentes, ego sum Christus, & decipient multos.*

14. Alii sunt, qui fidem Christianam cum Orthodoxis profitentur, sibique plaudunt in professione sua, salutem sperantes se tandem aliquando consequuturos per fidem in Christum: Et licet conscii sibi sint nequitiæ suæ, sibi ipsis tamen pollicentur, cum tempus aliquod præterierit (in quo morem poterunt gerere aliquantisper affectibus suis) se prorsus renunciaturos illicitis voluptatibus, & Religionis exercitiis se totos dedituros: Propter quod animi sui, ut putant, serium resipiscendi propositum, persuadent sibi Deum ad tempus indulturum liberiorem vitæ rationem; & tandem ipsos, ubi magis serio resipuerint, salvos præstiturum.

15. Horum deceptio in his quatuor consistit. 1, Quod putent propositum resipiscendi ex convictione de peccato & officio resipiscendi ortum, esse ipsissimam sanctificationis gratiam, & Regenerationis indicium. 2. Quod putent peccata, quæ in ipsis regnant, communia esse ipsis & multis aliis (sicut illi opinantur) Regenitis: siquidem pauci sunt, (ut ipsis placet) qui vivunt sine crimine. 3. Quod putent se posse resipiscere pro (ut ita dicam) velleitatis suæ nutu, sive in præsenti, sive in futuro tempore; quasi resipiscentia non esset gratia Spiritus Sancti, sed effectus quidam in potentia liberi arbitrii cujusvis hominis animalis, de impænitentia sua semel convicti. 4. Quod non observent, ex procrastinatione resipiscentiæ suæ, indurari cor suum indies magis magisque, idque ex judicio Dei, qui voluntariam impænitentiam solet, judiciali obduratione, punire. Hos comparat Christus filio immorigero, qui promisit se in vineam Patris profecturum, & non profectus est, *Matth.* 21. 30. Hi sunt scientes voluntatem Domini, non autem præstantes ejus mandatum; qui idcirco puniendi sunt plagis plurimis, *Mat.* 12. 47. Quibus Christus periculum procrastinationis ostendit, & consilium dat,

Luc. 13. 25, 26. *Tentate introire* (inquit) *per angustam portam : multi enim quærent ingredi, qui non ingredientur.*

16. Alii sunt, qui profitentur & persuasum habent se resipiscere, & in solo Christo per fidem solum, ex gratia mera salutem expectare : quos si an habeant fidem in Christum interogaveris : Respondebunt, se in eum firmissime credere, nec dubitasse unquam quin Christus sit ipsorum Salvator suavissimus, qui pro ipsis se in mortem dedit ; Si urgeas & explores, an ex animo loquantur ? confidenter confirmabunt rem extra controversiam positam esse, dicentes, quænam est tibi causa suspicandi fidei nostræ sinceritatem ? aut, quæ causa est nobis de ea dubitandi ? in quem enim crederemus nisi in Christum ? an alius est peccatorum Servator ? Si ex effectis explorare velis fidei ipsorum veritatem,& quæras, an resipiscant ? idem asseverabunt quod de sua fide, quod scilicet dies noctesque resipiscant, & causas habeant quotide resipiscendi justas, quoniam in omnibus peccamus omnes, & quidni igitur (dicent) quotidie resipisceremus ? Si de dilectione Dei & proximi interrogentur, eadem erit, vel similis responsio. Hi sunt ex iis qui confidenter ad Christum accedunt, clamantes, *Domine, Domine* : & tamen minime student voluntatem Dei præstare ; Sed multis modis peccati servos se ostendunt.

17. Horum deceptio latet in his duobus. 1. Quod definitiones seu descriptiones fidei, Resipiscentiæ, Dilectionis, Spei, & reliquarum virtutum spiritualium, sibi ipsis fingant crassiores ; & carnales conceptus suos, spiritualium donorum nominibus ornent. 2. Deinde quod assensum mentis veritati præbitum, sententiamque *Conscientiæ* de officio faciendo in mentis judicio sine oppositione rationis pronunciatam,accipiant pro consensu *Cordis*, seu, voluntatis imperantis, ut officium fiat, & pro *obsequio* voluntatis præstito , & pro affectuum *obedientia* mandatis Evangelii jam intus præstita, & pro sincero *proposito* obedientiæ in toto vitæ cursu præstandæ.

18. Alii sunt, qui fidem Christianam profitentes, & salutem sibi per eam promittentes putant negotia sua secularia, & vocationem ad res mundanas curandas, & ad prospiciendum sibi & familiæ suæ de rebus necessariis in hac vita corporali, excusare posse ipsos apud Deum, etiamsi alios, qui liberiores sunt à curis terrenis non æquent in studio Religionis & rerum divinarum. Hi sunt qui in toto vitæ cursu faciunt id propter quod *Martha*, in singulari facto delinquens, semel reprehensa est à Christo, *Luc.* 10.41. Hos describit Dominus in parabola seminis jacti inter spinas, *Mat.* 13.22. Et in parabola Convivarum, qui invitati sunt ad nuptias filii Regis, & se excusarunt, *Mat.* 22.5.

19. Deceptio horum in his tribus consistit. 1. Quod putent res terrenas, quarum necessitas primo apparet, primo loco quærendas esse: Illud vero unicum quod elegit *Maria*, petendum esse proximo loco, nempe, quando per vocationem externam & necessitatem familiæ suæ prospiciendi de rebus mundanis, licet vacare rebus spiritualibus. 2. Quod putent *lucrum* esse pietatem, & veræ Religionis summam. Non enim possunt animum inducere ut credant, cum ad tentationem ventum fuerit, Deum à quoquam requirere, ut in confessione veritatis in Controversiam vocatæ, aut in prosecutione rerum, quæ ad Religionem pertinent, quisquam rem suam familiarem debeat despicere, vel in periculum adducere: absurdum enim existimant hoc consequens esse posse ullius Religionis veræ. De hoc errore monet *Paulus*, 1 *Tim.* 6. 5. 3. Quod putent se facile posse duobus Dominis servire, Deo, & Mammonæ, ita ut unius servitium non impediturum sit servitium alterius. Hunc errorem refutat Dominus, *Mat.* 6. 24. & hortatur ut eum caveamus; *Nemo* (inquit) *potest duobus Dominis servire: aut enim unum habebit odio, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Et *Luc.* 21. 34. *Cavete vobis, ne quando graventur corda vestra crapula & ebrietate, & solicitudinibus hujus vitæ.*

20. Alii sunt, qui summam Christianæ Religionis ponunt in solitudine, & procul abesse ab omnibus negotiis, proximam & accommodatissimam rationem putant esse ad Deo serviendum, & seipsos servandum: idcirco privatam degunt vitam in obscuro aliquo angulo; & licet donis instructi sint, quibus Reipublicæ, vel Ecclesiæ prodesse possent, malunt tamen Eremitarum more vitam transigere, potius quam in publicum, cum periculo molestiarum, aut famæ suæ minuendæ, prodire: Neque caret ipsorum consilium speciosis prætextibus: Sic enim existimant se saluti animarum suarum optime prospecturos; Lectionibus & precibus incubituros; neminem ad odium aut æmulationem provocaturos; & sic etiam tranquillitati suæ optime se consulturos confidunt: præsertim, si simul etiam judicent se donis non esse instructos, aut, se nullo modo idoneos esse ut aliis prosint; si putent quæcunque habent dona vel bona, vix sibi ipsis sufficere, ut commode in cursu præsentis vitæ ad vitam propositam pergant. Non negamus aliquos Regenitos in tempore persecutionis in desertum fugere cogi posse, & inter feras latitare, durante periculo, quorum societate mundus non est dignus; Sed eos culpamus, qui, quando violenta persecutio non flagrat, otio suo indulgent & cum Ecclesiæ vel Reipublicæ dispendio, talenta sua abscondunt. Nam si accuratum scrutinium instituatur, metus molestiarum, impatientia pugnandi fidei

pugnam, odium laboris omnis, & prava quietis privatæ existimationisque, qualis qualis, retinendæ cupido, consilii hujus fons & origo esse invenientur; & instituti hujus finis comperietur non esse devotio, sed quietis carnalis & otii privati studium. Quapropter audiamus Apostolum de hujusmodi fucis dictantem, 2 *Thess.* 3. 10. *Quod non debeant edere qui nolunt laborare*; hoc est, vitam in aliquo honesto negotio in bonum publicum ducere: Hi enim sunt arbores fructum non ferentes. Audiatur etiam Christi sententia de hujusmodi hominibus, (quos mundus ut sanctissimos Monachos solet admirari) qui, *Mat.* 24. 14. in parabola de talentis, cessatorem hunc nostrum depingit sub specie illius servi nequam, qui, quia habebat unum tantum talentum, abiit & occultavit illud in terra: *Ejicite* (inquit) *servum illum inutilem in tenebras extremas, illic erit fletus & stridor dentium.*

21. Alii sunt vere fidelibus externe simillimi in omnibus quæ observari possunt ab inspectantibus: Nam inter profitentes Christum edunt nomina sua, Christoque se consecrare videntur; fidelissimis se adjungunt, & à Sanctorum sodalitio nunquam se patiuntur divelli; communes cum illis sustinent labores; videntur parati ad tolerandam crucem & exeundum cum reliquis extra civitatem & censum hujus mundi, opprobrium Christi portantes; & ejus adventum (ut apparet) expectantes: intus tamen non sunt regeniti, non tanguntur sensu peccati sui, non quærunt justitiam & Remissionem peccatorum per Christum; Sed Spiritu Sancto prorsus destituti sunt, sicut in parabola præ se fert conditio fatuarum virginum, degentium in consortio virginum prudentiorum, quæ vitam purgatam à scandalo habebant sicut prudentes; lampades habebant ut prudentes; extra suspicionem erant iniquitatis sicut prudentes; in occursum Domini proficiscebantur illæ ut hæ: Denique, si prætereas infirmitates, communes illis & his, nempe, quod omnes somnio occupatæ fuerint, nihil dissimile erat quod extra cerni potuit in fatuis & prudentibus. Quæ similitudo in externis, sicut decipit inspectantes, ita & ipsos professores decipere posse certum est: nec discrimen hoc plene aperietur mundo, priusquam venerit judex, scrutator cordium, qui destitutos Spiritu Sancto & irregenitos omnes à se segregabit, lampadesque inanes confringet eorum qui non resipuerunt, qui ex Conscientia indignitatis suæ non confugerunt ad Christum, nec in ejus virtute fructum ferre studuerunt.

22. Alii sunt, qui non tantum gregariis fidelibus pares videntur, cum fatuis illis virginibus, sed & vulgo Sanctorum aliquanto sanctiores videri volunt, imo iis multo superiores in cognitione & prudentia, in precandi,

candi, conferendi & disputandi, de rebus divinis, facultate: imo vero zelo ferventiores; & omnium maxime studiosi, ut minima quæque in Ecclesia & Dei domo ad amussim verbi divini exigantur, & ut peccatores omnes acriter corripiantur: in quorum observatione & judicatione, Sanctuli hi censores sunt severissimi. Certum quidem est omnia hæc minima officia debere fieri; Sed, graviora officia Charitatis, Longanimitatis, &c. non oportet omitti. Tales nobis Christus describit Pharisæos, *Luc.* 11. 22. His annumeramus eos, qui, (quia non solum coram hominibus, justi videntur, aliisque superiores esse propter donorum excellentiam; Sed etiam quia in Domo Dei aliis docendis, ædificandis, regendis, ad cœlum ducendis præficiuntur ut Pastores & morum Censores) non dubitant quin eundem locum quem habent in Ecclesia, in cœlo & censu Sanctorum, sint habituri: Hi tamen nec in hac vita pro ovibus à Christo habentur, nec in vita futura cum Sanctis numerandi erunt.

23. Horum deceptio ex his tribus oritur. 1. Quod videantur & sibi & aliis, supra vulgus fidelium eminere. 2. Quod se comparent cum aliis quibuscum vivunt, præcipuè cum inferioribus, non vero cum Lege Dei, & speculo Verbi ejus. 3. Quod non distinguant dona communia à gratia salutari, sed putent, sicut in conspectu hominum, sic etiam in conspectu Dei, donorum excellentiam maximi æstimari: non considerantes, quod dona illa quæ ornant hominem apud homines, onerent hominem apud Deum, & augeant ejus rationes: Nam, *cui multum datur, multum ab eo repetetur*, *Luc.* 12. 48. Nam aliud est justificari apud Deum, aliud sibi vel hominibus justus videri; aliud est cognitione mysteriorum imbui, aliud ea credere, & cordi insculpta habere; aliud est docere ea quæ salutem afferre possunt aliis, aliud eadem sibiipsis in usum proprium applicare; aliud est vitam externam & exteriorem partem patinæ purgare, aliud intus renovari, innatam superbiam, rerum mundanarum amorem, inanis gloriæ cupiditatem affectusque alios carnales, virtute Spiritus Sancti intus compescere, contundere & mortificare. Hinc est quod *Paulus*, se ab istiusmodi hominibus discriminans, dicat, 1. *Cor.* 9. 27. *contundo corpus meum, & in servitutem redigo: ne quo modo, quum aliis prædicarim, ipse rejectaneus fiam.* Et *Rom.* 7. deflet peccati innati vires in se, & fugit ad Christum Redemptorem.

24. Alii sunt, qui propter fidem suam temporariam, (adde resipiscentiam temporariam, affectuum motus temporarios, morum mutationem & vitæ emendationem temporariam,) & sibiipsis & aliis videntur adeo similes verè fidelibus, verè resipiscentibus & renovatis, ut minimè mirandum sit quod

quod seipsos decipiant, falsoque absolvant in judicio suo. *Temporariam* fidem vocamus eam, quæ ex naturalibus & temporariis causis prognata est; & non nisi ad tempus probationis durat: ortâ enim tentatione, & probatione factâ, non tantum languescit, imfirma fit,& labitur ad tempus (quod veræ fidei accidere potest;) Sed etiam planè deficit & aboletur. Sic enim describit nobis Christus fidem *temporariam*, Luc. 8. 13. Sed loquens de conservatione fidei *Petri*, dicit se orasse, ne fides ejus deficeret, Luc. 22. 32. Resipiscentiam item, & vitæ emendationem temporariam, vocamus eam,quæ aliquando & in aliquibus rebus,veræ resipiscentiæ & vitæ emendationi similis est; Sed post tempus aliquod evanescit. Sic etiam *Hoseas*, cap. 6.4.describit nobis,(sub nomine *bonitatis instabilis*) resipiscentiam & vitæ emendationem temporariam.

25. Hujusmodi fidei & resipiscentiæ causas ut inveniamus, Consideremus. 1. Quid possit naturalis dispositio animi in negotio fidei: facile enim perspiciemus,si comparaverimus vim historiarum quæ à profanis descriptæ sunt, ad fidem historicam procurandam cum Scriptura sacra, per Spiritus Sancti Amanuenses exarata. Humana scripta tantam fidem vulgo inveniunt; ut extra controversiam habeantur pro veris: quid mirum si etiam divina Scriptura,á multis fide historicâ recipiatur communiter ut vera? Quod ad naturalem affectuum dispositionem pertinet, communi experientiâ notum est, quantum moveri soleant affectus hominum, non solum in lectione verarum historiarum de vita, moribus, & morte justorum hominum; Sed etiam in lectione fabularum fictarum, quas sciunt esse fictas: in quibus legendis (cum ad vivum pinguntur quasi verè res gestæ fuissent) lectores non possunt sibi ipsis temperare, quin nunc dilectione, nunc odio & indignatione, nunc commiseratione, etiam erga ficta nomina afficiantur; & nonnunquam multo plus quam ipsi putassent afficiantur. 2. Quæ sit Conscientiæ vis in justis accusationibus, ad tristitiam excitandam; in excusationibus, ad lætitiam & gaudium movendum, testantur Ethnicorum scripta abundè satis. 3. Quæ sit vis moralis disciplinæ in moribus fingendis, & externa vita pingenda, in *Socratis* & *Aristotelis*, aliorumque similium discipulis videre est. 4. Quæ delectatio inveniatur in contemplationibus Metaphysicis, Physicis, Mathematicis, & reliquis similibus, non est quod verba faciamus apud studiosos Theologiæ, adeo sunt hæc omnia nota & comperta, vel mediocriter, versatis in humanioribus literis. Quis ergo neget veritatem divinitùs revelatam,de Deo, de Angelis, de animabus hominum,de Creatione, de Gubernatione omnium rerum,de hominum Redemptione eorumque æterna salute, parem mereri & obtineri posse fidem,ab Evangelii auditore ir-

rege-

regenito? & si hæc veritas non multo splendidiora effecta producat quam producunt Ethnici scriptores aliquando; posse tamen eam saltem similia, & paria effecta, in Conscientia & affectibus irregeniti, imo & in morum formatione producere, non est dubitandum. 5. Ad naturam & educationem accedant Spiritus dona communia, qualia sunt cognitio mysteriorum in Scriptura descriptorum; & fides non historica tantum, sed & temporaria, ad proportionem clarioris revelationis elevata, & ad affectus ciendos, tanto accommodatior reddita. Addatur donum Prophetiæ communis, seu, donum prædicandi veritatem Dei cognitam, & pro concione precandi: quæ dona invenimus in Concionatoribus illis, qui Evangelium idem cum *Paulo*, ex invidia erga *Paulum*, & non ex amore erga Christum prædicabant, *Philip.* 1. 15, 16. Adjiciamus donum miraculorum, & donum Prophetiæ specialis, seu prædicendi futura; quæ dona in *Juda* proditore, & in *Balaamo* reperiebantur: quid mirum quod ista, hominem animalem natura satis pronum ad se absolvendum & decipiendum, speciosis rationibus inducant? Hæc communia, sive naturalia, sive spiritualia, *temporaria* vocamus: partim, quia non sunt dona ἀμεταμέλητα, (quæ Deus nunquam aufert) sed ex iis donis, quorum usus & fructus temporarius tantum est, quæque in hac vita auferri possunt: partim, quia ad exercitium horum donorum, homines irregeniti, ex carnali amore sui, ex ambitione, avaritia, æmulatione, aliisque similibus pravis affectibus, (quæ præsentem vitam respiciunt) moveri solent: & non ex solida dilectione erga Dei gloriam & salutem hominum.

25. Quod autem homines hic facillimè, non tantum se decipere possint, sed etiam se reipsa decipiant, author nobis est Christus, qui (*Matth.* 7. 21.) prædicit, non tantum Idiotas ex vulgo se decepturos, sed etiam Prædicatores Evangelii: imo Prophetas & miraculorum dono auctos & ornatos, eosq; non paucos, sed multos existimaturos se in die judicii absolutionis sententiā audituros, eò quod in nomine Christi prædicârint Evangelium, ejecerint Dæmonia, multaque miracula in nomine Christi ediderint: qui tamen nihilominus ab ipso, ut operarii iniquitatis, condemnabuntur & ejicientur. In his enim omnibus deest sensus peccati inhærentis, humilians peccatorem; deest metus iræ meritæ ad Mediatorem impellens, deest fides in Christum, & deest studium novæ obedientiæ. Denique, (ne diutius, in enumerandis fallaciis quibus homines sibiipsis imponunt falsoque se absolvunt, insistamus) certum est, sicut errrandi, sic etiam nosmetipsos decipiendi vias esse innumeras; tantoque magis difficulter perspici & evitari posse periculum deceptionis, quanto plures fallaciæ concurrunt, seseque invicem tegentes, probabilio-

rem speciem Regenerationis & novæ creaturæ præ se ferunt.

26. Causæ præcipuæ harum fallaciarum & deceptionis eorum qui falso se absolvunt, sunt hæ quinque. Prima, est *ignorantia* Verbi divini; nominatim autem ignorantia Legis & justitiæ divinæ. Et qui hoc morbo laborant, non intelligunt quam sancta & spiritualis sit Lex, quæ officia exigat ab omnibus, & quousque se extendat, scilicet, ad inclinationes & facultates omnes animæ & corporis; non intelligunt peccati naturam, quantum Deo, ejusque autoritati, sanctitati & majestati adversetur; non intelligunt quid sit peccatum originale, & quid mereatur, quæ sit naturæ corruptæ pravitas, quam misera conditio filiorum *Adami*, quod ad spiritualia attinet, mortuorum, & sub peccati Satanæque jugo animalem vitam degentium, & in perditionem æternam ruentium; vel saltem non ista intelligunt ita ut humilientur in se, vel, metu iræ divinæ tangantur, vel, seipsos abnegent, vel fiduciæ carnali renuncient: Non mirum ergo quod se falso absolvunt. Secunda causa, est carnalis & erronea apprehensio omnium rerum spiritualium: nominatim autem Dei, Christi, Resipiscentiæ, Fidei, Spei & Charitatis. Deum enim (quia non statim prosilit ad punienda scelera) sui similem esse fingunt, hoc est, si non scelerum Patronum & approbatorem Deum judicant, saltem eum putant qui non habet majorem rationem peccati, quam ipsi securè peccantes, *Psal.* 50. 21. fidem & spem mortuam, pro fide & spe viva admittunt; charitatem labiorum, pro laboriosa ponunt; morales virtutes ab Ethnicis affectatas, pro Christianis habent. Non mirum est igitur quin seipsos decipiant. Tertia causa, est falsa hominum argumentatio à bonis aliquot actionibus suis, ut ipsis placet, ad concludendum, quod habitus infusi & principia actionum sint in seipsis. Nam si forte aliquid aliquando fecerint, quod speciem Christianæ virtutis præ se ferebat: mirum, quantum de sua Resipiscentia, de sua dilectione erga Sanctos, de sua fortitudine, temperantia, æquanimitate & misericordia, vel jactent apud alios, vel intus sibi gratulentur! Ad quas virtutes probandas, nihil præter aliquas instantias, à multis forsan retro annis in memoriam revocatas, producunt: quibus rationibus non possunt seipsos non decipere. Quarta causa, est comparatio sui, vel cum hominum pessimis, vel cum sui similibus, vel cum sanctis, qui lapsi sunt in aliquod peccatum gravius, vel cum aliqua regula obliqua, quæ ipsos non potest non fallere. Quinta causa, est irregenitorum nimius sui amor, per quem sua quæcunque bona supra modum amplificant, & peccata sua extenuant vel excusant; facta sua in se licita, sed non apertè mala, pro expedientibus & verè bonis æstimant; falsa quoq; pro veris, & obliqua pro rectis ad sui justificationem admittunt; falsas Regenerationis notas comminiscuntur, & veras notas (sicut & promissiones factas verè fidelibus) falso sibi applicant.

27. Hu-

27. Hujus autem morbi ſymptomata ſunt hæc. Omnes qui falſo ſe abſolvunt, in creaturis ſuam perfectionem & felicitatem quærunt; minime ſeipſos abnegant; non ſerio ad humiliationem ſentiunt morbos animarum ſuarum; nec ſolide agnoſcunt ſe habere opus Chriſto Medico; præſumunt omnes; ſecuri ſunt omnes; non metuunt ſibi à Dei juſtitia vel ira; ſibi ipſis placent in viis ſuis & plaudunt; non admittunt accuratius aliquod examen de vita ſua; ſuſpicionem de ſua integritate vel ſinceritate conceptam ab aliquo, vel à Conſcientia ſua injectam, impatienter ferunt; omnes reſpiciunt magis bona quæ in ſe ſunt, aut ineſſe videntur, ut in ſe propter illa confidant, quam mala ſua recognoſcunt, ut humilientur & ſuæ juſtitiæ renuncient; denique, alicui Idolo in corde ſuo latenti & regnanti ſerviunt. Omnibus his dicet Chriſtus tandem (niſi reſipuerint dum dies eſt, & dum gratia Dei ipſis offertur) *Abite à me operarii iniquitatis.*

28. Uſus hujus doctrinæ eſt, ut admoniti ſapiamus; ut caveamus nobis ab impoſturis peccati, mundi, Satanæ & cordis noſtri; nec ſecuri ſtertamus dum dies eſt: Sed vigilemus, & ſubinde nos excutiamus, & judicemus ſecundum Legem Dei, ut cogamur de die in diem ad Chriſtum confugere, & ad eum propius accedere, ut arctius cum eo uniamur, ne cum mundo in tenebris verſante pereamus: in ſpecie autem caveamus, ne in re ulla externa, extra Chriſtum; ne in ullo opere noſtro, ne in officii ullius noſtri præſtatione, ne in ullis donis aut dotibus internis à Deo nobis conceſſis confidamus vel quieſcamus; ne confidamus in communibus privilegiis viſibilis Eccleſiæ, quod piis parentibus nati, quod in vera Religione aliti & educati ſimus; ne ſit nobis ſatis, quod pios omnes, & optima quæque opera probare & amare nobis videamur; quod corda noſtra promittant ſe operam datura, ut à nobis officia omnia dilectionis erga Deum & proximum præſtentur; ne ſufficiat, quod vitia, quibus dediti fueramus, abjecerimus, & ex pollutionibus hujus mundi evaſerimus; quod in vita noſtra ſcandala nulla aliis objiciamus, ſeu, quod nullo vitio notati ſimus, vel, quod nos ſubinde abjiciamus ad Dei pedes in ſacco & cinere cum lachrymis: imo vero ne ſufficiat nobis Religionis exercitiis omnibus incumbere, Scripturas legere, conciones auſcultare, jejunio aliquando & precationibus vacare, cum Phariſæis in obſervatione omnium mandatorum contendere: hæc enim fieri quidem debent, ſed niſi juſtitia noſtra excedat juſtitiam Phariſæorum, non introibimus in regnum cœlorum; nec putemus ſufficere, ſi zelo ardeamus pro reformatione publica, & adverſus peccata aliorum viriliter decertemus: fons enim & finis horum officiorum diſcrimen ponunt inter virtutes Phariſaicas & Chriſtianas. Quod ſi nobis datum ſit defectus operum noſtrorum obſervare, eoſque agnoſcere

& deplorare: nec illud satis esto, quandoquidem agnitio vel confessio peccati, non est expiatio peccati; neque supplentur defectus per dolorem ob defectus, vel, per emendationis sive promissionem sive propositum. Quod bonis operibus studere & in illis fiduciam minime fundare debeamus, verbo tenus & in mentis judicio facile omnes agnoscimus: reipsa tamen in contrarium tendit corrupta cordis nostri inclinatio,& praxis: omnes enim per naturam, justitiam & salutem ex operibus nostris, ex satisfactionibus nostris & ex sufficientia virium nostrarum affectamus. Quapropter etiamsi hunc practicum errorem in nobis jam observavimus, eumque in Conscientiæ judicio condemnavimus, eique renunciasse nobis ipsis visi sumus: ne tamen hîc facile cordibus nostris credamus, quia erroris hujus tenacissimi sumus,eumque diligentissime palliare, dissimulare, sub aliquo novo specioso nomine retinere, novaque obedientiæ titulo incrustare solemus. Sed studeamus totos nos in Christum conjicere, ut justitia ejus imputata (ex tenore fœderis gratiæ) totos nos amiciamus & tegamus, in eaque sola gloriemur ut quæ ad nos justificandum coram Deo sufficit sola; & studeamus sanctitati, seu novæ obedientiæ, simul & justitiam imputatam, seu, Remissionem peccatorum nostrorum, nostræ justificationis proram & puppim facere, ne nos decipiamus. Irregenitus enim convictus de impotentia sua ad bonum bene agendum, potest huc usque Evangelio obedire videri, ut Christum adeat; ab eoque precibus contendat, ut vires suppeditet, ad has vel illas cupiditates debellandas, & ad hæc vel illa officia præstanda: interea tamen errorem practicum novissime nominatum mordicus retinere & fovere, hoc est, operam dare ut stabiliat suam justitiam. Quod perspici potest in Pontificiis, qui justificationem per opera profitentur, & imputatam Christi justitiam rejiciunt, & ludibrio habent tanquam putatitiam. Non negabit Pontificius se per naturam peccatorem esse, & iræ divinæ obnoxium; non negabit, verbo tenus saltem, Christum esse unicum Servatorem: urgebit quantum vis,ut justitiæ studeas; jubebit ut adeas Christum ad obtinendum potentiam ad sancte vivendum,ad pollutiones & imperfectiones bonorum operum abluendas in Christi lavacro, easque supplendas in ejus perfectione docebit: & quod bonum in te reperitur, tingendum præscribet in Christi sanguine, ut meritorium evadat. Neque hoc mirandum: nam in cordibus omnium filiorum *Adami*, etiam post amissam potentiam ad præstandum violatum illud fœdus operum, manet insculpta obligationis summa, *Fac hoc, & vives*, idque ex Dei instituto, ad concludendum omnes sub peccato: per quam obligationem, cum debeant homines reatum suum & justam condemnationem suam, & meritam mortem agnoscere, ut ad amplectendum Christum & fœdus gratiæ per

Christum

Christum adigantur: tantum abest ut sapiant, ut contra, stolidissime justitiam per opera impossibilem & vitam æternam ex merito suo irrecuperabilem affectent, eamque tam misere depereant, ut venientes ad Christum, velint si possint eum etiam Ministrum & fautorem erroris sui reddere; & fœdus gratiæ ipsius, in fœdus operum commutare. Et certe per naturam cor nostrum propendet, & fertur ad agendum cum Christo, non secus ac si furcifer aliquis, à suspendio per Regis filium redemptus, eique in perpetuam servitutem mancipatus, post vitam datam gratis, post victum & amictum ei concessum gratis, recusaret principis gratia frui, eique gratis servire; Sed accedens ad Regis filium mendicaret ab eo instrumenta operarii, quibus instrumentis posset operam suam Regis filio ob mercedem, vel aliis, quibus vellet dominis postea locare: & sic de suo sibi vivere. Huic errori practico quicunque Christiani cedunt, similes sunt hæderæ, quæ quercui incumbit; & succum de quercu sugit, quo vitam propriam alat & fructus suos ferat. Nam accedunt hi ad Christum, non ut habeant ipsum, sed ut habeant ejus dona quibus seipsos ditent, & absque illo se perficiant; accedunt ad Christum, sed nolunt inseri Christo; vivere volunt per Christum, sed non in illo; sibi vivere volunt, non illi soli: Restat ergo ut convicti de peccato & impotentia nostra, nosmet ipsos abnegemus in omnibus; ad Christum fugiamus, & cum eo magis magisque uniamur; in eo solo justitiam omnem & vitam quæramus; nunquam satis habentes, nisi eum habeamus nobis factum & sapientiam, & justitiam, & sanctitatem, & redemptionem: Nam si justitiam & sapientiam ab eo petamus; sanctificationem vero & liberationem à peccato & miseria aliunde quæramus, & non omnia in illo & per illum; non possumus nos salutiferæ illius vitis ramos probare. Atque hæc de Casibus Conscientiæ quibus impeditur Regeneratio hominis irregeniti sufficiant.

LIBER SECUNDUS.

De Caſibus Conſcientiæ, in quibus Status Regeniti vocatur in dubium.

CAPUT I.

De Præcognitis.

HActenus actum eſt de Caſibus, ſeu Morbis Conſcientiæ hominis Irregeniti, ut manifeſtum fieret quibus modis maliſque Regeneratio impediri ſoleat, & ſimul etiam perſpiceretur, quibus modis maliſque impediatur Regenerationis incrementum & progreſſus: Siquidem ex iis malis, quæ regnant in Irregenitis, pleraque obſident & infeſtant Regenitos. Deinceps tractandi veniunt Caſus ſeu morbi Conſcientiæ, qui pertinent ad Statum hominis Regeniti. De quibus ut clarius verba facere liceat, præmittenda ſunt præcognita quædam: quorum primum eſt.

1. In quæſtione de Statu hujus vel illius hominis, idem eſt quærere, an ſit Regenitus? &, an ſit efficaciter vocatus, fide vera imbutus, juſtificatus, Deo reconciliatus, filius Dei adoptivus? Idcirco in Reſponſione perinde erit affimare aliquem Regenitum eſſe, aut efficaciter vocatum, aut fidelem, aut juſtificatum, aut Deo reconciliatum, aut filium Dei adoptivum pronunciare. Hæ enim Regeniti denominationes, licet formaliter differant propter diverſas definitiones abſtractorum, idem tamen ſunt materialiter, & in concreto, ſeu, ſingulari homine: quia impoſſibile eſt ut aliquis ſit Regenitus, quin etiam ſit fidelis, juſtificatus, Deo reconciliatus, & filius Dei adoptivus.

2. Gratiæ ſalvificæ, ſeu, quæ ſalutem comitantur, nempe, Fides, Reſipi-

centia, Spes, Charitas, efficax Vocatio, Justificatio, Reconciliatio, Adoptio, simul sunt tempore, sed non sunt simul naturâ: Efficax enim Vocatio, natura præcedit fidem: fides, spem & charitatem, &c. Et gratiæ illæ quæ simul tempore dantur, non semper innotescunt simul tempore, nec se æquali evidentiâ nobis manifestant: sicut enim Resipiscentiæ signa, non levia, frequenter apparent in multis, priusquam appareat in iis fides in Christum; Sic etiam charitas erga Deum & Sanctos observari potest in Regenito sæpe, priusquam Regenitus ipse audeat aliquid de fide sua asserere.

3. Licet multi sint Regeniti, qui nondum perceperunt ulla in seipsis indubitata signa Regenerationis suæ, certum tamen est, multos etiam esse, qui magna cum consolatione sua, norunt se esse translatos de morte in vitam, & accepisse à Deo spiritum adoptionis, per quem Deum vocant Abba Patrem, seu, qui arrhabonem vitæ æternæ in cordibus suis acceperunt, sicut patet, *Ephes.*1,14. Et certum etiam est debere Regenitos omnes operam dare, ut certo dignoscant se esse filios Dei: Omnes enim fideles jubentur studere, ut certam sibi reddant Vocationem, & Electionem suam, 2. *Pet.*1.10. In quem etiam finem jubemur explorare, an simus in fide? &, an Christum per Spiritum suum in cordibus nostris habitantem habeamus? 2 *Cor.* 13.5. Alioqui enim nisi certo sciant Regeniti suam hanc felicitatem, non possunt pro ea gratias Deo agere, vel in Deo lætari, vel se hilariter ad Deo serviendum accingere, vel Deum cum fiducia ut Patrem suum invocare: quapropter orandus est Deus ab omnibus credentibus, ut det ipsis per Spiritum suum certius scire ea quæ ipse illis gratificatus est. De quo dono Spiritus, 1 *Cor.* 2.12. loquitur Apostolus.

4. Cognitio Regenerationis quoad certitudinis claritatem, multos admittit gradus, propter varietatem conditionum in quibus potest esse is, qui in statu gratiæ jam fixus & stabilitus est: Multæ enim oriri possunt dubitationes in Regenitis, quæ obscurent ipsorum lumen, & impediant certitudinem cognitionis quod sint Regeniti. Cujus rei rationes variæ reddi possunt, & inter alias hæ quatuor. 1. In Regenitis & per Spiritum Dei illuminatis, reliqua manet multa ignorantia, multæ dubitationes conjunctæ cum fide, propter imperitiam discernendi vel examinandi statum suum. Unde fit ut non tantum recens conversi ad Deum, idem sæpe patiantur in vita spirituali, quod infantes in vita animali, qui non nisi post tempus aliquod percipiunt per reflectionem se animas habere; Sed etiam adultiores Christiani sæpe ambigunt quid de statu suo statuant, quid de fide, quid de Regeneratione sua fixum teneant: maximè tum, cum per corpus peccati adjacentis notabiliter

impe-

impediuntur in spiritualis vitæ exercitiis, & coguntur cum *Paulo*, (Rom,7. 24.) clamare, *Miserum me, quis me eripiet?* &c. Interim tamen, propter fidei suæ imbecillitatem, non possunt cum *Paulo* eluctari, & ex dubitatione se expedire, 2. Plerunque per tentationes Satanæ, tenebræ objiciuntur sanctis ad impediendam certitudinem cognitionis de Regeneratione sui. Statutum enim est Diabolo vexare sanctos ex ipsius regno & vinculis elapsos: quos licet noverit se non posse perdere, non desinit tamen vexare, ut saltem minus alacres eos reddat ad Dei cultum: & quia metuit regno suo ab iis, idcirco negotium ipsis facessit, eosque ad suam ipsorum defensionem cogit, ne operam dent aliorum ad Deum conversioni, vel, ne ejus regnum in aliis oppugnent. 3. Plerumque offenditur Deus peccatis Regenitornm, præsertim lapsibus gravioribus, quibus Spiritus Dei irritatus & contristatus subtrahit consolationes suas, nec testimonium illis fert de sui ipsorum adoptione, sicut solitus erat. 4. Deus, dubitationibus permissis, exercere vult, & probare fidem suorum, eosque ad officia pietatis alacrius & sincere magis prosequenda incitare, ut superatis dubitationibus confirmatiores in fide evadant, & in omni observantia sinceriores & diligentiores reddantur.

5. Fieri potest, ut discernatur Regeniti Conversio ab exercitatis, & spiritu discretionis præditis observatoribus, quando ipse Regenitus maxime dubitat an sit Regenitus; imo vero quando Regenitus tentatione aliquâ irretitus, putat se non esse fidelem vel regenitum. Cujus ratio est, quia etiamsi Regenitus, propter nuper datas causas, ignorare potest aut non discernere statum suum; Signa tamen & effecta Regenerationis adeo manifesta esse possunt, ut inspectantes, & judicantes de eo secundum Charitatis regulam, non dubitent quin sit Regenitus. Non erat extincta fides in discipulis *Emmauntem* proficiscentibus, *Luc.*24. qui putabant se errasse, quod credidissent Christum esse promissum Salvatorem: manifesta enim indicia dilectionis erga Christum etiam tum percipi in illis poterant; interea enim dum suspicantur se falsos fuisse in fide sua de Christo, admodum tristes sunt, & colligunt quæcunque possunt argumenta, quibus penè mortuam de Christi Resurrectione fidem suam, resuscitarent.

6. Inchoatæ Regenerationis tempus non semper scitur vel discernitur ab ipso Regenito, vel alio quovis inspectante, ut experientia docet in aliquibus, qui à pueritia in exercitiis Religionis educati sunt, in quorum Conversione nulla notabilis mutatio perspici potuit: in his verum compertum est Christi dictum, *non venit regnum cœlorum cum observatione.* Hi quando examinare se incipiunt an sint Regeniti, an sint in Christo, & quo tempore conversi sint; de tempore statuere non possunt, & de re ipsa non nisi post aliquod tempus

pus audent affirmare, nempe, non nisi postquam, in probationibus variis, documenta dedissent sinceritatis suæ, ex certis indiciis, quæ fidem facere possent Christum in iis jam olim habitasse.

7. Etiamsi Regeneratio in omnibus Regenitis essentialiter & specifica definitione eadem sit, varia tamen est, respectu accidentium, in aliis atque aliis: aliqui enim non diu hærent in angustiis Regenerationis, sed exiguo interjecto tempore vulnerantur & sanantur, humiliantur & eriguntur; occiduntur per Legem, & vivificantur per Evangelium; ut videre licet in aliquot millibus electorum, *Act.*2. qui sermone uno vel altero, ad fidem & ad Ecclesiæ consortium conversi sunt; cum certum sit multos alios non nisi longo tempore, posse per doctrinam Legis humiliari, vel, per doctrinam Evangelii consolationem solidam capere. Aliqui in Conversionis initio lenius tractantur: postea vero jam adulti in fide, graviora patiuntur, ut in *Davide* videre est, qui in adolescentia, dum pasceret oves, cantionibus sacris & Cithara tempus in lætitia duxit; postea vero durius exercebatur, & sensu iræ divinæ sæpius affligebatur. Aliqui in mœrore & lachrymis Christum sequuntur, & ejus Regno promovendo student, ut *Timotheus*, quem *Paulus* hortatur, ut uberiorem mensuram consolationis in Christo admitteret; ut se fortiorem præberet in militia quam militabat. Idem etiam observare licet in *Hemane* Ezraita, qui, *Psal.*88.15, conqueritur se ab adolescentia, terroribus Dei agitatum, animo pependisse: In quo etiam probatum videmus illud, quod in superiori præcognito dictum est, de Regeneratione inchoata priusquam discernatur ab ipso Regenito, vel ab alio quovis. Nam in iis qui terroribus legalibus diutius exercentur, non licet pronunciare utrum in illis sit ulla Spiritus Sancti regenerantis operatio, priusquam fides in Christum incipiat apparere: sicut enim fieri potest, ut Spiritus timoris operetur in aliquibus aliquantisper, ad convictionem tantum, non autem ad conversionem; sic etiam fieri potest, ut in terroribus his lucta aliqua sit, in qua lateat fides: de qua lucta nemo audeat pronunciare, quod ex fide fuerit, priusquam fides ex tentationibus, aliqua ex parte victrix, emerserit. In quo casu magnâ cautione opus est, ut doctrina Evangelii afflictis animabus dextrè applicetur.

8. Etiamsi Regenitus, quoad *statum* personæ suæ in gratia firmus fixusq; sit, in eoque statu apud Deum stet immotus, ut ostenditur, *Rom.*5.1,2,3. quia dilectio divina, erga suos in Christo manifestata, immutabilis est; & æternum est fœdus novū in Christo stabilitum; & dona salvifica sunt ἀμεταμέλητα, seu, quæ semel dedisse nunquam Deum pænitere potest. Mobilis tamen est Regenitus, & mutatur sæpe, quoad *conditionem vitæ* & conversationis, & quoad dispositionem animæ suæ, in exercitio habituum, & in sen-

su seu perceptione gratiæ divinæ in se, & erga se. Fieri enim potest, & usu sæpissime venit, ut qui est in *statu* gratiæ, hoc est, in statu optimo, sit in *conditione mala*, & in dispositione animæ misera & deploranda, ut videre est in Ephesiis, à prima sua dilectione erga Christum lapsis; in Laodicæis tepidis; & in Sardicensibus aliquibus jam penè mortuis. In quibus etiam fieri potest, ut, post observatam conditionem & dispositionem animæ suæ, mutatam in pejus, oriantur dubitationes de suo statu, an sit bonus: quæ dubitationes statim solvuntur & evanescunt, quando conditio mutatur in melius: nam hanc tentationem præoccupat Christus alloquens Sardicenses, & Laodicæos, illos jubens roborare reliqua moribunda, hos vero jubens de amore suo in eos non dubitare.

9. Tentationes quibus turbatur Regenitus, & solicitatur ad dubitandum de statu suo, an sit in gratia apud Deum, distingui & discerni debent ab ipsis dubitationibus: potest enim tentatio esse ad dubitandum, sine dubitatione insequente, ut videre est in Christo, quem Diabolus ausus est tentare, & solicitare ad dubitandum an esset Filius Dei, & tamen in ejus corde nulla dubitatio potuit oriri. Præmonet etiam Apostolus, *Ephes. 6.* quod ignita & venenata tela conjicere soleat hostis noster in omnes filios Dei: quæ tela non debet Regenitus contrectare, sed per scutum fidei quam ocyssime extinguere. Ubi autem probabilis ratio cum tentatione conjungitur, & jam dubitatio justa videri potest; & ubi metuendum est ne tentatio efficax evadat, nisi scrupulus auferatur, ibi expedit dubitationem syllogismo formato examinare & solvere; alioqui neglecta, recurret & infestabit magis.

10. In dubiorum solutione, observandum & cavendum est singulare illud Satanæ stratagema, quo dubia simul plura coacervat, aliudque post aliud suggerit; nec sinit ut solutio dubii, à Pastore vel fido aliquo amico oblata, audiatur, sed studet simul ut animus avertatur à solutionis perceptione & cognitione, & in novi dubii observatione & consideratione totus defixus detineatur: quo fit, ut frustra tentetur dubii solutio, ad quam non attendit is, qui *dubio vexatur*. In hujusmodi Casu operam dare debet, & is cui dubium solvendum est, & is qui solvere illud satagit, ut proposito dubio aliquo, nullus locus detur alii cuivis dubio, donec satisfactum fuerit priori in arenam jam producto.

11. Quandoquidem omne dubium quo turbatur Regenitus tendit vel ad fidem in Christum lædendam, vel ad fructus fidei impediendos, non debet ulla solutio dubii solida vel sufficiens æstimari, nisi per eam manu ducatur dubitans ad Christum, ut coram eo humiliatus & abjectus, discat Redemptorem *primo*, per fidem arctius apprehendere, & *deinde* eum applicare ad

remedium mali, per dubii solutionem manifestatum: Christus enim finis est, sicut legis, sic etiam exercitii omnis spiritualis. Præcepta autem moralia, quibus imperiti Medici ægras Conscientias solent onerare, jubentes vulneratos *primo loco*, hæc vel illa officia, virtutumque effecta præstare, ut malum demonstratum tollatur, minime juvabunt dubitantem, nisi æger animus *ad Christum primo loco* ducatur, ut in illo virtus necessaria obtineatur, & per eum præcepta moralia vivificentur: imo vero præcepta illa sine Christo proposita, detinebunt ægrum in seipso confidentem,& frustra sperantem, se posse per suum aliquod opus, malum superare, aut se posse per se, bonum necessarium ad solutionem dubii propositum, consequi.

12. Quia in omnibus fere Casibus Conscientiæ, qui ad *Statum* Regeniti pertinent, agitur de gratia aliqua, seu virtute Christiana, Cavendum ne virtutes Evangelicæ exigantur ad amussim, & exactam perfectionem legis moralis: Nam in judicio Dei & Conscientiæ, secundum legem instituto, nulla persona meri hominis, nullaque actio humana consistere poterit. Tot enim imperfectiones in optimis actionibus, ad strictam justitiæ regulam examinatis, comperiuntur, ut in conspectu legis evanescat fere, quicquid speciem obedientiæ habere videtur; Sed examinentur Evangelicæ virtutes ad Evangelii ἐπιείκειαν, quæ perfectionem boni operis à fide profecti ponit in obedientiæ legi præstitæ sinceritate, non in plenissima conformitate operis ad legem. Requirit quidem Evangelium, ut homo, jam in Christo,Deoque reconciliatus in virtute Christi per fidem applicati, operetur id quod Lex jubet & requirit, ut ex dilectione Dei & in Dei gloriam præscripta à Deo opera agat; & ut omnibus viribus contendat, collimetque ad exactam legis obedientiam: Sed tamen Evangelium non rejicit opus bonum propter defectus quosvis, sed boni consulit primitias novæ obedientiæ, fovetque initia tenuiora, ut incrementum capiant & augeantur: siquidem Evangelium non docet justificationem personæ per opera, sed per fidem; & justificationem fidei instituit faciendam, per obedientiæ sinceritatem.

13. Dum in curandis morbis Conscientiæ, & solvendis dubiis fovemus fidem, Cavendum est ne foveamus præsumptionem, ne impediamus resipiscentiam, vel diligentiæ in officiis studium minuamus: non enim se mutuo impediunt virtutes Christianæ, sed juvant aliæ alias si genuinæ fuerint, utpote ab eodem fonte & spiritu, ad eundem finem fluentes. Rursum cavendum, ne sic urgeamus Resipiscentiæ exercitium, vel, studium bonorum operum, ut lædamus fidem in Christum, qui dat & resipiscere,& sancte vivere. Nec sic prædicemus justitiam Christi imputatam, ut negligamus urgere hominem, gratis justificatum, ad fructus ferendos, & ad sanctimoniæ studium

prosequendum: Nec fœdus gratiæ, & abolitionem fœderis operum ita extollamus, ut legem seu mandata moralia, legisque usum aboleamus. Sed meminerimus abolito fœdere legali, manere æquitatem & autoritatem legis moralis, ut regulæ perpetuæ, quæ usum utilissimum in tota vita Christiana habitura est, cum ad ostendendum Christianorum officium, tum ad peccati vires & virus manifestandum: quo Christus semper sit nobis gratior, & magis magisque necessarius ad justitiam & salutem appareat.

14. Cum de operationibus Spiritus Sancti in fidelibus, & de Christianis virtutibus, & de Dei actibus erga fidelem agitur, studiose observandus est ordo ille, quem Deus observandum nobis proposuit. Multi enim jam convicti de peccato, & in sensu impotentiæ suæ humiliati sunt, qui ad Christum jam confugerunt, & vitæ novitati ita studuerunt, ut inculpate vivant, & tamen infeliciter suspendunt fidei suæ agnitionē; imo vero & fidei suæ recūbentiam (ut ita dicam) in Christū agitant & concutiunt, donec fructus illos fidei quos sibiipsis in sua imaginatione præscripserunt, in seipsis perceperint, & perceptos approbaverint; & similiter justificatos se non agnoscunt, quia maturos fructus justificationis in seipsis non sentiunt, quales ab ipsis exigi par esse putant, si fides in ipsis, aut si ipsorū justificatio per fidem agnoscenda esset; Næ hi ordinem à Deo positum invertunt: non enim sicut oporteret, fidē suā tanto studiosius figunt in Mediatore Christo, quanto se pauperiores respectu operū comperiunt, ut statuminata fide, fructus ferrent: Sed contra, fidem suspendunt ab operibus, & opera requirunt ante fidem: Atque ita fidem suam infirmant ut non possint ferre fructus. Æquū est quidem ut probetur fides ex operibus, & ut illa fides, mortua censeatur quam non comitatur studiū pie justeque vivendi: sed iniquissimū est, si quis fidem suam conjunctam cum studio fructus ferendi condemnet, & tanquam nullam rejiciat, quia nondum protulit tam splendidos & maturos fructus quam quis vellet: cum contra, deberet propter tantam in ipso boni omnis inopiam, tanto altius fidei suæ radices immittere in Christum, ut ex ejus virtute succum sugeret ad fructus uberiores ferendum: fides enim naturâ præcedit opera; & illi soli fructum ferunt abundantem, qui manent in Christo, non autem illi qui ab illo secedunt per diffidentiam ex defectu operum conceptam.

15. Licet verum sit, omnes venientes ad Christum debere ad eum accedere in sensu peccatorum suorum, & agnitione mortis meritæ, & in cordis compunctione, seu, dolore de peccatis, & humili abnegatione sui; Non tamen arcendi sunt ab accessu ad Christum illi, qui sibi non satisfaciunt in his, sed queruntur de se, quod nec apprehendant peccatorum quorum conscii sibi sunt reatum, nec sentiant dolorem requisitum, nec iram Deī metuant, nec

in seipsis eam animi demissionem, quæ in accedentibus ad Christum esse debet, percipiant: Sed contra, vident in seipsis mentis cæcitatem & vanitatem, & observant suæ Conscientiæ stupiditatem, & cordis sui superbiam: non sunt hi (inquam) abigendi à Christi Throno. Sæpe enim non minor sinceritas convictionis, compunctionis, & humiliationis reperitur in iis, qui sibi displicent ob hujusmodi præparationis defectum, quam in aliis plerisque, qui speciem splendidiorem præ se ferunt, & sibi in his magis placent. Cavendum etiam dum requirimus in accedentibus ad Christum dolorem, humiliationem &c. ne reipsâ meritum aliquod tacite ascribamus his præparatoriis dispositionibus, quasi nihil absque his in nobis jam perceptis à Christo expectari possit, vel, quasi is jam non satis sit instructus ad merces Christi emendas, qui putat pretium hoc convictionis, contritionis, & humiliationis, se in manu sua non habere; Quin potius teneamus, quod, quo quisque est pauperior in æstimatione sua, tanto propius ad divitias Christi accedere debeat: quoniam in illo sunt omnes thesauri omnium virtutum; Ille est Princeps exaltatus, ut det Resipiscentiam *Israeli*, *Act*. 5. 31. Ille est autor & consummator fidei: ad quem unusquisque, qui sub defectu resipiscentiæ & fidei ingemiscens cupit accedere, potest & debet accedere, ut spiritum Resipiscentiæ & fidei in ampliori mensura accipiat. Neque in hoc Casu verendum, ne quis, qui opus se habere Christo judicat, nimis cito ad Christum veniat, aut adire eum jubeatur. Aliud enim est ad *Christum* accedere ut habeas ab eo & in eo id quo indiges: aliud vero intempestive advolare ad Christi *consolationes*, nondum necessarias, vel, consolationes lugentibus & contritis corde promissas arripere, & sibi arrogare, Dei ordine non observato: novit enim Dominus quomodo unusquisque ad ipsum accedens sit tractandus. Ille accedentem ad se detinere ad ostium novit, precantem satis diu, priusquam respondeat, & ita, accedentem ad ipsum humiliare amplius, emollire ejus cor amplius, & præparare eum ad consolationes. Interim non negandum est multos esse qui labiis accedunt ad Christum, quorum corda longe absunt ab ipso, & à sensu malorum suorum, & à desiderio medicinæ quæ est in illo; & idcirco non sine causa requiri à Pastore præparatorias dispositiones in accedentibus ad Christum: nam etiamsi Deo liberum sit absque his præparatoriis exercitiis opus suum inchoare, non tamen liberum est hominibus officia sua negligere. Cavendum tamen est, ne quis, qui judicat seipsum his carere, & queritur se peccatorem stupidum esse, & putat se esse in numero eorum qui pœnitere nesciunt, suspendatur ab aditu vel accessu ad Christum, donec senserit in se ea signa contritionis & humiliationis, quæ ipse vellet habere: Hoc enim perinde sonat, ac si juberetur peccator, ex seipso, vel ex alio

aliquo fonte quam Christo, sensum peccati & humiliationem cordis,reliquaque requisita fidem salvificam præcedentia haurire. Nam etiam *Simon Magus*, *Act*.8.22. (qui in amaritudinis felle deprehensus,destituebatur salvifica fide & resipiscentia) jubetur precari, ut Deus peccata remitteret,& pravitatem illam cordis sui auferret, & iram meritam amoliretur : Quanto magis ad Deum, per Christum admittendi sunt ii, in quibus hæc fellis amaritudo non perspicitur.

16. Cum certum sit Deum prævenire omnes qui convertuntur, & oculos Convertendorum aperire, ut malum perspiciant priusquam auferatur ; & dare aliquid in unoquoque genere bonorum, priusquam amplius in eo genere ab eo petatur ; Rogandi sunt omnes qui aspirant ad Christum, ut observent minimum quodque initium luminis, & minimam quamque scintillam convictionis de peccato,minimumque granum rectæ æstimationis de perfectionibus & officiis Christi ; & ut in pretio magno habeant minimam quamque portiunculam collyrii, quo aperitur ipsorum oculus, ad discernendum cæcitatem,paupertatem vel miseriam suam ; & excitandi sunt, ut,agnoscentes Dei benignitatem quæ aliquid indulsit,orent eum sedulo,ut det etiam reliquum quodcunque ad plenam & indubitatam conversionem faciens. Sic enim orare docentur electi, *Jer*.31.18. *Converte me, & convertar.* Et *Cant*. 1.4. *Trahe me post te, & sequar.* Atque hæc dicimus, loquentes cum infirmis, & ipsorum de seipsis æstimationi, sermonem nostrum accommodantes,ut ædificentur illi,quibus nondum datum est perspicere & agnoscere ea, quæ à Deo ipsis jam gratis donata sunt.

17. Sicut morbi corporis, sic etiam Conscientiæ morbi & Casus, alii sunt simplices, alii complicati : Casus simplices sunt in quibus malo uno aliquo sic urgetur æger, ut nullum aliud sentiat malum in præsenti, e. g. cum de voluntate Dei erga ipsum dubitatur tantum, non de re alia quavis : *potes me mundare si vis* (inquit Leprosus ille) *Mat*.8.2. Casus complicati sunt, ubi multa concurrunt mala, seu, cum turbatur Conscientia multis dubitationibus & variis exercitiis agitatur : & hic simul oriri poterint multæ quæstiones, quas judicium ægri distinguere non poterit ; & quibus prorsus obtenebrari & confundi ipsum necesse sit. In hoc Casu ordo aliquis, in quæstionibus & dubiis ægro propositis, tenendus est : ex quibus, maxime periculosum dubium seligendum est, & primo solvendum : quo sublato, accedendum ordine ad dubia reliqua, ut æger, in periculo desperationis constitutus, manu ducatur primo ad possibilitatem salutis suæ in Christo agnoscendam : & deinde moveatur ad credendum in Christum. Hic Casus describitur à Propheta, *Psal*. 42.7. *Abyssus abyssum inclamat ad sonum canalium*

tuorum:

tuorum: omnes fluctus tui & undæ tuæ super me transeunt. Et *Psal.* 77. 7, 8. *An in æternum rejiciet Deus? an non perget bene velle amplius? an deficiet in æternum benignitas ejus? an deficiet verbum ejus in æternum?* tandem se colligit: *hæc est mea infirmitas.*

18. Dolores mundanos & passiones hypochondriacas, & perturbationes animæ, quæ ex morbo vel alia aliqua corporis intemperie oriuntur, distinguere & discernere oportet à Casibus Conscientiæ & à spirituali lucta, ut naturali morbo remedium idoneum petatur, à Medicinæ Consultis; & malo spirituali laborantibus, Conscientiæ nodi dextre solvantur. Et hic maxime opus est cautione, & diligentia magna, in complicatis malis, cum æger animus intemperie humorum simul & Conscientiæ angoribus agitatur, ut symptomata utriusque mali prudenter observentur, & unicuique morbo corporali & spirituali, proportionata remedia adhibeantur. Miscentur enim sæpius naturales animæ perturbationes, ex humorum intemperie, cum Conscientiæ exercitiis: De quo monuisse in genere hic sufficiet.

19. In curandis Conscientiæ morbis, ne sufficiat uni alicui morbo occurrere, sed sic deducatur æger ad Christum in sensu præsentis morbi, ut ab illo etiam discat agnoscere alia sua mala, quibus in præsenti forsan non turbatur; & in Christo liberationem ab illis expectare doceatur; in eumque finem, seipsum, in perpetuum, in omnibus rebus, Christo in disciplinam & custodiam tradere jubeatur. Nam quisquis accedit ad Christum, debet accedere ex destinato consilio & proposito, ut ab ipso postea nunquam discedat; sed maneat, & vivat in illo, ut ab eo aliam post aliam accipiat gratiam, & in illo solo omnia ad justitiam & salutem necessaria consequatur. Nec satis habere debet æger, si unum aliquod bonum, v. g. si pacem sentit in Conscientia sua, & se liberatum videt à terroribus, à quibus aliquando premebatur. Si enim unum aliquod bonum tantum, v. g. si post flagitium admissum, quies Conscientiæ sola quæratur in Christo, facilis erit reditus ad vomitum. Sed studendum est ut virtus ex ipso hauriatur, ad mortificationem omnis peccati, & ad reparationem Imaginis Dei in omnibus facultatibus animæ & corporis; & ut fructus omnium officiorum Christi magis magisque in toto vitæ cursu percipiantur. Denique laborandum est, ut ægri fides & resipiscentia, actus suos quotidie in virtute Christi, pro re nata exerant: fides enim & resipiscentia, quas æger putat jam olim defunctas esse officio suo, & idcirco eas in se quiescere finit, nec eas excitat ut se exerant quotidie, (prout subinde sentiuntur novæ infirmitates, vel, novi defectus apparent, seu prout peccata nova subinde erumpunt) merito in quæstionem vocantur, an genuinæ sint: fides enim & resipiscentia habitus sunt, qui suos

actus

actus emittere debent, quoties ad eorum exercitium is qui habitu præditus est, vocatur.

20. Caveat sibi Pastor in curatione morborum Conscientiæ, ne sibi confidat, aut sibi plus quam æquum est arroget ; Sed Deum respiciat *intus* in corde suo, ab eo benidictionem petens, & *aperte* in dispensatione verbi, dum colloquitur cum ægro, à Deo pendens, eique gloriam prout res postulat,tribuens. Similiter doceat ægrum oculos attollere ad Deum, & non admirari Ministrum ejus, vel ei plus quam æquum est tribuere : serunt, plantant, irrigant Ministri, Deus autem solus est qui dat incrementum. Facile hic labuntur incauti, & Deus Zelotes est, qui gloriam suam non dabit alteri.

21. Instituendus est æger,ne in sensu miseriæ suæ vel peccatorum suorum, vel metu iræ ulterioris nimium festinet ad consolationem, sed patienter Deo se submittat, sub potenti ejus manu se humiliet, in mansuetudine animi subjugati, Dei consolationes expectet; id maxime curans,ut per Dei ferulam erudiatur, & intelligat officium suum in eo Casu in quo est, & illud sedulo præstet : fructus enim afflictionis, est patientia ; & patientiæ fructus, experientia. Præstat aliquantisper in vinculis detineri afflictorum animos, ut ipsorum ferocia dometur, quam morem geri à Deo puerilibus votis, relaxationem ante tempus maturum petentibus : Nam non longe abest Dei consolatio ab iis,qui seipsos ei submittunt.

22. Quia opus Spiritus Sancti convertentis hominem ad Deum citius inchoatur,quam à nobis discernitur; & quia periculum est ne ex altera parte blandis consolationibus impediamus Resipiscentiam trepidantisConscientiæ, & ne ex altera parte impediamus fidem ad desperationem tendentis animæ, aut ad Christum è longinquo respicientis & non audentis adire eum : Idcirco sic temperet Pastor doctrinam resipiscentiæ & fidei in Christum, ut de industria Spiritui Sancto, tanquam Regenerationis opus in expergefacta Conscientia inchoanti,vel promoventi, in toto suo sermone inserviat : satius enim est sic, ex charitate judicare, quam de Dei opere & de afflicto suspiciones sinistras fovere. Quapropter ad Casus Conscientiæ circa Regenerationem reducamus omnes illos morbos, in quibus aliquis onustus peccati sensu, vel iræ metu territus,impeditur ne propius accedat ad Christum, vel,ne confidenter se ei committat ; vel, conjiciens se in Christum, impeditur ne credat se acceptatum ; aut si speret se acceptandum, impeditur ne quiescat in Christo ; seu, ne radices altiores agat in illo per fidem , ut robur & incrementum persuasionis de Dei erga se dilectione consequatur ; vel, non dubitans de dilectione Dei ad salutem æternam , impeditur ne per fidem succum

&

& virtutem fugat à Christo ad fructus uberiores ferendos; vel, exercitatus variis tentationibus, probationibus, afflictionibus, desertionibus, aliisque (quibus premi solent fideles) difficultatibus impeditur, ne per fidē vivat & valeat.
Breviter ad Casus Conscientiæ Regenitorum reducimus omnes illos Casus, in quibus humiliatus peccator fugiens ad Christum, impeditur ne Christum & perfectiones ejus apprehendat & applicet sibi, ordine à Deo præscripto, ad plenam *sapientiam, justitiam, sanctificationem, & redemptionem.* Ut autem melius dignoscatur quid sit impediri, ne Christum faciamus nobis plenam sapientiam, justitiam, sanctificationem, & redemptionem; Videamus quis sit sensus suavissimæ illius sententiæ, quam pronunciavit Spiritus Dei per *Paulum*, 1. *Cor.* 1.30. Sermonem hunc in quatuor sententias resolvimus, in quarum unaquaque hæc tria insinuantur. 1. Necessitas nostra. 2. Sufficientia Christi. Et 3. Officium nostrum, qui confugimus ad Christum, ex jure nobis facto in illum. Prima sententia est hæc, *Christus factus est nobis sapientia à Patre.* Hæc sententia, 1. Supponit nos per naturam esse cœcos in spiritualibus, qui rationem salutis consequendæ, aut Deo rectè serviendi, nec intelligimus, nec revelatam capere possumus. Ex parte autem illuminatos & fide donatos obsideri multis tenebris, & variis erroribus obnoxios esse; & opus habere ut quotidie porro illuminemur, instituamur, efficaciter doceamur, corrigamur & dirigamur in omni veritate ad salutem necessaria. 2. Hæc sententia significat Christum esse ipsissimam sapientiam, & promptuarium, in quo reconditi sunt omnes thesauri cognitionis & sapientiæ nobis à Patre communicandæ; & Christum ex pacto cum Patre teneri se manifestaturum nomen Patris, seu, totum ejus consilium ad salutem afferendam omnibus quos Pater ipsi vendidit & tradidit; & Christum unctum esse à Patre, ad officium Doctoris & Prophetæ, ut per Scripturam Spiritumque suum, Redemptos suos de veritate salvifica institueret, doceret, fide salvificâ imbueret, in obedientia dirigeret, & in veritate omni ad salutem necessaria, ex speciali munere ipsi à Patre demandato, duceret. 3. Hæc sententia significat officium nostrum esse, ex jure nobis facto in Christum, (tanquam in donum nobis à Patre datum, sapientiæ salvificæ thesaurum, & thesaurarium, nobis credentibus adjudicatum) ipsum in omnibus difficultatibus cum fiducia adire, Verbum ejus consulere, ab eo petere & expectare consilium, simul & efficacem directionem, in omnibus ad justitiam & salutem necessariis. Idcirco quæcunque dubia adversus exercitium fidei nostræ propter ignorantiam & stultitiam nostram opponuntur, per hanc primam sententiam debemus ea solvere, & apud nos singuli dicere; *In hac mea conditione tristi per stultitiam meam in angustia detentus, conferam me ad Christum, qui fu-*

gientibus ad ipsum factus est sapientia. Secunda sententia, *Christus est factus nobis à Deo justitia*, 1. Præsupponit nos, per naturam injustos, & per Legis sententiam jam condemnatos, non posse nosipsos ab injustitia & condemnatione liberare; nec liberatos per Remissionem peccatorum, posse in eo statu per nos consistere, propter nova peccata, in quæ subinde incidimus. 2. Hæc sententia significat Christum in se esse justum & ipsissimam justitiam, sufficientem & idoneum ad satisfaciendum justitiæ divinæ pro nobis, & ad Remissionem peccatorum nobis impetrandam: imo vero significat Christum spopondisse & persolvisse Patri absolutionis nostræ pretium, nempe, perfectam obedientiam usq; ad mortem crucis; atq; ita impetrasse nobis absolutionem à reatu peccatorum & à condemnatione, & simul etiam imputationem obedientiæ Legi à nobis debitæ, officiumque suscepisse ad partam illam justitiam nobis applicandam, & ad nos in eo statu conservandos. 3. Hæc sententia significat officium nostrum esse, ex jure nobis facto in Christum, (nobis credentibus adjudicatum in justitiam, & fide-jussorem constitutum pro nobis) ipsum cum fiducia in sensu reatus nostri adire, & in ejus unius justitia acquiescere; sententiam partæ absolutionis per eum nobis applicare, & ad Deum placatum per eum cum fiducia accedere. Idcirco ex conscientia juris nobis facti in illum debemus ad omnia quæ nobis vel cor nostrum, vel Lex, vel Satan objicere poterunt, respondere: & per hanc sententiam objectiones solvere, & apud nos singuli dicere, *In hac disputatione contra fidem meam, propter injustitiam meam, conferam me ad Christum, qui, omnibus in sensu indignitatis & injustitiæ suæ fugientibus ad eum, factus est justitia.* Tertia sententia, *Christus factus est nobis sanctificatio*, 1. Præsupponit in nobis, etiam post justificationem, reliquias peccati & polluticnes hærere; nec posse nos per nos peccati virus à nobis segregare, sed opus habere purgatore, & sanctificatore, qui peccatum in nobis magis magisque mortificet, nosque magis magisque renovet, officia nostra Deo grata acceptaque reddat, & tandem sanctificationem nostram absolvat & perficiat. 2. Hæc sententia significat Christum Sanctum esse Israelis, sufficientem ad nos sanctificandum, ut qui non solum persolvit pretium absolutionis nostræ, sed etiam pepigit cum Patre se plenè reparaturum Imaginem Dei in nobis, officiumque triplex; Propheticum, Sacerdotale, & Regium, in eum finem in se suscepit. 3. Hæc sententia significat Christum à Patre nobis adjudicatum esse & datum in fontem sanctimoniæ nostræ, ut Spiritu suo nos efficaciter sanctificet; officiumque nostrum esse, ex jure nobis facto, ad Christum accedere, & in sensu pollutionis & imperfectionis nostræ appropinquare, Spiritus Sancti virtutem ab eo petere & expectare; &

in fide virtutis, ab illo nobis suppeditandæ, actiones omnes nostras capescere, & Deo per eum offerre. Idcirco quæcunque dubia adversus fidei nostræ exercitium propter nostras infirmitates & quotidianas pollutiones opponuntur, per hanc sententiam debemus solvere, & apud nos singuli dicere, *In hac disputatione adversus fidem meam, propter impuritatem meam, conferam me ad Christum, qui confugientibus in sensu peccati ad ipsum, factus est à Deo sanctificatio.* Quarta sententia, *Christus est factus nobis à Deo Redemptio*, insinuat, 1. nobis per fidem justificatis, & ex parte sanctificatis, conflictandũ esse cum Diabolo, carne, & mundo; & nos miseriæ, malisq; in hac vita plurimis, & tandem morti & sepulchro obnoxios esse; nec posse nosmetipsos ab his malis liberare, sed opus habere consolatore, & liberatore, qui non tantum per pretium, sed etiam per potentiam & vim efficacem, nos redimat ex malis illis, & plenè tandem liberatos expediat. 2. Hæc sententia significat Christum non tantum dignum Redemptionis pretium persolvisse; sed etiam omnipotentem esse ad omnes hostes nostros debellandos, ad mortem & sepulchri putredinem superandam, malaque omnia quæ nos infestant efficaciter profliganda: imo vero Christum pactum esse hæc omnia se effecturum, & officium Regale in eum finem suscepisse. 3. Hæc sententia significat Christum nobis credentibus adjudicatum Regem & in Solio collocatum esse, & omnia ei in manus tradita esse, ut inchoatum opus Redemptionis nostræ & plenæ liberationis absolvat; officiumque nostrum esse, (ex jure nobis facto in Christum) adire ipsum, & eum tanquam pignus plenæ nostræ Redemptionis futuræ in omnibus angustiis apprehendere, sustentationem & consolationem in malis omnibus petere, plenamque redemptionem expectare ab eo, in die adventus ejus: intereaque temporis in ejus victoria (qua hostes nostros omnes superavit) per fidem acquiescere & lætari. Idcirco debemus omnia dubia adversus fidei nostræ exercitium in hoc certamine proposita per hanc sententiam solvere, & apud nos singuli dicere, *Etiamsi ego malis ferendis, & hostibus superandis, impar sim, Confugiam tamen ad Christum, qui fugientibus ad eum in sensu infirmitatis suæ, factus est à Patre Redemptio, ut eos ab omni malo & miseria efficaciter liberet.*

CAPUT II.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti dubitantis de statu propter suam indignitatem.

QUæ præcognitorum loco præmissa sunt, inserviunt ad faciliorem explicationem specialium quæstionum & singulorum Casuum, quibus turbari potest aliquis de statu suo. In hunc etiam finem operæpretium erit Casus speciales aliquot, ut exempla proponere: in quibus tractandis, alii Casus & quæstiones aliæ plurimæ, (eandem vel similem habentes originem) ex iisdem fundamentis solvi possunt.

2. Omnium Regenitorum salus est certa; status in gratia Dei fixus & immobilis est; omniumque verè fidelium perseverantia in fide, per Christi fide-jussionem, ex Patris mandato ei imperatam, stabilita est, *Joh.6.39.* Sed non omnes Regeniti norunt se esse Regenitos, etiam quando in exercitio fidei & novæ obedientiæ, inspectantium Conscientiis se commendant. Multi Regeniti opinantur se esse Regenitos, qui nondum certiorantur de *statu suo in gratia.* Pauci sunt Regeniti, qui subinde in plena persuasione triumphant, qui animi serenitate & tranquillitate, vel semper, vel diu gaudent: multi vero sunt qui objectionibus, dubitationibus, tentationibus, desertionibus agitati, in quæstionem vocant *statum suum.* Cum quibus Pastori agendum est ut cum infirmis, ut cum iis qui in angustiis Regenerationis hærent, & ut cum jamjam convertendis. Quia eædem objectiones animi tranquillitatem perturbant, & serenitatem obscurant sæpenumero in Regenitis, quæ convertendos remorantur, ne gratiam oblatam in Christo amplectantur, vel in ea quiescant: quapropter & Regeniti dubitantes de statu suo, & illi qui in angustiis Regenerationis hærent, eisdem remediis curandi sunt. Verum audiamus primo loco Regenitos nullo vitio notatos, nullius sceleris conscios, in sensu nativæ suæ corruptionis lamentantes suam indignitatem, & propter eam suspicantes se non esse regenitos, nec audentes ad Sanctum Israelis Dominum nostrum Iesum Christum appropinquare, quando ejus gloriosam sanctitatem apprehendunt. Si rationem querimoniæ requiras? Statim indignitatis se manifestos teneri respondebunt, propter defectum bonorum operum & spiritualium virtutum, & propter sensum impotentiæ & ignorantiæ suæ in rebus spiritualibus: quapropter etiamsi vellent maximè ad Christum accedere, non audent tamen in ejus consortium seipsos ingerere; Sed putant præsumptionem esse in se suique similibus, vel Christum attingere.

Et hic Casus videtur fuisse *Petri*, qui ex sensu indignitatis suæ, & Deitatis Christi in miraculo piscium captorum fulgentis, *Luc.* 5. 8. procidens ad Christi genua, dixit, *Secede à me, Domine: quia homo peccator sum*, hoc est, indignus sum qui in tuum sanctissimum admittar consortium. Idem etiam Casus fuit Publicani illius, *Luc.* 18. 13. è quo post fidei luctam aliquam, tandem seipsum aliquousque erexit, & Deum versus accessit: sed *stabat tamen è longinquo, nec ausus est vel oculos ad cœlum attollere.* Hìc erat sensus indignitatis impediens ne confidenter accederet ad thronum gratiæ: quod impedimentum superavit tandem aliqua ex parte per fidem: & licet è longinquo steterit, faciem tamen versus propitiatorium convertit, & oravit.

3. Dignitas autem & indignitas aliquando dicuntur respectu excellentiæ & meriti; aliquando vero respectu idoneitatis, (ut ita dicam) seu, convenientiæ, congruitatis, aptitudinis, capacitatis & decentiæ: & in utroque sensu indignus sibi videtur æger noster secundum æstimationem suam. Sed distinguenda est æstimatio propria uniuscujusque de se, ab æstimatione Dei & sapientum de ipso: æstimatio enim propria de se, potest esse falsa: æstimatio vero Dei & sapientum de eo, est secundum veritatem.

4. In hujus Curatione, cavendum ne minuatur in ægro sensus indignitatis quod ad meritum attinet: sanus enim hic sensus est, nec est periculum, ne quis se indigniorem æstimet quam reipsa est. Sed dubitatio, de accedendo ad Christum, ex hoc fonte orta, solvi potest. 1. Ex consideratione fœderis gratiæ: tantum enim abest ut, qui sensu indignitatis suæ laborant, arcendi sint à fœdere gratiæ, ut contra, fœdus gratiæ non admittat ullos præter eos solos, qui dignitati suæ & meritis suis renunciantes ad meram Dei gratiam confugiunt: Dicit enim Christus, *Mat.* 9. 13. *Non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.* 2. Ex consideratione promissionum Evangelii: nam hujus generis indigni, ipsissimi sunt *pauperes illi sitientes & esurientes justitiam illam veram Christi*, quæ sola famelicis potest satisfacere, *Mat.* 5. 3. 6. Et sensus indignitatis, ipsissima est abominatio nostri, de qua, Propheta, *Ezech.* 36. 31. Et quæ in *Jobo* comperta est in præcipuo resipiscentiæ suæ actu, *Job.* 42. 6. 3. Ex consideratione officiorum Christi: quorsum enim plenitudo illa Christi de qua *Johannes*, cap. 1. 16? Et quorsum officia illa tria Mediatoris meram gratiam spirantia, per quæ Christus plenitudinem illam dispensat, nisi ut indignis succurratur, ut inimici reconcilientur, ut cæcorum oculi aperiantur, ut errantes, imprudentes, & impotentes dirigantur, corrigantur, juventur & emendentur? 4. Ex consideratione Status naturæ corruptæ: in quo vocati per Evangelium omnes

nes sine exceptione jacentes deprehenduntur, quando à vocante Deo convertuntur: nunquam enim vocatus est quisquam ad Statum gratiæ nisi ex Statu peccati; nulli nisi in sensu suo perditi salvantur; nulli nisi inimici reconciliantur; nulli nisi per Legem condemnati justificantur. 5. Ex consideratione dignitatis Christi: qui quia Deus est & homo, & pretium Redemptionis, infiniti valoris, persolvit, dignus est propter quem indigni admittantur ad thronum gratiæ, ut per Christum accedentes ad Deum, idonei reddantur ad salutem æternam, per sanctificationem Spiritus. 6. Ex consideratione dispensationis gratiæ à Christo, qui neminem propter inhærentem dignitatem ad se vocavit, nec unquam rejecit quenquam ad se venientem propter indignitatem: nam vocavit nos, *Non ex operibus, sed ex suo proposito & gratia*, 2 *Tim*. 1. 9. Et *Psal*. 9. 10. *Fiduciam habebunt in te qui nomen noverunt tuum: quia nunquam derelinquis quærentes te Jehova.* His considerationibus addamus sententiam illam adversus incredulos, *Joh*. 3. 18. *qui vero non credit, jam condemnatus est*, nempe, ex sententiâ Legis jam prolatâ, quæ executioni mandabitur, nisi crediderit: addamus etiam mandatum de credendo in Christum, quod datum est omnibus qui opus se habere Christo agnoscunt, & vellent ad eum approinquare si auderent, 1 *Joh*. 3. 23. *Hoc est igitur mandatum, ut credamus in nomen filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios; sicut dedit mandatum nobis.* Quibus omnibus recte perpensis, videbit æger noster, se posse dicere cum Centurione, *Luc*. 7. 6. Indignus sum, Domine, fateor, ut accedas ad me, vel me admittas ad te: dic verbum tamen & sanabitur anima mea.

CAPUT III.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Regeneratione sua propter atrocia peccata sua.

ALiqui sunt Regeniti, qui, licet impedimentum fidei objectum ab indignitate sua, hoc est, ab imperfectione bonorum operum & communi pollutione omnium hominum per naturam, facile posse superari existimant; lapsi tamen in atrociora peccata, impediuntur ne ad Christum accedant, etiam quando maxime vellent appropinquare, ex Conscientia graviorum peccatorum, quibus se onustos sentiunt supra alios peccatores, ut ipsi existimant. Et hujus exercitii tres gradus distingui possunt: Primus est, cum in Conscientia excitata, peccata adversus Dei Legem ita

ita exaggerantur à multitudine & gravitate ipsorum, ut non audeat peccator vultum ad Deum attollere, sed ex metu justitiæ divinæ turbetur & ab accessu deterreatur. Et hic videtur Casus fuisse Prophetæ, priusquam per fidem impedimentũ superavit, *Psa.* 40. 12. *Circumdantia* (inquit) *invadunt me mala innumerabilia: apprehenderunt me iniquitates meæ, adeo ut nequeam aspicere; defectus mei numerosiores sunt capillis capitis mei, ideo cor meum derelinquit me.* Secundus gradus est, cum præter peccata adversus Dei Legem, etiam peccata admissa contra Evangelium, contra Christum & media salutis, insurgunt & aciem instruunt adversus peccatorem, viamque ita obstruunt ei ut nesciat quo se vertat, sed cogatur cum nondum conversis auditoribus *Petri*, *Act.* 2. 37. exclamare, *viri fratres, quid faciemus?* Tertius gradus est, cum propter peccata adversus Conscientiam, & naturæ lucem admissa, tentationibus Diaboli flagellandus, & accusationibus acerrimis vexandus traditur peccator, quasi in Spiritum Sanctum peccasset; & quasi nullus jam locus resipiscentiæ reliquus esset, vel nullum remedium per Christum expectandum esset. Et hic videtur Casus fuisse Prophetæ *Jonæ*, cum reus & conscius rebellionis adversus Deum, ab irato Deo deprehensus & in abyssum dejectus, pene desperavit, *Jon.* 2. 4. *Dixi* (inquit) *abjectus sum è conspectu tuo:* à quo Casu, se erexit per fidem; *Respiciam tamen ad sanctuarium tuum*, quod erat typus Christi. Hic Casus videtur etiam fuisse *Davidis*, ad tempus aliquod post Conscientiæ prius dormientis excitationem, per Prophetæ *Nathanis* reprehensionem, quando perspexit Spiritum Dei solitas consolationes suas ab ipso abstulisse; & sensit iram Dei in ossa & medullam, ad hujus consumptionem & illorum quasi comminutionem, conjectam esse: ex quo Casu per fidem eluctatus est, ut ex *Psal.* 51. 9, 10, 11, 12. manifestum est: *Exultent* (inquit) *ossa quæ contrivisti, & spiritum firmum renova in me, ne abjicito me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferto à me.*

2. In hujus morbi curatione, aliter atque aliter in singulis gradibus procedendum est. In primi gradus curatione, admittenda est omnis justa secundum Dei Legem facta peccatorum exaggeratio: Non enim extenuando peccata, satisfit Conscientiæ, aut justitiæ divinæ: neque ex peccatorum paucitate vel levitate, sed ex divinæ misericordiæ magnitudine habetur consolatio, aut spes Remissionis. Quapropter ratio reddenda iniquitatum minime decurtanda est: nec minuenda est æstimatio male-meritorum, sed ad moderationem revocandus est sensus peccatorum admissorum ab ægro, ne judicium ejus ita perturbetur ac si de possibilitate salutis conclamatum esset: & componendus est animus ægri ad humiliationem sui sub potenti manu Dei,

qui

qui solus servare & perdere potest; qui deducit ad inferos, & reducit ad vitam; & solus mirabilia operatur.

3. Dubitatio autem solvenda est, 1. Ex consideratione dignitatis Christi θεανθρώπȣ, & dignitatis pretii Redemptionis ab ipso persoluti, quo plenissime satisfactum sibi profitetur Pater pro omnibus qui veniunt ad ipsum per Christum: Nam (*Mat.* 3. 17.) dicit, *hic est filius meus dilectus in quo acquiesco*: & *Heb.* 7. 25. *hic est qui servare perfecte potest accedentes ad Deum per ipsum.* 2. Ex consideratione amplitudinis, imo infinitatis gratiæ & misericordiæ divinæ, quæ nullos sibi posuit limites, quin possit se extendere ad quantumvis magna & multa peccata abolenda, *Isa.* 44. 22. *Ego sum* (inquit Deus) *qui deleo ut nubem prævaricationes tuas.* 3. Ex consideratione promissionum Evangelicarum, in quibus Deus disertis verbis huic dubitationi occurrit, *Isa.* 1. 18. *Si sint peccata vestra ut coccinum, ut nix, albescent tamen; si rubra sint ut vermiculus, erunt ut lana.* Et *Mat.* 11. 28. clamat Christus, *venite ad me omnes qui laboratis & onusti estis, & ego refocillabo vos.* 4. Ex consideratione exemplorum misericordiæ, quæ in veteri novoque Testamento proponuntur, in eum ipsum finem ut manu quasi cœlitus porrecta invitentur dubitanes hujusmodi, ut accedant ad Christum Mediatorem, seu, ad Deum in Christo propitium se offerentem.

4. Quod ad secundum gradum attinet, in quo peccata contra Christum & Evangelium, vel in neglectu vel contemptu mediorum salutis, accedunt ad transgressiones Legis, certe non potest pro merito hoc genus reatus satis amplficari: Nam Sodomitarum, & Gomorrhæorum flagitia præ contemptu Evangelii levia comperientur. Verumtamen ubi Deus vocavit peccatorem ad rationes, & jam incepit eum arguere peccati, & convictum prosternere, terrere, & vexare, spes est veniæ in gremio increpationum insinuatæ: Quapropter hortandus est æger ut humiliet se in conspectu Dei, & (nisi absorberi & perire velit) ut in se humiliatus, & in sensu suo perditus, confestim confugiat ad Christum, qui dedita opera, ut huic dubitationi occurreret, dixit, *Mat.* 12. 32. *Quicunque loquitur verbum contra filium hominis, remittetur ei*, seu, ei remitti poterit. Quod reliquum est, ad spem veniæ faciendam, petatur ex curatione superioris gradus, ubi fontes fiduciæ propter misericordiæ Dei amplitudinem aperiuntur.

5. Quod ad tertium gradum attinet, in quo suspicatur æger se in Spiritum Sanctum peccasse, quia contra Conscientiæ suæ dictamen & lucem spiritus perspicuam peccavit. Primo, peccatum hoc adversus Conscientiam exaggerandum est pro merito. Secundo, demonstranda simul & laudanda justitia Dei, qui scorpionibus flagellandum curavit tam audacem perduellem.

Tertio,

Tertio, examinetur peccatum illud de quo quæstio est, & peccati symptomata observentur: ut, partim, ex ipso flagello Dei, castigantis & judicantis ægrum ne periret cum mundo; partim, ex desiderio veniæ impetrandæ, & in gratiam cum Deo per Christum redeundi in ægro excitato, aliisque fidei & resipiscentiæ signis (quæ studiose observari debent à Pastore) demonstretur, quoad ejus fieri potest, non esse peccatum illud ad mortem. Quia peccatum in Spiritum Sanctum, (sicut nobis in Scriptura describitur) est vel obstinata rejectio Iesu Christi offerentis se in Evangelio, & convincentis hostem quod rejiciat Redemptorem; vel, totalis apostasia à Christo semel agnito, cum hostili oppugnatione Religionis Christianæ conjuncta: in quod peccatum qui incidit, nec resipiscit unquam, nec resipiscere cupit. Quarto, ex supra nominatis fontibus fiduciæ & consolationis, & curatione duorum superiorum graduum hortandus est æger, ut, cum *Jona* & *Davide* in sensu suo abjectis, retrospiciat ad Christum, & revertatur ad eum, humilians se coram Deo quem offendit, & voluntati Dei misericordis, licet jam irati, se submittens. Quod si fecerit, quis novit, an viscera misericordiæ divinæ se confestim manifestatura sint? An Dei erga supplicem dilectio in Christo, (jam nube aliquantisper obducta) eruptura sit, & in amplexus penè desperantis animæ ruitura citius quam expectaret æger?

CAP. IV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti dubitantis de Electione sua.

ALiquando Peccator lugens peccata sua, & liberationem optans per Christum, Statum suum in quæstionem vocat, ex alta suspicione & opinione admodum fixa, quod non sit electus, sed in Dei decreto reprobus. Cujus rationem si exigas ab eo, solidam nullam reportabis: tantum dicet, se nulla signa Electionis in se perspicere; nihil nisi quod commune ipsi est cum reprobis æstimari potest, & se metuere ne nimis verum comperiatur, quod ipse de se suspicatur: fixam hac de re hærere in animo suspicionem dicet; imo vero tantum non plenam de reprobatione sui profitebitur forte persuasionem. Periculosus admodum est hic Casus, nisi ocyus curetur, quia jugulum fidei hic petitur, & sperandi ansa omnis præciditur; suspicio de Dei decreto indies alitur, & æger de Dei benevolentia erga se non tantum ambigit, sed ferè desperat. Et hic Dei mandata, promissiones, &

 conso-

consolationes frustra offeruntur; spes proficiendi in usu mediorum flaccessit & interciditur, quandiu suspicio fovetur; imo vero exercitia omnia Religionis onerosa evadunt, ex metu ne omnia frustra exercenda sint. Atque ita vel omittuntur vel abjiciuntur, si tentatio invaluerit, & diutius sine consolatione, vel curatione duraverit. Et hîc facilis est lapsus in aliquod genus desperationis.

Ad hunc morbum curandum, præmissâ invocatione Dei seria, (id quod in omnibus Casibus præsupponendum est) ut mediis adhibendis benedicat. Primo, refutandæ sunt omnes rationes, quas offert æger, pro reprobationis suæ probatione; & quam frivolæ sint omnes, ostendendum est: & certe non possunt non esse frivolæ, quia reprobationis indicium nullum certum dedit Deus, præter peccatum in Spiritum Sanctum, (quod non potest accidere sitientibus *justitiam* Christi) & finalem impænitentiam, quæ compleri non potest, nisi in ipsa morte, seu, in animæ expiratione. Illa igitur mala quæ ut reprobationis signa afferuntur ab ægro, etiamsi in ægro comperiantur, probant tantum ægrum non esse Regenitum, minimè vero probant ægrum esse reprobum, seu, non electum esse. Contra vero, quia supponimus ægrum hac tentatione vexatum, etiam laborare sub sensu peccati & cupere ad Christum accedere, si per dubitationem liceret; idcirco ex judicio charitatis interpretari debemus sitim hanc justitiæ, & famelicum desiderium Reconciliationis per Christum, signum potius esse Electionis, & inchoatæ Regenerationis. Secundo, ubi refutata sunt argumenta quibus deluditur æger, demonstrandum est quod hæc ægri de sua reprobatione suspicio, sit tentatio Diaboli, & telum ejus ignitum, (de quo *Ephes. 6.*) vibratum ex destinato consilio, adversus scutum fidei, ut illud ex manibus militantis ægri prorsus excutiat: quod scutum ut teneat firmiter, & ut opponat Tentatori fortiter, rogandus est æger, argumento sumpto ex invidia Diaboli, qui ægrum inter fideles censens, acrius eum adoritur, & fidei clypeum de manibus ejus excutere nititur: quia metuit sibi & regno suo, ab ipsius fide & diligentia. Tertio, arguatur æger, & convincatur ignorantiæ, stultitiæ, & iniquitatis in ratiocinationibus suis, dum istiusmodi tentationes observat, iisque auscultat & cedit. Quæ enim dementia est inquirere in secretam Dei voluntatem, & revelatam in verbo negligere? in arcanum consilium, seu, decretum Dei se intrudere, & apertum ejus mandatum post tergum abjicere? determinare quid Deus apud se statuerit ab æterno, quod Deus celatum vult ab Angelis & hominibus? & ad vocem loquentis Dei in Scriptura aures obturare, easque ad suggestiones spiritus mendacissimi aperire? Quapropter hortandus est æger, ut attendat ad id quod dixit Deus, *Deut. 29. 29. Abscondita pertinent ad*

Domi-

Dominum Deum nostrum: revelata vero ad nos & filios nostros, usque in seculum, ad præstandum omnia verba legis hujus. Et rogandus est æger, ut, relicto Dei consilio secreto, attendat ad Dei mandata, ad hortationes & promissiones ejus, & ad fœdus gratiæ, quod Deus cum ipso pepigit, & Baptismate signavit; & cujus conditionem requirit ab ægro, hoc est, ut disputatione omni de Electione & Reprobatione sua missa, confugiat ad Christum, in disciplinam se tradat Deo, in eum credat, & fidem habeat ejus verbo, cujus veritatem præstare tenetur Deus, non minus quam decreta sua exequi. Quarto, comparanda est conditio ægri cum aliis sanctis; & ostendendum nihil ei accidisse, nisi quod Electis accidere & potest & solet. Commemoranda sunt beneficia, quibus Deus ægrum ab utero in præsentem horam cumulavit: quæ omnia & singula merentur ut æger Dei dispensationem in meliorem partem interpretetur, & de eo rectè judicet. Deniq; ad oculum ponenda est præsens divinæ providentiæ dispensatio, qua Deus ægri consolatorem se probat, mittendo ad eum fratres ipsius, qui Dei nomine jubeant eum benè sperare, & de Deo ut de amico judicare.

CAP. V.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti dubitantis an sit Regenitus propter impotentiam suam ad credendum in Christum.

Fieri potest, ut aliqui etiam adulti in fide, (qui superiores objectiones superârunt, aut saltem ab iis non amplius turbantur) in quæstionem vocent *statum suum*, dubitantes an sint verè fideles: quia in angustiis & difficultatibus constituti, quando vellent maximè, & cum opus esset maximè, non possunt credere in Christum. In hoc dubio confirmari se aiunt: quia sæpius hac in re, (ubi res postulabat) periculum fecerant, & vires hic sibi deficere observârunt: imo vero quanto magis in Christum credere studuerunt, tanto impotentiores ad credendum se esse experti sunt; & jam non minus esse impossibile totam moralem Legem observare, quam in Christum credere, perspexerunt. Hinc in hujusmodi animabus oritur anxietas magna, dum nec audent à Christo discedere, nec possunt ad eum accedere. In hac conditione novæ dubitationes multæ pullulant, et tentationes Diaboli adeo frequentes admiscentur, ut non tantum studium pietatis in exercitiis religiosis, sed etiam fidei virtus in illis videri possit languere. Quod autem

tem hic sit Casus aliquorum fidelium, non tantum experientia exercitatorum ostendit, sed etiam quam facilis sit lapsus in hunc morbum, perspici potest ex lucta in animi oppressione, & precatione *Davidis*, *Psal*.61.2. obruebatur ejus animus perplexis cogitationibus involutus; expedire seipsum nequibat; luctatur & orat ut jam exulans ab Arca Testimonii & Templo, erigatur ad credendum in rem significatam, nempe, Christum salutis omnigenæ petram: rupem autem hanc altiorem videt quam posset viribus suis eam ascendere: idcirco dicit, *ad rupem quæ me est altior, ducito me*. In hunc morbum inciderunt afflicti Hebræi, *Heb*.12.12.

Ut malo huic afferatur remedium, 1. Convincendus est æger peccati sui, nominatim diffidentiæ & pusillanimitatis: quod, vocatus in duriori aliquo exercitio ad credendum in Christum, ex impatientia fatiscat, despondeatque animum (contra quam decebat militem Christianum, maximè vero veteranum) nullam aliam habens rationem, nisi quod non possit, prout vellet fidei suæ specimen dare. 2. Demonstranda erit ægro ipsius stultitia: partim, quod in negotio fidei nitatur viribus suis, quibus quanto magis diffidit & renunciat, tanto magis præparatur ad virtutem Dei recipiendam & sentiendam: partim, quod sufficere putet ad excusationem manuum dissolutarum & genuum labantium in exercitiis pietatis, quod fidei suæ infirmitatem in se observet: partim denique, quod cum videt se nec audere pietati renunciare, nec discedere à Christo, non percipiat, ex ea ipsa Dei dispensatione, se à Deo vocari ut confidentius conjiciat se in Christum, & ut Religionis exercitiis tanto incumbat diligentius. 3. Hortandus est æger, ut se humiliet coram Christo, in agnitione impotentiæ, stultitiæ, & diffidentiæ suæ; utque expectet à Deo, in usu mediorum, incrementum fidei & sapientiæ, secundùm promissiones factas petentibus salutifera dona à Deo. 4. Quærendum ab eo, unde mutatio tanta in ipso orta sit, ut qui olim putabat se robustum in fide, & dubitationum omnium victorem, aut ab iis saltem liberum; Nunc tam impotens factus sit, ut credere in Christum minime valeat, cum maxime vellet & opus habet? Si respondeat quod verum est, mutationem hinc esse ortam, quod prius agnoverit per fidem se salvandum; Nunc vero, se experientia discere, quod fides non sit ex nobis, sed donum sit Dei, *qui dat nobis & velle & facere ex suo beneplacito*; bene habet, victor est. Sin vero pergat dubitationem fovere, & fidei suæ sinceritatem in dubium vocare; Tum rogetur, unde habeat cognitionem hanc suæ infirmitatis ad credendum? Si fateatur id se debere Christo, qui collyrio suo oculos ipsi aperuit, ut suam cœcitatem & impotentiam in spiritualibus discerneret; Tum jubeatur, sine pretio emere à Christo aurum & vestem, & reliqua omnia quibus opus habet, & fidei suæ

incre-

incrementum inter alia. 5. Instituatur æger de natura fidei, quod fides sit *consensus in fœdus gratiæ*, seu, quod sit *receptio Christi in Evangelio oblati*, in remedium malorum omnium. In quod fœdus cum jam æger consenserit, & etiamnum consentiat; Christumque lubens admiserit in cor suum, & etiamnum admittat, eique adhæreat eumque magis magisque admittere cupiat; non debet dubitare, quin fidei opus jam per Deum in ipso inchoatum sit: in cujus confirmationem, fructus fidei (qui, ut præsupponimus, in vitæ ipsius cursu demonstrari possunt) & externi & interni, ut testimonium datæ à Deo fidei, proferendi sunt. Denique, ostendendum ægro, quod id ad quod sub nomine fidei aspirat, (dum queritur se non posse credere) sit aliquod aliud donum, quam fides essentialiter considerata, nempe, vel summus gradus fidei in πληροφορία, seu, persuasione plena consistens; vel id quod quærit, est sensus acceptatæ, & à Deo approbatæ fidei in Christum, qui hominem quietum reddit de Statu suo in gratia: qui sensus non nisi aliquando, & aliquantisper datur, nec, nisi ubi consolatione opus est, concedi solet, nempe, post victoriam in aliquo certamine fidei, ut ex clausula Epistolarum ad *Asiaticas* Ecclesias, (*Apoc.* 2. & 3.) observare licet: *Victori dabo edere ex arbore illa vitæ quæ est in medio Paradisi Dei: & ut edat de Manna illo occulto: & dabo illi calculum album, & in calculo novum nomen scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit, &c.*

CAPUT VI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti de sua Regeneratione dubitantis propter defectum humiliationis & doloris ob peccatum.

QUidam Regeniti sunt, qui deflent peccata sua & agnoscunt se mereri mortem, opus se habere Christo affirmant, sitiunt justitiam Christi, percupiunt cum ipso uniri, exercitiis Religionis incumbunt, & in omnibus Conscientiam intemeratam conservare student; Et tamen non tantum dubitant an sint Regeniti, sed etiam nefariam temeritatem esse judicant ad Christum accedere, seque in eum per fidem conjicere, priusquam magis serio humilientur, priusquam dolorem & mœstitiam graviorem sentiant, angustias Regenerationis arctiores experiantur, onere peccatorum magis premantur, & spiritum metus, tremoris & servitutis in altiori mensura in se sentiant. A quibus si rationem dubitationis requiras? Respon-

debunt se nondum vocari ad Christum: quia soli illi vocantur à Christo, (ex ipsorum opinione) qui laborant in superlativo gradu, & peccati gravitate ita onerati sunt, ut qui maxime: sic enim interpretantur, *Mat.*11.28. Nam ex ipsorum sensu Christus mittitur ad solos contritos corde, qui in cineribus sedent, & spiritum tristitiæ possident, hoc est, ad eos tantum qui ineffabilem tristitiam habent, ut illi exponunt locum *Isa.* 61. 1, 2, 3. Ex eorum sententia, Christus venit ad solos illos salvandos, qui in sensu suo ita perditi sunt (sicut illis placet) ut de sua salute tantum non prorsus desperent. Quapropter quia putant se non satis alte descendisse adhuc in hanc abyssum, seu, infernum, non audent ad Christum aspirare vel aspicere, & interim in squalore & lachrymis quotide versantur: tristitiam suam dignam negant *tristitiæ* nomine; quam tamen non possunt dissimulare, sed eam in vultu, incessu, in habitu & suspiriis produnt; & profitentur vix sibi jus ullum esse ad edendum vel bibendum; & si præ metu peccandi auderent, ne ederent quidem aut biberent omnino: frequenter ut hirundines pipiunt, & gemunt ut columbæ; & sæpe viscera ipsorum non aliter planctibus resonant, quam si parentes vel liberos charissimos deflerent extinctos: nec tamen in dolendo sibi satisfaciunt, sed queruntur se stupidos esse; & si confiteantur se aliquando lugere, luctum suum tamen aiunt esse instar roris matutini, qui cito abit. Et frustra iis consolationem in Christo offeras: quia æstimant se non esse lugentes illos in Zione, quos ille consolaturus est: & hic se confirmant, dicentes, *Nonne mensura resipiscentiæ, mensuræ peccatorum responderet*? peccata autem mea superant aliorum peccata, immane quantum, aiunt. Hæc & similia objiciunt, quibus viam sibi ad Christum obstruunt: & certe hic Casus requirit συμπάθειαν ab omnibus. Quis non misereatur eorū, qui dum in miseriæ suæ sensu, jam valde miseri sunt, nec audent miseriæ suæ levamen quærere, quia non satis sibi videntur miseri, nec miseriæ affectatæ modum mensuramve possunt statuere, adeo iniqui sunt conditionis suæ æstimatores?

In curatione hujus morbi, primo, Concedendum est ægro, quod & deceat, & oporteat omnes accedentes ad Christum sensu peccati sui serio affici, morbum suum fateri, & agnoscere stipendium peccati sui meritum, esse mortem æternam. Concedendum etiam mensuram compunctionis, contritionis, & lamentationis à Deo dari, pro ipsius beneplacito; & aliquibus sanctis mensuram porrigi amplissimam, ut in *Hemane* Ezraita, *Psal.*88. videre est. Concedendum denique, spiritum servitutis, seu, operationem spiritus per Legem, secundum fœdus operum, natura præcedere spiritum adoptionis, seu, operationem spiritus per Evangelium, secundum fœdus gratiæ: adeo

deo ut nemo possit serio Christum amplecti ut Medicum, ut Mediatorem & Salvatorem animæ suæ, nisi is qui serio sentit morbum suum, & qui peccata sua (quibus Dei iram meritus est) serio agnoscit, & justæ sententiæ Legis se propter peccatum condemnantis serio subscribit. Secundo loco, cum hæc concessimus ægro, duplex quæstio agitanda nobis est cum eo: prior est, de mensura doloris, an in omnibus eadem esse oporteat, nempe, intensissima, adeo ut quam proxime accedat ad desperationem? vel, an duratio doloris vehementissimi, æqualis esse debeat in omnibus? Affirmativam nullus probabit ex Scriptura: Negativa autem, ex comparatione Scripturarum & experientia constat: Scriptura enim requirit seriam resipiscentiam; sed modum mensuramve doloris, aut tristitiæ, sive in gravitate sive in duratione, non præscribit. Nam, *Mat.* 3. 2. 6. audita doctrina *Johannis Baptistæ*, plurimi convicti de peccatis suis, confessi sunt ea, & statim ab ipso baptzati sunt. Et *Act.* 2. 37. 41. tria millia animarum, audita unica *Petri* concione, arguuntur peccati, dolore afficiuntur, resipiscunt, convertuntur, & in Ecclesiæ gremium admittuntur, uno eodemque die omnes. Altera quæstio nobis cum ægro disputanda, est de fonte doloris & contritionis, nempe, unde haurienda sit ista quam affectat doloris & tristitiæ mensura? A Christo enim æger non audet eam petere vel expectare: siquidem (ex ipsius fundamento) ad Christum accedere ipsi non licet: quia non vocantur ad eum (ut ait) ulli nisi jam laborantes & onusti, ut qui maxime, & jam spiritu mœstitiæ repleti: Sed contra, Nos ex Scriptura asserimus, Christum esse principem exaltatum, qui dat resipiscentiam *Israeli*, *Act.* 5. 31. Et affirmamus, sentientes defectum resipiscentiæ in se, debere resipiscentiam petere ab eo. Tertio loco, ostendantur mala quæ comitantur vel sequuntur hunc practicum errorem: per eum enim mos geritur tentationi Satanæ, qui (ubi observavit sensum peccati in ægro jam inchoatum esse à Deo, nec inhiberi jam posse peccatorem, quin peccatum admissum doleat, eique in posterum renunciet) simulans se Angelum lucis, mensuram doloris præsentem elevat & vilipendit; quantumque absit lamentatio à proportione peccatorum admissorum ostendit, instigatque ad dolendum magis magisque, ut, si fieri posset, rumperetur æger, vel consumeretur in dolendo, & sine fide, sine consolatione periret. Deinde, hæc affectata mensura doloris sapit quoddam genus quasi expiationis peccati, & compensationis pro peccato: ad quem errorem, naturâ plus satis omnes propensi sumus. Nam sicut ad justificationem per opera omnes nitimur, secundum tenorem fœderis operum; (quod fœdus inscriptum est cordibus omnium filiorum *Adami*) Sic ubi destituimur justitia operum, cupimus defectum supplere per satisfactiones aliquas nostras: nominatim, ut

per

per luctus abundantiam eluatur, quod aliter à nobis præstari non potest. Idcirco hic non desistimus à nobis ipsis pœnas exigere, donec cor nostrum dicat satis esse: & tunc, quasi defuncti hoc opere, quiescimus: quæ cordis nostri impostura, quanto frequentius nos decepit, & minus observata est, tanto periculosior est: gratia enim Evangelii & Christi meritis plurimum hic error practicus detrahit, nostræque & consolationi & sanctificationi objicem ponit, detrimentumque simul & peccatum occultat, sub specie humiliationis. His malis adde, quod æger noster fovere soleat peccatum infidelitatis & diffidentiæ, eo ipso fine, ut foveat dolorem, & fingere sibi metum multiplicem, ut mœstitia crescat, & lachrymæ liberalius fluant. Denique, non observat æger noster, quod quandiu suspendit fidem in Christum, propter hanc rationem, quia non satis lachrymarum fudit, tandiu tacitum fovet propositum exuendi omnem ægritudinem, & cessandi ab omni dolore propter peccatum si semel post sufficientem luctum (ut ipsi placet) Christum amplexus esset, prout hæc impostura se detegit perspicue in aliquibus Antinomis, qui lugent peccata sua ante fidem: verum cum jam se inter fideles numerarunt, secure rident luctum ob peccata, & morsus Conscientiæ omnes rejiciunt, & omnem resipiscentiæ actum à spiritu servitutis esse volunt. Quæ mala si æger observaret, & sibi tendi tanquam retia in via ad Christum perspiceret, cautius incederet. Quarto, instituendus est æger de natura doloris ob peccatum, quod non commendetur à quantitate, sed à sinceritate: sincerus autem dolor optime dignoscitur, per concomitantia & consequentia. Ille enim est sincerus dolor ob peccatum, qui habet adjunctum odium peccati, qui secum habet humiliationem lugentis, & abominantis se propter peccatum & cordis sui duritiem, sub Conscientia peccati jacentis, una cum proposito sancto contra peccatum dimicandi; Ille dolor sincerus est, quem sequitur fides in Christum, & dolor ille qui sequitur ex fide in Christum, qui ducit ad consolationem accipiendam ex Evangelio, & qui renovatur quotidie, etiam post reconciliationem, ex occasione inhærentis peccati subinde pullulantis, & erumpentis. Hic est dolor ille secundum Deum, qui operatur resipiscentiam nunquam pœnitendam. Ultimo loco hortandus est æger, ne cunctetur amplius, sed Christum adeat, & se tanto magis humiliet coram Deo, quanto magis defectum sentit humiliationis & doloris. Hortandus etiam est, ut audiat vocantem Christum, qui dixit se non venisse vocatum justos in sensu suo, sed peccatores in sensu suo, ad resipiscentiam. Non posuit Christus mensuram tristitiæ (de qua loquimur) ut *conditionem fœderis gratiæ*; non vendit suam gratiam lachrymarum pretio. Sed quisquis est adeo pauper spiritu, ut nec agnitionem peccati, nec resipiscentiam, nec fidem, nec bonum

num aliquod ullum ſentiat in ſe, quod ipſum poſſit commendare Deo, ſed in omnibus ſibiipſi diſplicet, & tamen ad Chriſtum accedere maxime vellet ſi auderet; Non eſt dubitandum quin licitum ſit ei ad Chriſtum accedere: hic enim eſt habendus à nobis (ſecundum judicium charitatis) in numero pauperum ſpiritu, quos Chriſtus beatos pronunciavit, *Mat.* 5.3.

CAPUT VII.

In quo tractatur Caſus Conſcientiæ dubitantis de Regeneratione ſua propter juſtitiæ inhærentis defectum.

QUidam ſunt Regeniti, qui, in ſenſu peccatorum ſuorum, agnitione indignitatis, & impotentiæ ſuæ, confugerunt ad Chriſtum, ſeque in eum conjecerunt per fidem, & ſtudent fructus ferre qui reſipiſcentiæ conveniant; Dubitant tamen, an ſint Regeniti, an ipſorum fides ſit vera illa ſalvifica: ratio dubitationis affertur hæc, quia vitæ reformatio quam aſſequuti ſunt, videtur ipſis non ſuperare juſtitiā, quā reperire licet in Ethnicis vel in Scribis & Phariſæis, de quibus Chriſtus dixit in Evangelio, *Niſi juſtitia veſtra excesſerit juſtitiam Scribarum & Phariſæorum, non introibitis in regnum cœlorum.* Hanc dubitationem ſequitur ægritudo, & anxietas & animi metus, ne vana ſint omnia quæ hactenus in ipſis ſpeciem habebant virtutum Chriſtianarum: & hic morbus niſi mature & dextre curetur, gravia poſt ſe trahit mala. Qui ut curetur, non negandum eſt, quin multi ſint Ethnici & infideles, qui ex principiis Naturæ & civilis educationis vitam multo innocentiorem ducunt, quam plurimi qui nomine Chriſtiano gaudent: ad quorum convictionem & condemnationem, Ethnici & infideles in die judicii ſurrecturi ſunt, & in teſtimonium adverſus eos producendi; qui etiam paucioribus plagis plectentur, quam illi qui Chriſtianorum nomen mentiuntur, & profeſſionem veræ Religionis dehoneſtant. Sed nobis res eſt cum Regenitis & vera fide præditis, qui ſanctificationis ſuæ imperfectionem lugent; & ſanctitati non deſinunt ſtudere, licet cum moleſtia, & metu dificiendi in via, ægre admodum progrediantur, verentes ne tandem excludantur à regno cœlorum propter juſtitiæ ſuæ defectum. In quo Caſu. 1. Querimonia ægri, de vitæ ſuæ fructuumque fidei imperfectione, quatenus juſta reperitur, admittenda eſt; eoque nomine humilietur ſerio in conſpectu Dei, & proficiat in abnegatione operum ſuorum & fiduciæ in operibus ſuis. Et in hunc finem. 2. Deducatur æger ad obſervationem corporis

poris peccati originalis in se nondum mortificati; & ad agnitionem latentis in se radicis amarissimæ, seu, infidelitatis, seu inclinationis propensæ ad recedendum per diffidentiam à Domino, cum maxime opus esset ei adhærere: quibus perspectis, necessarium videbit, actus resipiscentiæ & fidei in Christum, quotide repetere & renovare. 3. Ostendendus est usus simul & necessitas justitiæ Christi imputatæ: quæ nisi proponeretur nobis à Deo in perfugium, quid nobis fieret in operum nostrorum examinatione, & justitiæ inhærentis comperta imperfectione? Et hic rogandus est æger, ut in sensu injustitiæ suæ semper confugiat ad Christum, ut amplectatur applicetque sibi arctius fidejussoris Christi justitiam, omnibus confugientibus ad eum in sensu injustitiæ propriæ à Patre adjudicatum. In quo argumento insistendum est, ut æger intellegat, & serio agnoscat valorem justitiæ Christi, qua sola nuditatem nostram, tanquam pretioso vestimento, poterimus operire. 4. Doceatur æger justum esse apud Deum, quod Christus (ægre ferens contemptum vel neglectum suæ justitiæ, quam obedientia sua usque ad mortem, nobis acquisivit) justitiam inhærentem in nobis non promoveat, quandiu hæc justitia ipsius, per fidem imputata, nobis vilescit, vel, à nobis in pretio pro dignitate non habetur: non enim ex perfectione justitiæ inhærentis, sed ex perfectione justitiæ Christi imputatæ justificamur. 5. Quando æger jam convictus tenetur erroris sui, perspicitque justificationem peccatoris esse per imputationem solius justitiæ Christi per fidem applicatæ; & hominem jam justificatum oportere fructibus bonis ferendis in virtute Christi incumbere: Jam (inquam) fiat comparatio justitiæ resipiscentis & credentis in Christum, cum justitia Scribarum & Pharisæorum; & facile apparebit ægro justitiam hominis Christiani longe superare justitiam Pharisæi, nedum Ethnici cujusvis. Primo enim, Pharisæus decurtat Legem ad mensuram suam, ne condemnetur à Lege, per quam quærit justificationem: Christianus vero, Legis perfectionem in omnibus agnoscit, nec ullum rejicit officium quod Lex ei præscribit; sed contendit in omnibus Legi obedire; & conatur perfectus esse, sicut Pater ejus cœlestis perfectus est. Secundo, opera, quæ facit Pharisæus, hypocritica & corrupta sunt omnia, quippe, ex viribus naturæ, & ad gloriam suam comparata, non ad gloriam Dei facta: quæ autem facit Christianus, fidem in Christum exercens, ex virtute Spiritus Christi proficiscuntur, & ad Dei gloriam ab eo fiunt. Tertio, justitia quam ex operibus affectat Pharisæus, impossibilis est, & irritam omnino reddit gratiam Dei; & justificandi rationem divinam, per fidem in Christum, evertit: nam justitia Pharisæi ex operibus, non potest consistere cum justitia fidei ex gratia. Iustitia vero seu justificatio Christiani, & possibilis & expedita est, ex mera gratia:

tota enim pendet ex imputatione obedientiæ Christi, quæ sola in Dei judicio stare potest; & sola aperit fontem, unde Spiritus Sancti virtus defluat in justificatum, ad efficiendum ut fidelis efficaciter fructus novæ obedientiæ ferat. Ex qua comparatione, facile apparet justitiam Christiani licet infirmi, longe excellere justitiam Pharisæi. Atque ita solvitur ægri dubium, ex iniqua comparatione sui cum Pharisæo, natum.

2. Recrudescit tamen vulnus, & non sanatur morbus: quia inchoata sanctificatio & opera novæ obedientiæ videntur à Deo minime acceptari; quia fructus Spiritus non sentiuntur, nempe, charitas, gaudium, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, &c. ex quorum fructuum defectu arguunt operum à Deo approbatorum defectum; & ex defectu operum, defectum fidei: quia fides sine operibus mortua est. Nihilominus tamen pergunt operam dare, ut absque scandalo dato vivant, & Religionis exercitia frequenter sequuntur: fructibus igitur non carent illi de quibus agimus; Sed, quam promiserant sibiipsis pacem Conscientiæ, lætitiam in Deo, consolationem in precibus, patientiam in afflictionibus, alacritatem ad negotia vocationis suæ obeunda, & approbationem operum suorum, quam expectaverant à Deo, non inveniunt. Hinc illæ lachrymæ & querelæ, & suspiciones de fidei suæ veritate, eæque omnes injustæ.

3. Quod ad Remedium hujus mali attinet: Observandum est, quod Casus hic sit complicatus: quadruplex enim error practicus in eo notandus est, & quadruplex morbus. Primus error est, quod suspendatur fides ex conditione tacita effectuum producendorum; & ex conditione sensibilis approbationis divinæ, quasi nullus esset sincerus actus fidei apprehendentis Christum, nisi post aliquod tempus & periculum factum de fide, an fructus ferat necne? Et hic concurrunt tres imposturæ: prima est, quod in hoc Casu ponatur fides conditionalis pro absoluta: nam æger tacite conditionem quandam à Deo petit præstandam, ut ea præstita credat in eum: Cum enim accedens ad Christum debeat sic affari eum, *Domine Deus mi, quandoquidem tibi visum est, mihi peccatori, stolido & impotenti, & in mortem æternam ruenti, teipsum offerre Salvatorem, in quo plenam nanciscar sapientiam, justitiam, sanctificationem & Redemptionem: Ecce, Domine, gratiam oblatam recipio, verbum tuum & te ipsum in verbo oblatum lubens amplector; totumque me tibi trado in disciplinam, ut me potenter formes ad Imaginem tuam, & in ulnis tuis ad salutem feras:* Æger secus agit, & non aliter alloquitur Christum reipsa & ex natura rei, quam si diceret, *Domine Deus mi, placet mihi conditio fidei, sub qua te ipsum mihi offers; Sed, quia metuo ne me fallam in conditione illa amplectenda &*

præstanda, propono tibi aliam conditionem, nempe, si intra certum tempus à me præscriptum fructus dignos resipiscentiæ in me comperero, tum fidem meam in te ratam, fixamque habebo; Sin minus invenero quod expecto, fidem meam nullam esse vel mortuam pronunciabo. Et quid hoc est aliud, quam novam conditionem fœderis gratuiti facere, & promittere se post aliquod tempus crediturum, sub conditione prædicta, cum deberet in præsenti absolute credere, & se Deo totum tradere? Secunda impostura est, quod æger exigat maturos fructus à fide infirma, à fide non fixa, sed à conditione operum suspensa: quod non minus absurdum est, quam si hortulanus aliquis, ab arbore recens plantata, exigeret fructus arboris radicatæ; vel non sineret arborem radices agere in horto suo, nisi fructus in ipsius horto prius ferret, per quos constare posset ipsi arborem illam frugiferam esse, dignamq; quæ in horto radicaretur & aleretur. Tertia impostura est, quod in hoc Casu præsupponat æger fidem veram posteriorem esse fructibus fidei, & natura & tempore: nam si non crediturus est, nisi postquam fructus veræ fidei in se senserit; tum necesse per eum est, ut in perpetuum non sit crediturus, nisi præcessisse viderit fructus fidei: quod nihil aliud est, quam effectum priorem causa sua fingere. Huic triplici imposturæ antidotum unicum est in genere, ut æger quanto magis se destitutum fructibus bonis observat, tanto magis humiletur in conspectu Dei; tantoq; magis conjiciat se in Christi justitiam, quanto magis justitia propria destituitur; & ut operam det sine mora, per fidem cum Christo coalescere, ut ex eo trahat virtutem & vires ad ferendum bonos fructus: nam unica hæc ratio est ad fructus ferendos, sicut dicit Dominus noster, *Joh.* 15. 5. *Qui manet in me, & ego in illo, iste fert plurimum fructum: nam sine me nihil potestis.* In specie autem, ut occurratur primo errori, ne suspendat æger fidem in Christum à conditione fructuum ferendorum; Sed in agnitione sterilitatis suæ, totum se protinus committat Christo, qui solus potest arborem malam bonam facere, & feracem reddere bonorum fructuum; ne contendat amplius cum Deo, de ordine fidei & operum, sed agnoscat ordinem à Deo præscriptum; & ante omnia curet ut per fidem uniatur Christo, qui accedentes ad ipsum impios, seu non tanquam operantes, sed renunciantes operibus suis (ut habetur, *Rom.* 4. 5.) primo justificat per fidem, & deinde sanctificat per Spiritum. Denique si hanc regulam admiserit æger, ne contemnat in se exilia principia bonorum operum; Sed foveat tenellam Dei gratiam, & gemmas vitis, seu grossulos ficus, magni æstimet cum Sponso, *Cant.* 2. 12.

4. Secundus error practicus est, quod æger præconceperit animo fructus fidei alios, & aliter, quam secundùm Dei verbum debuerat: Nam ubi audivit

vangelium, & promissiones gratiæ amplissimas, per quas adductus est ad conveniendum in fœdus gratiæ, promisit sibi fore ut statim evaderet peritus in omni cognitione mysteriorum Religionis, expeditus in precando, hilaris in laudibus Dei prædicandis & canendis, & promptus ad omne opus bonum; & fore etiam ut pace Conscientiæ perpetua cum spirituali gaudio sine interruptione frueretur. Postquam autem experientia compertum habet, se non posse ullum bonum opus aggredi, nedum absolvere, sine pugna cum Satana, sine lucta cum carnis suæ corruptione; & sentit sæpe interrumpi pacem Conscientiæ, & gaudium Spiritus à se auferri, in quæstionem vocat totum Dei opus in se, & suspicatur se adhuc esse in statu peccati, & sub potestate Diaboli & carnis suæ. Huic errori ut occurratur, ostendendum est ægro ex Dei verbo, spem quam conceperat ex promissionibus Evangelii non esse omnino vanam, quod ad rem ipsam attinet, etiamsi ex ipsius voto res speratæ omnes non acciderint: quia tempore opportuno Deus præstiturus est quæcunq; promisit, licet aliter quam æger opinatus est. Futurum enim est, ut tandem vendicandus sit in possessionem plenæ libertatis ab omnibus peccati reliquiis, & Satanæ tentationibus. Veruntamen hæc felicitas non nisi gradatim perficienda est, non nisi post prælia multa cum adversario, non nisi mediis à Deo præscriptis: quapropter hortandus est æger, ut animos colligat ad militiam Christianam, & in spe & patientia pergat in via Domini, satisque habeat, ut quæcunque promisit Deus, ea omnia præstiturus sit, modo, mensura, tempore, ordine, & mediis ab ipso præstitutis, sicut in Verbo suo manifestum fecit.

5. Tertius error practicus est, quod æger non recte judicet, nec de fide sua, nec de fructibus fidei suæ: de fide enim sua non judicat aliter, quam de fide aliena, seu, alius hominis, cum diversa sit ratio judicandi de fide mea, & de fide aliena: nam licet de fide aliena (quia internum alieni cordis actum nequeo cernere) non possum judicare, nisi ex effectis duntaxat, secundum regulam *Jacobi*, 2.18. *Ostende mihi fidem tuam absque operibus tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex operibus meis.* De mea tamen propria fide licet judicare, non tantum ex effectis, sed etiam ex ipso actu fidei interno, quem Spiritus Dei, (qui novit ea quæ sunt in me) ostendit mihi, & facit ut ego, reflectendo in actus meos, observem ipsum secundùm illud Apostoli, 1. *Cor*. 2.12. & 2. *Cor*. 13.5. *Accepimus spiritum per quem scimus ea quæ Deus gratis dedit nobis.* Rursum non rectè judicat æger de fructibus fidei suæ secundùm veritatem, & sicut Deus judicat: non enim distinguit operis sui sinceritatem, ab operis sui imperfectione; non distinguit id quod à Deo est in opere suo, ab eo quod admiscetur à corruptæ naturæ reli-

quiis: Sed oculos adeo intentos habet in operum suorum defectus, ut nihil aliud in iis observet præter defectus: cum deberet & defectus observare, ad humiliationem sui; & simul etiam agnoscere id quod bonum est, seu id quod à Dei gratia profectum est: ut ita gratias ageret Deo per Christum, qui non vult linum fumigans extingui, *Isa*.42.3. Ad tollendum ergo hunc errorem, 1. Respiciat æger ad fidei actus elicitos & internos, non minus quã ad actus imperatos, & fructus externos: judicetq; de iis secundùm veritatẽ, distinguendo mensurã inchoatæ obedientiæ, (quantulacunq; ea sit) à defectibus, infirmitate, & corruptelis admistis, & non secundùm tentationes seu calumnias Diaboli, qui semper condemnat quicquid boni in quovis reperitur. 2. Observet æger debitum ordinem in agendo & judicando: necessario enim præcedere oportet actum fidei, priusquam de illo actu fiat judicium. Idcirco danda est opera, ut fides primo eliciat actum suum, quam fieri potest maximè congruentem ad regulam à Deo præscriptam: & postea sequatur judicium de illo actu, non, ut actus ille qui ad regulam formatus est, pro mensura datæ gratiæ condemnetur; Sed ut emendetur, & defectus ejus & imperfectio suppleatur. 3. Judicandi finis solicitè ab ægro spectandus est: finis autem judicandi de actibus vel fructibus fidei præteritis vel præsentibus, non est ut quis non credat in Christum, sed potius ut credat in Christum, & magis magisque credat. Nam sive in Conscientiæ judicio pronunciatum fuerit sic vel secus de actibus vel fructibus fidei quod sinceri fuerint vel corrupti, judicandi finis semper est, ut æger arctius apprehendat Christum, nempe, ut fides confirmetur, si ullatenus vera comperta fuerit; & si ficta seu mortua sit judicata, finis judicandi esse debet, ut peccator humiliatus in conspectu Dei, serio confugiat ad Christum, & verè in eum credat imposterum.

6. Quartus error practicus est, quod æger patiatur primo lædi sibi fidem ab hoste, deinde se provocari ad pugnam & ad fructus fidei edendos, antequam vulnus datum sanetur, vel obligetur fides sua fasciis, ut convalescat: iniquum enim est descendere in arenam cum Diabolo, ad disputandum de fructibus fidei, an veri sint, dum adhuc fides ex vulnere non tantum saucia decumbit; Sed etiam adeo languida est, ut incertum sit ægro statuere, an viva sit. Hoc autem solenne est stratagema Satanæ, quacunque potest ratione fidem filiorum Dei lædere, ut interrumpatur ipsorum communio cum Deo, & quasi intercidatur fidei canalis, quo defertur influxus virium à Spiritu Christi ad obedientiam gratam Deo præstandam. Et certè non minus difficile est luxatâ fide obedire Deo, quam difficile est luxato brachio operari. Ad hunc errorem corrigendum, statim postquam observavit æger vulnerari fidem suam, accingat se ad humiliationem coram Deo, & ad agnoscendam suam stul-

titiam

titiam, indignitatem, & impotentiam suam, ad confitendum peccata sua, maxime autem ea, quibus novissime contristavit Dei Spiritum, januamque hosti ad invadendum se, aperuit. Deinde confugiat ad Christum, seu, ad Deum in Christo, ejusque opem imploret in tempore tam necessario; & quibus potest ex verbo Dei petitis promissionibus & consolationibus, infirmam fidem suam confirmet, secundum consilium illud Domini nostri Ecclesiæ Sardicensi datum, *Apoc.* 3.2. *Corrobora illud quod reliquum est, & moribundum.* Hac enim ratione defendet se æger adversus Satanam, & parabit se ad omne opus bonum: & jam post fidem confirmatam, fel eius congredietur in lucta cum hoste, & ad pergendum fortiter in cursu pietatis & justitiæ roborabitur.

CAPUT VIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo propter inquietudinem suam.

Nonnulli Regeniti absolutè & simpliciter se conjecerunt in misericordiam Christi, nullam postulantes à Deo conditionem aliam quam ipse posuit credituris in Christum, nempe, ut qui serio agnoverunt se opus habere Christo, & Christum agnoverunt esse unicum, sufficiens, & necessarium remedium omnium malorum, iis omnibus qui absolutè se conjiciunt in Christum; & tamen dubitationibus agitantur, an verè crediderint, an rectè ad eum accesserint, an admissi sint ab eo. Rationem autem dubitandi nullam aliam afferre possunt quam hanc, *quod non possint quiescere, vel certi esse* quod rectè crediderint, seu, fidei actum in Christum ritè exercuerint. Interrogati enim de signis Regenerationis, Non audent negare se ea effecta Spiritus Sancti in se sentire, quæ pro signis Regenerationis ponuntur in Scriptura: Sed, an signa illa in ipsis sint genuina, dubitant: non quia rationem solidam reddere valent, sed quia sentiunt signa illa etiam in quæstionem vocari, Qui autem hoc morbo laborant, etiamsi solicitentur ab Adversario, ut animum despondeant, non sunt segnes tamen, & infrugiferi in opere Domini: & licet consolationes Domini non frequenter apprehendant, vel sibiipsis applicent pro jure suo; nihilominus tamen serio student ea opera facere quæ Deo placent: licet tristiori cum animo, quam si consolationes ipsorum abundarent.

2. Cui malo ut remedium afferatur. Sciendum, quod complicatus sit hic Con-

Conscientiæ Casus, in quo concurrere solent errores multi, eôque magis à nobis observandus est, quod multis etiam adultis Dei filiis familiaris sit hic Casus. Præsupponimus enim in ægro, 1. Sensum peccati serium. 2. Consensum in fœdus gratiæ minime simulatum. Et 3. Honestum studium bonorum operum, & simul etiam hæsitationem seu incertitudinem de sinceritate fidei suæ & operum suorum, & per consequens an ipse sit in statu gratiæ. Causæ hujus morbi novem esse possunt, quarum cognitio ad mali remedium magnopere conducit.

3. Prima causa tria membra habere potest. Primum, Si æger de actibus suis spiritualibus, sive, de operationibus Spiritus Sancti in seipso, non instituerit examen, vel eos actus non agnoverit & approbaverit post examen: v. g. cum sensus peccati jam excitatus est in ægro, nisi reflectat oculos in hanc operationem, & effectum Spiritus Dei convincentis ipsum de peccato observaverit, & nisi reflectens oculos in actum suum, quo subscripsit sententiæ Spiritus, in Lege loquentis & condemnantis ipsum ob peccatum; Non est mirandum quod hic error jam ostium aperuerit ad dubitandum de Statu suo. Secundum membrum esse potest: Si, postquam per Dei gratiam æger consensit in fœdus gratiæ, non reflexerit oculum in hunc actum, & in operationem Spiritus Sancti efficientis, ut ipse jam condemnatus peccati confugeret ad Christum, & consentiret in fœdus gratiæ, Non est mirandum quod hic error ostium aperuerit ad dubitandum de Statu suo. Tertium membrum esse potest: Si, postquam studium fixum sancte & inculpate vivendi accensum est à Spiritu Sancto in corde ægri, & postquam bona opera sua, licet imperfecta, testata fuerint studium sanctitatis in ipso non esse inane, æger non recognoverit studii sinceritatem, vel, non agnoverit hanc in se Spiritus Sancti operationem, Non est mirandum quod hic error viam aperuerit ad dubitationem ægri de Statu suo.

4. Cui malo ut occurratur, sedulo observanda est ab ægro dispensatio divinæ providentiæ erga se: & cavendum ei ne de ea judicet secundum tentationes Diaboli, aut hæsitationem Pastoris vel amici alicujus perperam forte de ipso judicantis, aut secundum suspiciones cordis sui increduli; Sed studendum potius, ut ex Verbo Dei interpretetur, in meliorem partem, omnem Dei in se & erga se dispensationem. Et certe in Casu posito, scilicet, ubi in ægro dubitante de Statu suo concurrunt hæc tria, sensus peccati, consensus in fœdus gratiæ, & studium bonorum operum; multa licebit observare in ægro, quæ possunt eum consolari, confirmare, corrigere & ædificare. Nam licet affligatur & dubitationibus vexetur æger: Deus tamen (ut res ipsa testatur) non deserit opus suum in eo, nec fovet in ipso peccatum, non sinit fidem ejus

extingui,

extingui; nec finit infidelitatem in eo prævalere; non finit fidem in eo esse otiosam, & simul incredulitatem castigat per diminutionem consolationis & pacis: Imo vero sensum pacis in ægri animo finit interrumpi, ut jus in pacem arctius ab ægro apprehendatur: exercet ægri fidem, ut ea crescat & roboretur; dat credere in Christum, & celat ad tempus donum fidei, ut abscondat superbiam ab oculis ægri, & ut humiliato ampliorem det gratiæ suæ mensuram. Hâc igitur dispensatione observatâ, hortandus est æger, ut denuo examinet conditionem suam diligenter, & observet studiosè operationem Spiritus Dei in se, nec parvi æstimet quod Deus ipse aperuerit oculos, ad perspiciendum peccatum in seipso, ad observandum peccati sui meritum, & vires: hoc enim testimonium est dati à Christo collyrii, de quo, *Apoc*.3.18. Et certe non contemnendum est opus Dei, quod æger jam judicaverit, & subinde se judicet dignum morte, secundùm legem, ob peccatum suum; & quod seipsum judicando, gloriam justitiæ Deo tribuerit. Hactenus enim à partibus Dei stat, & ipse propter Deum sibiipsi adversarius est: atque ita aditum habet ad promissionem Dei, quæ dicit, *Judicate vos ipsos, & non judicabimini*, 1.*Cor*.11.31. Huic consilio si auscultaverit æger, poterit per Dei gratiam tolli primum membrum primæ causæ dubitationis. Deinde, etiamsi fidei vigorem & virtutem non perspiciat æger in seipso, propter tentationum nebulas; observet tamen opus Dei trahentis ipsum ad consentiendum in fœdus gratiæ, & efficientis, ut ex renovato sensu peccati & male meritorum suorum, quotidie magis magisque confugiat ad Christum; & simul observet consensum hunc in fœdus gratiæ, seu, ad hilariter recipiendum Christum, esse *ipsissimum actum fidei salvificæ*: imo vero numerandum esse inter actus fidei nobilissimos. Præsupponit enim hic consensus in fœdus gratiæ. 1. Fidem habitam veraci Deo, in lege sua de merito peccati loquenti; & in Evangelio, de remedio docenti. 2. Præsupponit etiam hic consensus fidem habitam Deo ut bono & misericordi, Filium suum offerenti; & seipsum, in Filio placatum erga omnes, qui Christum ut hostiam, seu, propitiatorium pro peccato recipiunt, ostendenti. Et 3. Hic consensus in fœdus gratiæ, includit & renunciationem missam fœderi operum, & receptionem Christi cum beneficiis ipsius. Quapropter cum consensus hic Matrimonii contractum absolvat, & consentientem in fœdus reddat fœderatum: non est dubitandum, quin, qui consensum serium in fœdus gratiæ in se reperit, statuere possit etiam se fide salvificâ imbutum esse: tantoque magis rem extra controversiam poni, quanto magis, ex sensu peccati renovato quotidie, cogitur vel perire, vel fœderi gratiæ adhærere. Huic hortationi si obtemperaverit æger, tolli poterit per Dei gratiam membrum secundum primæ causæ dubitationis.

 Tertio,

Tertio,quantumvis infirmum se in opere Domini æstimet æger, si tamen,una cum sensu peccati, & consensu in fœdus gratiæ, testimonium habet non solum Ecclesiæ,sed etiam Conscientiæ suæ,quod studeat sancte & inculpate vivere in conspectu Dei & hominum, minime dubitare debet,quin hoc sit effectum Spiritus Sancti, qui fidem salvificam eduxit in florem & fructum, & hactenus sanctificavit ægrum, ut non tantum non regnet in ipsius corpore peccatum, sed etiam glorificetur Deus in ipsius conversatione. Quapropter sic lugeat æger peccatum suum, ut etiam gratias agat Deo per Christum, quod peccatum amplius non regnet in ipso. Atque ita tolli poterit membrum tertium primæ causæ dubitationis.

5. Causa secunda esse potest, si æger post examen actuum resipiscentiæ, fidei, & dilectionis, & obedientiæ suæ; & post sententiam approbationis latam de actibus illis examinatis,non teneat sententiam fixam,vel non defendat justam eam esse,sed vel retractet vel infirmet sententiam de sinceritate vitæ, seu,viæ suæ, de veritate fidei & resipiscentiæ suæ,jam juste prolatam,Non est mirandum, quod etiam dubitet *de Statu* suo. Quod ad hanc dubitationis causam attinet,hortandus est æger, ut,post examen & approbationem operationis Spiritus Sancti, non tantum convincentis ipsum de peccato, sed etiam adducentis ipsum ad Christum, & deducentis fidem ipsius in fructum, fixum retineat judicium de opere Dei in se: nec propter effecta corporis peccati mutet sententiam de Statu suo, de conversione sua, de actibus resipiscentiæ & fidei in se; Sed ubi Dei opus in se vocatur in quæstionem, humiliet se coram Deo, renovetque resipiscentiæ & fidei in Christum actus;& contendat adversus omnes tentationes pro fide sibi semel data,pro jure sibi in Christum concesso; & dicat cum Apostolo,2.*Tim*.1.12. *Novi enim cui credidi, & persuasum habeo, quod potens sit ad custodiendum illud quod eo commisi.* Atque sic tolli poterit secunda causa dubitationis.

6. Tertia causa esse potest,quod æger putet se adeo simpliciter,adeo absolute ab omni tacita conditione operum ferendorum in Christi gratiam se conjecisse, ut nullum dolum practicum in corde suo admixtum suspicari necesse sit: cum tamen dolus aliquis adhuc in corde lateat, quem Deus per inquietudinem castigat, ut æger discat adhuc magis glorificare gratiam Dei in corde suo,& minus fidere operibus suis.Hic autem error oritur ex hoc,quod æger non distinguat satis clarè inter *assensum mentis* suæ de officio præstando,& *consensum cordis* sui ad officium reipsa præstandum;vel,quod non observet hanc distinctionē,cum ad praxin ventum est: e.g.quoniam in actu fidei, Conscientia ægri,ex Evangelio edocta, judicavit animam conjiciendam esse in Christum simpliciter, sine tacita reservatione seu conditione fructuum fe-

rendo-

rendorum: de qua conditione diximus in Caſu ſuperiori; Idcirco æger, officio ſuo ſubſcribens, & reipſa aliqua ex parte vere in Chriſtum recumbens, putat ſe ſimpliciter feciſſe id, quod judicavit ſimpliciter eſſe faciendum: interim tamen cum ad cordis praxin ventum eſt, tacitus fovetur metus, an conſenſus in fœdus gratiæ firmus aut ſincerus eſſe poſſit, priuſquam poſt aliquod tempus per fructus maturiores ſinceritas ipſius probata fuerit: quem errorem practicum Deus *καρδιογνώστης* obſervat, & per ſolicitudinem, metum, & dubitationes, vexari ſinit ægrum, ut ab errore revocetur.

7. Quod ad hanc dubitandi cauſam attinet: quia facile fieri poteſt, ut cor in actu credendi, ſeu, conjiciendi ſe in Chriſtum, non reſpondeat uſquequaque menti aſſentienti in officium credendi in Chriſtum: (ægrius enim præſtamus officium, quam agnoſcimus quid præſtare debeamus;) & quia difficulter renunciamus operibus noſtris, & difficulter etiam nos ſubjicimus juſtitiæ Dei, quæ eſt per fidem; Idcirco hortandus eſt æger, quoties poſt conſenſum in fœdus gratiæ, agitari ſentit fidem ſuam dubitationibus, ne putet ſe eam menſuram ſinceritatis in actibus fidei jam aſſequutum eſſe, quin reſtet adhuc locus ſinceritati in credendo augendæ: nec dicat apud ſe, non poſſum actum fidei ſinceriorem edere, quam prior actus fuit; Sed potius altius perpendat naturalem cordis ſui ad fœdus operum inclinationem, & declinationem à fœdere gratiæ: ut confidentiæ ſuæ in carne radices magis magiſque evellere ſtudeat, & ut gratiæ Regnum in corde ſuo liberius exerceatur, per juſtitiam ad vitam æternam, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Hoc enim exigit Apoſtolus à fidelibus in deſcriptione veri Chriſtiani, *Philip.* 3.3. & ipſe id factitabat, v.12.13.14. *Non jam perfectus ſum*, (inquit) *Sed ſequor ut apprehendam, & juxta præfixum ſcopum inſequor ad palmam ſupernæ vocationis.* Et *Rom.* 5. 21. ubi Legis promulgatæ & inculcatæ finem oſtendit eſſe, ut gratia regnet per fidem in Chriſtum, ad juſtitiam & vitam æternam. Hæc ratio expeditiſſima eſt ad tollendam tertiam cauſam dubitationis.

8. Quarta cauſa eſſe poteſt, quod æger, propter obſervatum dolum cordis ſui, ſuſpicetur totum Dei opus in ſe non eſſe genuinum. Error autem hic accidit ex eo, quod non diſtinguat æger inter conſenſum cordis verum ex parte, quatenus renovatum eſt, & hæſitationem cordis ex parte, quatenus reliquias incredulitatis habet in ſe, ſeu, quod non diſtinguat effecta gratiæ renovantis, ab effectis peccati inhabitantis, & ſe in eadem actione exerentis. Nam niſi hæc diſtinctio obſervetur, & jus prudenter dicatur, ita ut quod Dei eſt in homine renovato, abſolvatur; & quod à peccato inhabitante eſt, condemnetur, ſine præjudicio boni quod in homine regenito reperitur, impoſſibile

eſt ut quieſcat Conſcientia, vel ut actus aliquis etiam optimus approbetur: quandoquidem in optimis noſtris actionibus, malum quod nolumus ſemper comperietur.

9. Quod ad hanc quartam cauſam tollendam attinet: hortandus eſt æger, ut pergat obſervare quantum poteſt omnes defectus in bonis actionibus ſuis, & ſimul etiam dolos cordis ſui; & virus inhabitantis peccati (quod opera bona omnia inficit) & vim etiam ejus conſiderare qua voluntatis renovatæ effectus retardat & impedit, ut videmus in exemplo Apoſtoli, *Rom.* 7. 14, 15. &c. Hæc enim obſervatio, ad humilitatem & abnegationem ſui magnopere conducit, impellitque ad quærendum in Chriſto peccati Remiſſionem. Simul etiam ſtudeat æger tueri quicquid in ſe Deus operatus eſt boni, cum parente Dæmoniaci, qui, *Marc.* 9. 25. in ſe obſervavit vim diffidentiæ, non tamen negavit quod in ſe erat opus fidei, ſed dixit, *Domine, credo, ſuccurre diffidentiæ meæ.* Atque ita tolli poteſt quarta cauſa dubitationis.

10. Cauſa quinta eſſe poteſt, quod æger abſolutionem fidei ſuæ ab hypocriſi & fructuum fidei ſuæ approbationem ſuſpendat à quiete & pace, quam cum illis conjungendam putat, & quod judicet fidem illam ſolam veram eſſe quæ ſuperavit dubitationes, & jam victrix & quieta eſt: illam vero fidem non eſſe extra ſuſpicionis aleam, quæ dubitationibus agitatur; quaſi tentatio ad dubitandum eſſet ſufficiens ratio dubitandi de fidei ſinceritate; vel, quaſi ſatis eſſet ad vocandum in quæſtionem, an fides vera ſit, quia in quæſtionem vocatur à Diabolo. Hæc autem ratio ſi firma eſſet, nihil nobis ratum eſſet in toto Religionis negotio: Diabolus enim nunquam ceſſat calumniari, & in quæſtionem vocare, tam veritatem dictorum divinorum, quam ſinceritatem & ſanctitatem operationum divinarum. Nihil autem detrahitur fidei, quando illa impetitur ab hoſte: nam fides in prælio pugnans & turbata, tam ſolida eſt quam fides victrix & quieta poſt prælium.

11. Quod ad hanc cauſam attinet: 1. Conſideret æger ſe vocari ad militiam, non tantum adverſus carnem & ſanguinem; Sed etiam adverſus principatus, poteſtates, mundi Dominos, Rectores tenebrarum ſeculi hujus, ut habetur, *Epheſ.* 6. Nec ſe liberandum eſſe à periculo tentationum, & jactu telorum ignitorum, quandiu in vivis agit. 2. Obſervet objectiones adverſus fidei ſinceritatem, indicium eſſe potius ſinceritatis in fide, quam juſtam cauſam dubitandi de ea: novit enim Pirata Satan ſatis diſcernere inter navem vacuam & onuſtam pretioſis mercibus: nec illam, ſed hanc, ad fidem ex ea auferendam, ſolet adoriri. Non enim eſt è re Diaboli, fidem vacuam ſeu mortuam vocare in quæſtionem, ne excitetur Conſcientia ſecura ad vocandum etiam in quæſtionem Statum ſuum, atque ita ad elabendum ex ejus,

regno

regno & retibus. Sed, si quis jam ereptus est ab illo per Redemptoris potentiam, solet hostis insequi abeuntem; & si reducere ad captivitatem non poterit, saltem operam dare ut liberato molestiam creet, & fidem ejus infirmet. 3. Consideret Deum permittere solere, ut fideles inquietentur à Satana & dubitationibus agitentur, destinato consilio, ut ipsorum fides exerceatur, in actum sæpius educatur & purgetur, sicut aurum sæpius igne probatum; & ut sincerior evadat, augeatur, & roboretur in conflictu sicut accidit fidelibus illis, *Heb.* 11. 34. qui validi facti sunt ex imbecillitate, & effecti sunt robusti in bello, per fidem. Quapropter hortandus est æger, ut non tantum despiciat hostis malitiam; Sed etiam secundum hortationem *Jacobi*, cap. 1. v. 2. gaudii materiam æstimet quoties inciderit in tentationes varias: illud sciens, quod exploratio fidei pariat patientiam. Et opus hic est ut induat totam Dei armaturam, de qua, *Ephes.* 6. 11. ut possit adversus Diaboli insidias stare. Atque ita obviam itur quintæ causæ dubitationis.

12. Causa sexta esse potest, quod æger non distinguat pacem apud Deum, à pace in se & in carne sua, seu, quod non distinguat pacem apud Deum, à quiete ab hoste; Sed quod suspicetur se non habere pacem apud Deum, quando pacem in se non sentit, vel quietem ab hoste non sentit. Ista autem studiose distinguenda sunt: nam fidem habentes in Christum, justificamur, & justificati per fidem, pacem habemus apud Deum, sive illam sentiamus sive non. Quod ad hanc causam attinet: Differunt inter se, pax apud Deum, pax Conscientiæ, pax seu quies in carne nostra, & in spiritu nostro. *Pax apud Deum*, cum sumitur in sensu forensi seu judiciali, vel est ipsa Reconciliatio nostra cum Deo, vel jus adeundi Deum jam nobis propitium factum: & hæc pax, seu hoc jus nobis datur una cum justificatione, ut habemus, *Rom.* 5. 1. *Pax Conscientiæ* sumi solet in sensu physico, & significat *quietem* Conscientiæ à Dei Spiritu datam, ex perceptione justificationis, & Reconciliationis per fidem apprehensæ. Hanc pacem, Apostolus, *Phil.* 4. 7. vocat pacem *quæ superat intellectum. Pax in spiritu nostro, seu in carne*, est quies animi à perturbatione, & ab ea mentis molestia, quæ oritur non à peccato, sed ab afflictione. De hac pace intelligendum illud Apostoli, 2. *Cor.* 7. 5. ubi dicit, *Cum venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra: foris pugnæ, intus terrores, in omnibus affligebamur.* Pax in mente, seu spiritu nostro, seu carne, auferri potest, manente pace Conscientiæ, ut cum Apostolus, 2. *Cor.* 2. 13. dicit se non habuisse quietem vel *pacem in Spiritu*, quia *Titum* fratrem non convênit: afflictio enim turbabat eum, non autem sensus alicujus reatus. Similiter, pax Conscientiæ au-

ferri poteſt, cum pax apud Deum firma eſt, ut cum *Davidi* dictum eſt à Propheta, 2 *Sam.* 12. 13. *Peccatum tibi remiſſum eſt*, pax apud Deum pronunciata eſt: verum non jam, ſed poſtea data eſt ei pax Conſcientiæ, ut *Pſalmis* multis poſt quinquageſimumprimum ſcriptis apparet. Hic igitur opus eſt diſtinctione: ad cujus obſervationem hortandus eſt æger, ne inquietudinem animi ortam ab afflictione confundat cum Conſcientiæ anxietate; & ne, per Conſcientiæ anxietatem, putet ſe privari jure ſibi dato ad adeundum Deum propitium: Nam multis modis perturbari poterit Conſcientia per tentationes adverſarii, quando Deus placatus in filio pacem pronunciavit ſervis ſuis. Ne igitur titubet æger in fide, quia turbatur ei animus; nec pacem ſuam apud Deum exiſtimet mutari, ſecundum Conſcientiæ mutationes: Sed adhæreat conſtanter fœderi gratiæ per fidem; adhæreat mordicus Chriſto, in fœdere oblato, ut retineat pacem apud Deum firmam: quia Deus in Chriſto, ut in propitiatione ſolida, acquieſcit, ſicut dicitur, *Mat.* 3. 17. *Hic eſt filius meus, in quo acquieſco.* Et hoc indigitabat Arca Teſtimonii in Sanctuario poſita, cujus operculum vocatum eſt *Propitiatorium:* quia ſignificabat Deum propitium factum erga omnes ad eum accedentes per Chriſtum. Atque ita tolli poterit ſexta dubitationis cauſa.

13. Cauſa ſeptima eſſe poteſt, quod æger non diſtinguat jus quod habet ad Chriſtum & ad beneficia ipſius, à poſſeſſione & ſenſu poſſeſſionis bonorum à Chriſto fluentium. Idcirco, quandocunque poſſeſſio vel ſenſus poſſeſſionis interrumpitur, putat æger etiam jus evaneſcere; vel turbatur ſaltem, ac ſi jus vacuum eſſet, cum ſecus ſe res habeat: nam etiam in externis & corporalibus, manet apud homines jus ad hæreditatem & ad bona mobilia, quorum poſſeſſio vel nondum habetur, vel interrumpitur & aufertur. Quod ad hanc ſeptimam cauſam attinet: mirum quantum ſenſus & poſſeſſio nobis placeat, & quam infirma comperiatur fides noſtra de jure noſtro ad poſſeſſionem, quando non poſſidemus id ad quod jus habemus! Et hic præcipuè apparent inimicitiæ naturæ noſtræ adverſus Deum: qui, licet per Evangelium declaret jus confugientium ad Chriſtum, in bona quæ promittit, licet fœdus cum iis ineat, & juret ad confirmationem fidei ipſorum de promiſſis, licet addat pro ſigillis Sacramenta, det arrhabonem ſpiritus & primitias futuræ meſſis in gaudio ineffabili, det experimenta & documenta veritatis, bonitatis & dilectionis ſuæ erga nos, in providentiæ ſuæ diſpenſatione continuata per multos annos; Ubi tamen ad pauxillum tempus abſcondit faciem ſuam à nobis, ad nos probandum an credituri ſimus ſine pignore, Statim turbamur, ut videre eſt in Dei ſervo, *Pſa.* 30. 7. *Tu abſcondiſti faciem tuam, & ego perturbatus ſum:* Ea eſt noſtra naturalis infidelitas, & inclinatio ad bona præſentia & ſenſibilia.

14.

14. Quapropter hortandus est æger. 1. Ut naturæ suæ morbum observet, &, in sensu perversitatis suæ, lugeat ἀπιστίαν suam & humiliet se coram Deo. Deinde, hortandus est ut rite distinguat jus à possessione, ne jus in quæstionem vocet, cum sensus pacis vel gaudii interrumpitur; vel cum possessio alicujus spiritualis boni videtur auferri. Et, 3. hortandus est ut caveat, quando possessio boni alicujus, vel sensus pacis Dei & gaudii Spiritus præsens est, ne nimis adhæreat sensui seu possessioni præsenti: Pax enim & gaudium Spiritus Sancti & donum quodvis spirituale, est tantum opus Dei in nobis, non Deus ipse. Idcirco gaudium nostrum & gloriatio nostra, non debet esse in eo, quod gaudium vel donum aliquod sentiamus; Sed in eo, quod Deum fœderatum habeamus in Christo, qui gaudium vel donum hoc nobis largitus est, ad consolationem nostram pro tempore & ad confirmationem fidei nostræ in posterum retinendæ ubi gaudium sensibile deficit vel aufertur. 4. Hortandus est æger, ut, in sensu defectus alicujus boni vel præsentiæ mali inhærentis cujuscunque, adhæreat Christo & fixam teneat fidem de jure suo per Christum ad omnia bona quæ in fœdere promittuntur: Maxime autem studeat hoc præstare, cum maxime vexatur ob defectum boni vel præsentiam mali. 5. Similiter, quando sensus pacis & gaudii, vel alicujus boni spiritualis, jam præsens est, studeat æger fidem suam in Christum ita confirmare per sensum præsentem; ut, quando aufertur sensus istorum bonorum, fructus experientiæ maneat, nempe, *confirmatio fidei*, ad quam firmandam, sensus datus est; & ad quam probandam & roborandam, sensus ablatus est. 6. Denique, distinguat æger jus ad communionem bonorum in Christo, seu, per Christum, possidendorum, à jure quod habet per fidem, ad unionem cum ipso Christo: facile enim convellitur fides de jure ad communionem bonorum, nisi observetur, & firmiter teneatur fides de jure ad unionem cum persona Christi Redemptoris & fidejussoris. Quod si autem fides de jure ad unionem fixa sit, facile convalescet fides de jure ad communionem, & spes etiam de recuperanda possessione reflorescet.

15. Ut autem hoc facilius apprehendatur, in memoriam revocandum est, quod serius consensus in fœdus gratiæ, jus faciat consentienti, primo, in ipsum Christum, seu, Deum in Christo: Deinde, in beneficia quæ Christus consentientibus in fœdus gratiæ acquisivit; fœdus enim gratiæ est instar contractus matrimonialis, in quo per consensum partium utrique parti jus datur mutuum, primo, in personam alterius, deinde, in bona alterius: Sic enim se confirmat Sponsa, *Cant.* 2. 16. *Dilectus meus, meus est, & ego sum ejus.* Et hæc duo distinguit Apostolus, *Rom* 8. 32. ubi hunc ordinem juris, primo in personam, deinde, in bona personæ, nobis ostendit, *Qui non pepercit*

cit filio suo, sed tradidit eum pro nobis omnibus; quomodo cum eo non dabit nobis alia etiam omnia? Ordo enim hic est, dedit Deus Christum pro nobis jam confugientibus ad Christum, antequam cognitio benevolentiæ divinæ erga nos, in Christi oblatione expiatoria manifestatæ, ad nos pervenire potuit, qui nondum nati eramus: Deinde, in vocatione efficaci Deus per fœdus gratiæ in Evangelio promulgatum & à nobis acceptatum, dat nobis jus in Christum, facitque eum nostrum: & denique, cum Christo, & per Christum dat nobis alia omnia bona. Ut ergo sensus, & possessio boni alicujus spiritualis obtineatur, reparetur & restituatur; firmanda est nostra fides de jure nostro ad communionem & possessionem bonorum in Christo. Et ut fides de communione bonorum constet & firma sit, fides de unione cum Christo asserenda, & sarta tecta conservanda est: Et ut fides, de unione cum Christo, & jure nostro in Christum, stabiliatur, consensus in fœdus gratiæ figendus & firmandus est: Et ut fœdus gratiæ semper nobis placeat & consensus noster ratus sit, singuli defectus in nobis, singula peccata nostra & sensus originalis peccati, totidem rationes & motiva sunto ad nos humiliandos, & totidem calcaria ad nos impellendos, ut consentiamus ex corde in fœdus gratiæ; & totidem etiam clavi, qui nos Domino nostro Iesu Christo quasi affigant. Sic enim tuebimur jus omne nostrum & possessionem bonorum recuperabimus & augebimus: Et hac ratione tollitur causa septima dubitationis.

16. Causa octava esse potest, quod æger non distinguat approbationem Dei, ab approbatione Conscientiæ suæ, vel, ab approbatione hominum, vel, ab approbatione hostis sui Diaboli. Idcirco, quando adversarius calumniatur, quando homines inspectantes, aut ad ægri consolationem vocati, suspendunt judicium, & dubitant de via ægri an bona sit, vel temere viam ipsius condemnant; vel, quando Conscientia decepta & turbata ad tempus, non audet approbare id quod antea jure approbavit, Dubitat æger & titubat, quasi Deus, qui antea approbaverat, non jam approbaret; cum Dei approbatio semper sit eadem & non varietur: est enim secundum veritatem, quæ verbo ejus scripto consignata est, & propterea immobilis.

17. Quod ad hanc dubitandi causam attinet: morbus hic est filiorum Dei præcipuè nondum adultorum admodum frequens & nimium familiaris, quod sibi ipsis displiceant maximè, cum viæ ipsorum Deo placent maxime; & quod suspicentur idem esse Dei & suum judicium de seipsis: cum enim Deus aperit ipsis oculos ad observandum vires, & effecta peccati originalis in se, optima quæque contaminantis: etiamsi resipiscant & in Christum credant, Deum ament, colant, eique studeant in omnibus placere; Nihil tamen horum

horum videntur ſibi facere uti debent : adeo imperfecta & polluta omnia ſua bona opera perſpiciunt, ut vix audeant ea nomine bonorum operum dignari. Nec mirandum eſt igitur, quod, cum rationes judicii ſui de ſe firmas eſſe putent, ſuſpicentur omnes actiones & vias ſuas non pluris æſtimari à Deo quam à ſeipſis æſtimantur. In quo Caſu, hoc quidem bonum eſt, quod non confidant in operibus ſuis ; quod non ſibi placeant in peccatis ſuis & defectibus ſuis ; quod non ſuperbiant in conſpectu Dei. Bonum etiam eſt, quod perfectioni ſtudeant ; quod ad metam ſupernæ vocationis contendant; quod non retardent curſum ſuum, retroſpiciendo ad præterita, vel computando quantum itineris emenſi ſint, vel, quouſque progreſſi ſint. Sed in hoc tamen errant. 1. Quod ſuſpicionibus indulgeant. 2. Quod non humilientur tanto magis, quanto imperfectiora ſua opera perſpiciunt. 3. Quod non agnoſcant Dei gratiam in ſanctificatione inchoata, ſeu, non obſervent meſſem bonorum operum in herba. 4. Quod non tanto magis confugiant ad Chriſti juſtitiam imputatam, gratiamque Dei tanto magis extollant, quanto imperfectiorem vident juſtitiam ſuam inhærentem. 5. Quod judicium Dei æſtiment ex ſuo judicio, cum viæ ejus non ſint viæ noſtræ ; ſed cogitationes ejus tam longe ſuperent noſtras cogitationes, quam cœlum ſupra terram elevatum eſt, *Iſa.* 55. 9. Quapropter hortandus eſt æger. 1. Ut apud ſe conſideret & agnoſcat minima initia novæ obedientiæ eſſe Spiritus Sancti effecta, & indicia novæ creaturæ, & fructus pretii Redemptionis à Chriſto perſoluti, & argumentum gratiarum actionis de præterito & bene ſperandi de reliquo quod ſupereſt futuro. Secundo, rogandus eſt æger, ut recordetur, quod Chriſtus diſcipulos ſuos omnes, (qui pauperes ſunt ſpiritu, qui in ſe nihil boni obſervant, qui mendicant ab ipſo ea quibus carent, & lugent defectus, ſeu peccata ſua) pronunciet beatos, utut ſibi peccatores miſeri videantur, *Mat.* 5.3. Tertio, diſtinguat æger approbationem viæ ſuæ in qua Deo ſervire ſtudet ſecundum regulam verbi, ab approbatione ſingulorum actuum in via ſua : via enim in qua ambulat æger, bona eſſe poteſt, licet ſinguli actus, ſeu actiones, imperfectiores ſint, & ſimiles paſſibus inæqualibus. Quarto, diſtinguat approbationem actionum bonarum, quatenus à Spiritu Sancto diriguntur, ab approbatione actionis ſimpliciter ſumptæ, vel quatenus ex parte noſtra polluta eſt. Quinto, approbationis regulam ne faciat æger judicium ſuum, ſed judicium Dei loquentis in verbo ſuo : loquentis (inquam) non in Legis ἀκριβείᾳ, ſed in Evangelii ἐπιεικείᾳ. Atque ita tollitur octava dubitandi cauſa.

18. Cauſa nona eſſe poteſt, quod æger, etſi credat in Chriſtum, & ſtudeat in eum magis magiſque credere, non tamen ſciat quid ſit *per fidem vivere:*

nam, si sciret & studeret vitam fidei vivere, pergeret in via quam fides ex verbo Dei probat & justificat: pergeret (inquam) sive dubitationibus agitaretur sive non, sive effectum fructumque præsentem sentiret sive non; Si per fidem viveret, abundaret in opere Domini, & gloriam daret Domino loquenti in verbo suo, in gaudio & tristitia, in opulentia & in penuria: Atque ita in omni rerum vicissitudine, in omnibus mutationibus quibus obnoxius est, pergeret inoffenso pede ad metam sibi à Deo propositam.

19. Quod ad hanc dubitandi causam attinet: Admonendus est æger, ut observet quantum inter se distent *credere in Christum*, & scire *vivere per fidem in Christo*: multi enim sunt qui credunt in Christum, & jus habent ad vitam æternam, qui tamen misere vitam traducunt: quia nesciunt quid sit vivere per fidem. Credere enim in Christum possibile est, cum intuitu ad consolationem & pacem statim sequuturam: quam si credens non reperit, etiamsi non cesset credere, nec spem vitæ æternæ abjiciat, M sere tamen angitur, affligitur & tentationibus, ad dubitandum an sit in gratia apud Deum, vexatur. Qui vero scit quid sit vivere per fidem, in omni conditione, etiam pessima, credit cum intuitu ad veritatem promissionum, cum intuitu ad fœderis constantiam & dilectionis divinæ immutabilitatem: & idcirco nec in fide titubat, nec dubitationibus à Diabolo injectis angitur, quomodocunq; à Deo tractetur seu exerceatur, sive res ipsius prosperæ sint, sive adversæ, ut videmus in *Paulo*, *Phil.*4.12. *Novi & humilis esse, & excellere: ubique in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in Christo, qui me corroborat.* Ille qui per fidem vivit, sustentat se in expectatione promissionum, post hanc vitam præstandarum, quicquid in hac vita patiatur: & etiamsi, in mediis afflictionibus & persecutionibus ob fidei professionem, versaretur, & quasi derelictus à Deo, hostibus Religionis irridendus jaceret; Cor suum tamen consolatur, per spem Resurrectionis & gloriosi adventus Domini nostri Iesu Christi: & quia adhuc pusillum temporis est & qui venturus est veniet, & non tardabit: Idcirco justus hic noster (adultus scilicet in schola Dei) ex fide vivit, *Heb.* 10. 37. Satis est fideli confirmato non coarctari, etiamsi in omnibus prematur; satis est non destitui, etiamsi laboret inopia; satis est non deseri, etiamsi persecutionem patiatur; satis est non perire, etiamsi dejiciatur, sicut videmus in Apostolo, 2 *Cor.* 4. 8. Hortandus est igitur æger, ne felicitatem Status sui metiatur ex præsenti quiete, aut consolatione, aut immunitate à tentationibus aut vexationibus, quasi dubitandi ratio daretur, cum omnia secus se habent ac ipse vellet; Sed ut statuat de Statu suo secundum Dei Verbum, quod pronunciat omnes beatos, quibus sunt remissa pec-

cata; omnes beatos, qui confugerunt ad Christum, Deoque in omnibus placere student. Neque hæc eô dicimus, ac si non esset precandum & studendum, ut Dei facies super nos splenderet, & ut gaudio Spiritus repleremur: Jubemur enim faciem Dei, & robur ejus semper quærere, *Psal.* 105. 4. Sed hæc eô dicimus, ut nos voluntati Dei mansuete submittamus, quomodocunque nos exercuerit, semper pergentes in via Domini secundum vocationem nostram, per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, operam dantes ut veraces comperiamur, etiamsi impostores habeamur, 2 *Cor.* 6. 8. Nam per fidem vivere, requirit. 1. Ut corruptæ rationi nostræ & sensui renunciemus, ne eam vitam nostram ducamus, quæ oculis cernitur, vel, quæ variari aut auferri potest, manente erga nos immobili Dei benevolentia. 2. Ut eam æstimemus vitam nostram, quæ abscondita est apud Deum in Christo, & quæ revelabitur in glorioso adventu Domini nostri. 3. Ut fœdus gratiæ & promissiones quæ in eo continentur, pro cibo potuque ducamus, quibus, in patientia & consolatione Scripturarum, cor nostrum in malis omnibus molestis alatur & sustineatur. 4. Ut omnibus Dei beneficiis utamur tanquam à Deo datis, secundum jus novum factum nobis, ad ea per Christum percipienda. 5. Ut Christi virtutem in omnibus actionibus nostris imploremus, & concessam agnoscamus cum gratiarum actione: sic enim, *Gal.* 2. 20. vivebat *Paulus*. 6. Ut lætemur magis in Christo (inhabitante in nobis, & operante spem, patientiam, longanimitatem, reliquaque sanctissimæ Imaginis suæ lineamenta ducente) quam afficiamur dolore de molestiis concepto, cujus mucrone & acrimoniâ lineamenta ea ducuntur. 7. Denique, *per fidem vivere*, requirit, ut, retinentes fidem, & bonam Conscientiam in Christo, beatos nos æstimemus, licet cum dubitationibus, cum persecutionibus, cum Diabolis, cum afflictionibus immediate à Deo immissis, quotidie nobis confligendum sit. Sic enim vivunt militantes, qui in mediis belli laboribus, inedia, vigiliis & periculis, spe victoriæ & pacis sequuturæ corda sua sustinent. Atque ita tolli potest causa nona dubitationis.

20. Quæ autem in hoc Casu explicando à nobis dicta sunt, non ita accipienda sunt, quasi in ægro fovenda sit negligentia in operibus bonis, aut omissio ullius officii in Verbo Dei requisiti approbanda; Sed in eum finem dicta sunt, partim, ne fiducia ulla in operibus bonis collocetur: partim, ut, per fidem in Christum, derivetur virtus ex Christo ad opera bona edenda, in gloriam Dei, qui gratis, sine intuitu operum nostrorum, nos justificat & salvat: Neque hîc imminutum imus studium resipiscentiæ, dum fovemus fidem; Sed fidem alimus, ut resipiscentiam ad vitam, seu, dolorem secundum Deum ob peccata ex fonte gratiæ hauriamus: Nec ἀπάθειαν stoicam inducimus militi

Christiano, cum res ejus minus prospere habent; Sed magnitudinem animi, & fortitudinem in Christo suademus, ne succumbat æger in conflictu, vel impediatur in via, ob injectas dubitationes: & ut corde humili coram Deo, & confirmato animo adversus omnes molestias & tentationes, pede inoffenso pergat, certus obtinendi præmium promissum, propter gratiam & veritatem Dei Amici nostri, & Patris nostri secundum fœdus gratiæ in Christo Iesu manifestati.

CAPUT IX.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Regeneratione sua: quia tempus in quo Conversus est non potest edere.

SUnt ex Regenitis aliqui, qui, postquam itineris sui ad cœlum maximam partem confecerunt, claudicare incipiunt, & ægre progrediuntur, dubitantes an in via recta ambulent; imo vero an unquam conversi vel regeniti fuerint. Ratio autem dubitationis hinc oritur, quod, in colloquio cum sanctis fratribus & familiaribus suis, observaverint fideles (ex quibus hunc & illum, & tertium, & quartum, nominare possunt) Conversionis suæ tempus & initium nominare & ætatem suam in Christo computare posse à certo vitæ suæ anno; vel, ex eo quod ex libro neoterici alicujus scriptoris didicerint designari posse diem, à Regenito quovis, quo Deus efficaciter ipsum vocavit; & quod simile aliquid pro concione audiverint ex nonnullius prædicatoris sermone: cum autem seipsos examinant, diem aut tempus Conversionis suæ designare minime valent: *Educati sumus* (inquiunt) *in pia familia, exercitiis Religionis assuevimus; Christianæ doctrinæ summam audientes, veritatem amplexi sumus; visi nobis sumus in Christum credere & in numero fidelium resipiscentium esse; studiosos Christianæ Religionis dileximus, & etiamnum diligimus: Sed, quia diem Conversionis nostræ non possumus designare, sicut alios vere Christianos designare posse observamus, idcirco dubitamus an nostra Conversio præterita sit, an futura: Interim nec audemus regredi, vel viam quam sequuti sumus relinquere, nec audemus confidenter progredi; Sed, incerti quid statuamus, claudicare cogimur.*

Quæ objectio ut solvatur, concedendum quidem est, multos se decipere, qui, civiliter educati, & à pueritia Religionis exercitiis assueti, perfectionem fatuarum virginum nondum superarunt; Sibi tamen & aliis placent, & pro Conversis & Regenitis habentur. Hi si interrogentur de fide & Resipiscen-

tia,

tia, de vitæ instituto & moribus, non possunt tempus designare, in quo (ut ipsi putant) non crediderunt in Christum, in quo non oderunt peccatum, non dederunt operam sanctitati; & tamen virtutem & efficaciam Religionis in cordibus suis nunquam senserunt, nunquam sibiipsis displicuerunt in viis suis, &, ut quod res est dicamus, nondum conversi sunt: Sed verum est etiam nonnullos esse, qui vere Regeniti sunt, in quibus pedetentim, & sine notabili mutatione, una cum cognitione veritatis, sincera fides, seria resipiscentia, & vitæ renovatio per Spiritum Sanctum adoleverunt; & in illis verum est, quod dicitur in Evangelio; *Regnum Dei non venit cum observatione.* Sic enim illud nobis describitur, *Marc.* 4. 26. *Ita est regnum Dei ut si quispiam jaciat semen in terram, & dormiat, & surgat nocte ac die: & semen germinet, & assurgat quomodo ipse nescit.* Sed ut nodus expediatur: non refert multum scire quo die aliquis sit Regenitus, modo certum sit, quod sit Regenitus, & quod sit vere nova creatura factus. Quapropter hortandus est æger, ut bono sit animo, si, post cordis sui seriam examinationem, se indies humiliet in sensu non tantum actualium peccatorum suorum, sed etiam originalis suæ pravitatis, eousque ut ipse seipsum abominetur: & ut, abjecta omni fiducia in in seipso operibusque suis optimis, justitiam Christi serio amplectatur, eique adhæreat, & novæ obedientiæ præstandæ studeat. Si enim hæc in aliqua mensura sinceritatis inveniat æger, non est quod anxius sit de die, vel mense, vel anno, quo Spiritus Christi hæc in ipso operari cœperit: tantum studeat in his omnibus proficere, & per omnia impedimenta in hac vita progredi. Hæc enim indicant hominem vere Christianum esse, teste Apostolo, qui non aliter vere fideles ab hypocritis discriminavit, *Philip.* 3. 3. *Nos sumus Circumcisio.* (inquit) *qui colimus Deum in spiritu, & gloriamur in Christo Iesu, & nullam habemus fiduciam in carne.*

CAP. X.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Regeneratione sua, quia principium Conversionis suæ non fuit spirituale, sed carnale.

Quidam Regeniti sunt, qui tempus efficacis vocationis suæ (uti aliquando putabant) noverunt quidem & observârunt, & qui à certo tempore testimonium mutati sui studii in Conscientia sua habent; & mutatæ in melius conversationis suæ testem habent Ecclesiam

Dei in qua versantur? Sed dubitant an mutatio illa fuerit ea, quam *efficacem vocationem* nominare possent. Ex his, alii propterea dubitant an conversi sint, quia Conversio sua, (quam putabant sinceram esse) post examinationem, comperitur longe abfuisse à terroribus Legis, quibus alios Dei filios in Conversione exercitatos fuisse nôrunt: *non enim terrore*, sed *amore Dei*, & desiderio salutis æternæ (inquiunt) allecti sumus ad Deum & fidem in Christum. Alii contra, dubitant an Conversio sua sincera judicari possit, quia, non sicut alii ingenui Dei filii, allecti sunt in Dei fœdus, *per amoris divini* erga se sensum; Sed quod terroribus compulsi ad Christum confugerunt; & quod (quantum de seipsis conjecturam facere possunt) non omnino renunciassent voluptatibus suis pravis, aut mundi præsentis illecebris, nisi minis & terroribus abacti & abstracti fuissent ab eis. Et hi justas suspicionis suæ causas habere se putant: quod non spiritualis amor Dei, sed carnalis amor sui, principium fuerit Conversionis ipsorum. Hîc igitur, & hi & illi dubitantes, hærent donec auferatur dubitandi causa.

1. Quæ ut tollatur, minime negandum est, quin multi sint, qui (post notabile aliquod beneficium Dei acceptum, vel post flagellum perceptum, vitæ suæ instituendæ rationem mutârunt; & crassioribus vitiis renunciantes, vitam civiliorem, & quoad externa in Religione admodum etiam speciosam degunt) fœdus gratiæ in Christo ignorant, & quid sit fides viva nec nôrunt, nec nosse multum laborant. Sed nobis res est cum Regenitis, qui ex sensu peccati confugerunt ad Christum, eumque in agnitione indignitatis & indigentiæ suæ quotidie frequentant, & adversus peccatum in seipsis per Spiritum Christi luctanrur & bellum gerunt; quibus justitia propria sordet, & sola illa Christi justitia in deliciis est; quique fructibus fidei & resipiscentiæ edendis operam dant, & tamen propter rationes supra dictas dubitant de Conversionis suæ sinceritate. Hujusmodi Athletis idem responsum volumus, (quod superioribus illis, qui de Conversione dubitabant, quia de tempore Conversionis suæ nihil certi affirmare poterant) nempe, non refert quâ ratione, quibus modis vel mediis, ad Christum adducti sint, modò certum sit eos ad Christum verè venisse: non refert amore-ne an terrore, beneficio-ne an flagello aliquo, spe-ne an metu adducti primum sint, ut Deum quærerent, modò nunc Christum charum habeant: qui enim placidissime conversus est, &, post seriam convictionem de peccato & morte merita, non diu detentus est in cœli vestibulo, sed statim admissus ad thronum gratiæ, acceptus est liberaliter in Conversionis initio à Spiritu consolationis; potest idem postea satis duriter exerceri,

2. Ex his, nobis videtur Psaltes *David* fuisse, qui à fratribus suis nunquam observatus est gestare signa animi multum humiliati aut doloribus fra-

cti, ut patet ex verbis *Eliabi*, 1.*Sam*.17.28. *Novi* (inquit) *superbiam tuam, & pravitatem cordis tui*: sic enim ille perperam judicabat de *Davidis* lætitia. Cujus etiam rei indicium est, quod *David* corpore fuerit bene habito, & vultu floridissimo; & quod in fidei lætitia annos aliquos egerit, citharâ, cantibusque Deo serviens, dum in deserto pasceret oves: nec propterea vocari jure potuit in quæstionem Conversionis ipsius sinceritas. Verum postea aliter exercitatus est; sensit enim sæpius vim Legis, terroribus nonnunquam agitatus est, flevit sæpissime & ejulavit. Eadem etiam videtur *Jobi* fuisse in adolescentia sua conditio, sicut ea nobis describitur, *Job*.29. Postea vero in probatione fidei ipsius, quantum conflictum cum omnis generis tentationibus sustinuerit, testatur historia. Non est ergo quod quisquam, qui supradicta indicia habet veri Israelitæ, suspicetur Conversionis suæ sinceritatem, quia leniter à Deo tractatus est initio: fieri enim potest ut incidat in probationes fidei igneas, & tentationes adeo graves, ut, propter acerbitatem afflictionum, oriantur cogitationes & dubitationes an sit conversus: in quo etiam Casu, non minus falli potest, quam in Casu priori. Nam aliqui, & in Conversione, & in toto vitæ suæ curriculo conflictari possunt cum metu & terroribus Legis sæpissime simul & acerbissime vexari; & tamen fidem in Christum fixissimam retinere in omnibus etiam durissimis afflictionibus. Pro exemplo nobis esto pretiosum caput *Heman* ille Ezraita, qui sapientia prope ad *Solomonem* accessit, 1.*Reg*.4.31. Quomodo autem chara hæc anima à Deo exercitata fuerit, testatur Psalmus 88. totus, nominatim vero v. 13,14,15. *Attamen ego* (inquit) *ad te clamavi, Domine, & mane oratio mea te prævenit: quare, Domine, elongas à te animam meam? abscondis faciem tuam à me? afflictus ego & moribundus ab adolescentia mea, dum per terrores tuos animi pendeo*, &c. Idcirco non est quod quisquam, qui indicia habet vere Israelitæ, dubitet de Conversionis suæ sinceritate, etiamsi duriter à Deo tractari videatur, sive in Conversione, sive in reliqua vita: nam beatus est quisquis Christo agglutinatur, nempe, is qui nec divelli se patitur à Christo, nec pati potest ut peccatum in seipso quiete degat.

3. Quod ad eos attinet, qui propter temporalem aliquam causam, ad Christum accesserunt, nempe, vel ut à malo aliquo corporali liberarentur, vel, ut bonum aliquod temporale nancisceerentur; & propterea dubitant de sinceritate sua. Illis respondemus, modo postea rectius Christum didicerint, non multum disputandum esse de occasionibus, quibus ad notitiam Christi primum adducti sunt: legimus enim in Evangelio, aliquos, corporalis lepræ, vel cœcitatis tollendæ, vel alicujus alius morbi sanandi gratia, ad Christum venisse,

venisse, qui postea per fidem adierunt eum ut spiritualium morborum medicamen & peccatorum omnium unicum purgatorem; & per fidem veram Christum amplexi sunt ad salutem æternam. Idcirco in hujusmodi dubitationibus hortandus est æger, ne Conversionem suam in quæstionem vocet; Sed potius, ut fidei, resipiscentiæ, & sanctitati in virtute Christi exercendæ & promovendæ studeat, operamque assiduam det, ut ita firmam Electionis suæ persuasionem sibi faciat: Nam si hæc ipsi adsint & abundent, probant eum non otiosum nec infructuosum esse in cognitione Domini nostri Iesu Christi, 2, *Pet*.1.8.

CAPUT XI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo propter afflictiones graviores & tentationes acerbiores.

NOnnunquam Regeniti quidam incidunt in graves suspiciones de Statu suo, de Regeneratione sua, & de Dei dilectione erga se: idque propter acerbitatem externarum afflictionum & atrocitatem tentationum internarum, quibus nonnunquam premuntur, non tantum præter expectationem suam, sed etiam (uti putant) supra vires suas. Quando enim jam post varios casus & conflictus, pacem aliquam & tranquillitatem assequuti sibiipsis videbantur; quando, post varias tempestates, tandem quasi in portu quiescebant, novis fluctibus & adversis ventis sentiunt se denuo referri, nec se posse amplius portum occupare: & ideo *Statum suum* in quæstionem vocant. Ex his alii, qui paulo ante florebant opibus & laute vivebant, incidunt in paupertatem altissimam, ut nec suos, nec se amplius alere possint, sed cogantur vel ex aliorum charitate vivere, vel aperte mendicare. Alii incidunt in morbos graves & acerbos: imo & in morbos insolentes, qui iræ Dei indicia videntur. Alii incidunt in horribiles tentationes, adversus Deum, Scripturas, & pietatem Sanctorum, quæ ut spicula ipsis inhærent, eosque infestant quotidie, à quibus se nullo pacto possunt liberare. Alii ad scelera perpetranda & flagitia, quæ ipsi abominantur imo ad αὐτοκτονίαν, (à qua ipsa natura abhorret) adeo potenter instigantur, ut suspicentur decretum esse à Deo, ipsos tandem, tentationis viribus victos, sceleribus illis succubituros. Alii aliis atque aliis malis vexantur, & in afflictionibus suis se peti ab irato Deo, vel saltem negligi sibi videntur, & mul-

to aliter exerceri quam quisquam ex ejus filiis ante se exercitatus fuerit. Hinc illæ lamentationes & querelæ, *Si Deus me diligeret, non ita me tractaret; si essem Regenitus, aliter mecum ageretur, non est hic Casus filiorum Dei*, & quæ sunt hujus generis querelæ aliæ.

2 Cui dubitationi ut respondeamus, Nec æstimamus hæc exercitia, propria esse Regenitis, seu, indicium esse Regenerationis; nec negamus ea Regenitis accidere nonnunquam posse: afflictiones enim & mala omnia pœnæ (quæ vocantur) communia sunt bonis & malis, ita ut ex his, nec amor Dei, nec odium certo concludi possit: Sed hoc potest dici cum ratione, Si mala ista acciderint ambulanti in peccatis, certa sunt indicia iræ Dei adversus ipsum propter peccata; & instar comminationum, de malis majoribus & pluribus sequuturis, & de perditione certa imminente, nisi resipiscat afflictus. In quo Casu consilium damus ægro, ut humilietur coram Deo, & mala quævis in meliorem partem interpretetur, quasi cœlitus à Deo immissa ut excitetur dormiens ad excutiendum Conscientiam suam, ut fugiat ab ira ventura, ne pereat: consulimus etiam, ut agnoscat opus fuisse tam amarâ potione in tam lethali morbo: quid enim faciat Deus iis, qui animas suas despiciunt, & bonis terrenis tantum inhiant, delectantes in iis tanquam in summo bono? quid faciat iis (inquam) quos non vult perire cum mundo, nisi ut confringat, comminuat, & auferat ab ipsis idolum illud quod illi tam perdite deperibant? Hortandus igitur est æger deprehensus in peccatis ambulans, cum hæc mala ei superveniunt: 1. Ut humiliet se statim coram Deo, agnoscat errorem suum, & per Christum deprecetur iram Dei, ut ita in gratiam redeat cum Deo. Deinde, ut legat peccatum suum in plaga sua, ut postea caveat sibi à fovea in quam inciderat. e. g. Si ablata ab eo fuerint bona temporalia, quibus ipse in perniciem suam abutebatur, gloriam justitiæ det Deo, & studeat non amplius terrena solicite curare; sed superna quærere, quæ sunt in cœlo ubi Christus sedet ad dextram Dei, *Col.* 1. 2. Si vero tentationibus urgeatur ad perpetrandum scelera & flagitia quæ ipse abominatur, examinet seipsum, an non vivendo secundum cupiditates suas, & peccatis suis indulgendo, reipsa idem fecerit & faciebat adversus Deum & animam suam, quod videtur jam in crassioribus tentationibus detestari & abominari: Nonne enim in corde suo blasphemias loquitur, adversus Deum & Scripturas, quisquis peccato servit? Nonne animam suam & corpus etiam perdit, & conjicit in ignem gehennæ, qui peccata peccatis accumulando quotidiè se sponte polluit? Quapropter discat æger, ex tentationibus quibus vexatur, resipiscere & peccata odio habere, in quibus secure volutabat & delectabatur: quandoquidem idem effectum quod tentationes interminan-

tur (nisi resipiscat) certissime sequuturum sit tandem, etiamsi à tentationibus illis molestis liberaretur.

3. Quod si autem his malis exerceatur aliquis qui ambulat in viis Dei, qui credit in Christum, qui anchoram suam intra velum jecit ; & in aliqua sinceritatis mensura Deo in omnibus placere studet, Ne metuat: non enim eum persequitur iratus Deus ; Sed probat fidem ipsius amantissimus Pater, & gloriam gratiæ suæ in ipso ostentat sanctissimus Dominus, vel mundo, vel sibiipsi saltem, & Diabolo. Consoletur igitur se æger in Domino, & roboret fidem suam in hoc Casu, ex sacra Scriptura, quæ ad consolationem & spem fidelium tota est à Deo composita: Nam etiam *Jobus*, licet hominum sanctissimus, subito in calamitates summas conjectus est: simul enim opibus omnibus spoliatus est, liberis orbatus, uxori suæ & famulis suis despectus redditus est; ab amicis, hypocrita judicatus est; á Satana, plaga insolentissima in corpore percussus est; interimque ab accessu ad Deum, & à consolationibus Spiritus ejus, ad tempus est exclusus. Imo vero ipse Dominus noster Iesus Christus, sanctificavit in corpore suo durissima filiorum suorum exercitia : nam, per tentationes varias, solicitatus est à Diabolo ad varia peccata, eaque maximè abominanda, nempe, ut præcipitem se daret à culmine Templi, hoc est, ut seipsum necaret ; & ut procidens, adoraret Diabolum, quod cogitatu, heu, quam horrendum est ! His adde, quod ad tempus Diabolo data fuerit potestas, licet non ad lædendum , tamen ad transferendum, de loco in locum, sacrosanctum Christi corpus, ut habetur, *Matth*.4. Et hæc esto consolatio eorum qui tentationibus vexantur, *Dominus noster ex eo quod perpessus fuit cum tentatus est , potest & iis qui tentantur succurrere, Heb*.2.18.

4. Si instet adhuc is, qui blasphemis suggestionibus vexatur, aut ad aperta scelera patranda vehementer à Diabolo solicitatur; & tantum non superatur, quia violenter impellitur, ut sibi videtur: Si (inquam) instet & dicat se non posse diutius ferre Adversarii impetum : quia nec in se habet vires ad resistendum, nec spes apparet auxilii à Deo, qui ægrum videtur non tantum deseruisse, sed etiam Spiritui impuro vexandum & contaminandum tradidisse. Huic respondendum. 1. Exercitium hoc à dilectissimis Dei servis non esse alienum : Nam etiam *Paulo* Apostolo, 2.*Cor*.12.7. datus est surculus infixus carni, & Angelus Satanæ, ut eum colaphis cæderet : Tentatio enim emissa à Diabolo adeo violenter ad peccandum solicitabat ipsum, ut coactus sit opem divinam ardenter implorare, ne tentationi succumberet. 2. In hoc exercitio, distinguendum est peccatum tentatoris, à peccato ægri : tela enim ignita Diaboli, & suggestiones blasphemæ, peccata sunt Diaboli,

& non peccatum, sed *molestia* seu afflictio ægri. Verum quidem est, quod tentationes ad peccandum secum trahant aut inducant pollutionem in nobis aliquo modo: quia etiamsi princeps hujus mundi Diabolus, quando venit ad Christum, nihil habuit in illo; Attamen quando venit ad tentandum nos, aliquid sibi amicum reperit in nobis, nempe, corruptam naturam & inclinationem ad consentiendum tentatori solicitanti nos ad peccatum. Sed oportet interim distinguere virulenta tela Diaboli, & horribiles tentationes ægri ad peccandum, ab aliqua pollutione qua aspergitur æger in exercitio suo: nam si ista confundantur, opprimetur & absorbebitur æger in sensu peccati, quod non est suum, sed Diaboli. 3. Distinguere oportet peccatum, à molestia: molestiæ enim, seu vexationis, quam sentit æger, Autor est Deus, exercens fidem, spem, dilectionem, & patientiam ægri: Peccati vero (ad quod solicitatur æger) autor est Diabolus, qui & ipse peccat, & ægrum solicitat ad peccandum. 4. Distinguenda sunt peccata illa atrocia, ad quæ tentatur & apertè solicitatur æger, à peccatis illis, ad quæ subdolè tentator inducit ægrum. Periculum enim magis metuendum est ab his, quam ab illis: nam à blasphemiis & sceleribus metuit sibi æger, eaque abominatur, deflet & rejicit; Tentationes vero subsequentes, ad impatientiam, ad dubitandum de Regeneratione & Electione sui, ad suspicandum an Deus ipsum diligat, & an Deus liberaturus sit eum à tentatore, aliqua ex parte, admittit, Sic etiam tentationes ad dissolutionem manuum in operibus Dei, & incurvationem genuum, & claudicationem in via Dei, & similia, æger magna ex parte fovet: Atque ita, in retia quæ tetendit Diabolus ei in atrocibus suggestionibus illis, incidit incautus. 5. Distinguenda est molestia ægri in exercitio prædicto, ab ejus officio ad quod vocatur, dum sub illo exercitio detinetur: Nihil enim attendit æger, nihil curat, nihilque petit à Deo, nisi ut liberetur ab ignitis illis telis, quæ animam ejus totam inflammârunt: Non vero considerat, quod Deus ipsum vocet ad agnitionem altiorem peccati originalis, ut seipsum abominetur, & humiliet magis coram Deo, & ut in majori pretio habeat Christi justitiam, fugientibus ad ipsum imputatam, ut fidem suam in Mediatorem & in misericordem Deum magis exerat & ostendat; ut in patientia, spe, & operibus bonis sub spe & contra spem exerceat se, & possideat animam suam: à quibus officiis deterrere vel seducere ægrum satagit Satan maximè.

5. Denique hortandus est æger. 1. Ne confundat distinguenda, sed suum cuique ordine debito tribuat; Satanæ malitiam observet, suam infirmitatem agnoscat, Deo exercenti se submittat, molestiam patienter ferat; resipiscentiam, fidem, spem, & dilectionem exerceat; & in operibus vocationis suæ,

quantum patitur animi corporisque infirmitas, sedulus sit, ne otianti negotium magis facessat Diabolus. 2. Hortandus est æger, ut valetudinem corporis in timore Dei curet diligenter, ne se vigiliis, inediâ, tristitiâ mundanâ, (quæ tantum ad mortem tendit) conficiat: Sed in victu, amictu, & medicinæ usu, in colloquiis sanctis & licitis recreationibus modum tenens, seipsum ut Dei servum ad Deo serviendum in vocatione sua alat & foveat. Non enim sumus juris nostri: quia empti sumus pretio *: glorificandus igitur Deus in corpore nostro, & in spiritu nostro, quæ sunt Dei*, 1. *Cor*. 6. 19, 20. Nam, *sive edimus, sive bibimus, sive quid aliud* licitum *faciamus, in nomine Dei* ipsum glorificamus, 1. *Cor*. 10. 31.

CAPUT XII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conversione sua propter vim peccati invalescentis post fœdus Reconciliationis in Spiritu pactum.

Regeniti aliqui tyrones in militia Christiana, tantum non despondent animum, & in disputatione de sua Regeneratione ferè manus dant & succumbunt, quando vim corruptæ naturæ sentiunt in seipsis potentius se exerentem ab eo tempore quo existimantes se esse Regenitos, mortificationi peccatorum suorum operam dederunt; Et certe non est hæc contemnenda tentatio: qui enim cupiditatibus suis & peccatis omnibus jam renunciârunt, vitamque suam reliquam Deo consecrârunt: quando perspiciunt postea, non tantum frustrari propositum suum, sed etiam in se convalescere peccatum & roborari, & regnum in ipsis denuo affectare, & tantum non thronum suum recuperare, Non mirum si sibi metuant. Non enim frustra præmonuit *Petrus* (Epist. 2. Cap, 2. v. 20, *&c.*) esse aliquos *qui postquam aufugerunt ab inquinamentis mundi per agnitionem Domini & Servatoris nostri Iesu Christi: his tamen rursum implicati superantur, quibus postrema sunt pejora primis: & quibus satius fuisset non agnovisse viam justitiæ, quam ubi agnoverunt, converti à præcepto sancto quod illis traditum fuit: quibus accidit id quod vero proverbio dici solet, Canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni.*

2. Minus est periculi in hoc Casu, quandiu pectore inclusum manet intus peccatum; quandiu metuit sibi æger, quandiu non est securus, & non contemnit

temnit tentationem, sed dolet vicem suam. Periculosa magis est hæc conditio, quando, post professionem resipiscentiæ, vires suas recolligit peccatum, & eousque prævalet, ut totum hominem occupet, victoriamque suam ostentet in pollutione externi hominis. Maximè vero periculosa est, quando peccator victus jacet securus, sibique placet in pollutionibus suis: victus enim quisquis est, videtur numerari à Spiritu Sancto inter canes & sues, i.e. inter irregenitos, qui nondum verè ad Deum conversi sunt. Quod si vero is, qui relapsus est in pristina peccata ad tempus, tandem sibi displicet, & apud se dolet & lamentatur; sententiam nullam ferimus de ipsius *Regeneratione*. Nec affirmamus nec negamus eum Regenitum esse: quia forte Regenitus est, forte non. Tantum præscribimus ut serio humilietur coram Deo, serio resipiscat, & firmet se in fide, & in obedientia Evangelii pergat; confirmetque etiam fratres suos, id quod *Petro* dixit Christus, *Et tu conversus, confirma fratres.*

3. Verum si naturæ corruptio, seu peccatum inhabitans, totum hominem in externis actionibus non polluit; sed tantum intus se erigit, intus ægrum solicitat, intus luctatur & contendit, ut pristinum suum servum violenter subjuget & in servitutem retrahat: æger autem etiamsi non cedat tentationi, nec ut victus succumbat, Concutitur tamen, & vacillat in fide, dubitans de *Statu suo* & de conversionis suæ sinceritate: quia vim peccati majorem experitur in se, quam antea observaverat. Non negamus quin hic Casus frequenter accidat iis, qui non ita pridem conversi sunt, à vita civiliter polita, ad seriam resipiscendi rationem & vitam spiritualem seu vere Christianam. Qui Casus, quia varias habere potest causas, variam etiam requirit curandi rationem.

4. Primo igitur hic Casus accidere potest ex eo, quod recens conversus, non satis expertus peccati vires & suam imbecillitatem, altiores gerebat animos, quam par esset; & propter propositi sui sinceritatem (uti existimabat) confidebat se facile profligaturum fuisse hostem, quoties se opponeret sanctis suis studiis: Idcirco, ut humiliaretur, & disceret scire, *nec esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei,* quod quisquam peccati victor evadat, permittit Deus ut peccatum vim suam exerat & ostentet in ipso: partim, ut ille, novo documento, vires suas experiretur nullas esse; atque ita superbia ipsius frangeretur: partim, ut ille jam domitus, subactusque disceret non amplius sibi fidere; sed Deo soli, Christoq; soli fidere, qui solus per Spiritum suum, ad se conversos, potentes reddit ad mortificandum peccatum, prout insinuat Apostolus, *Rom.* 8. 13. *Si mortificaveritis peccatum per Spiritum, &c.* In hoc Casu. 1. Hortandus est æger, ut caveat sibi ab ira,

 mur-

murmuratione, & fremitu adversus Dei dispensationem; nec indulgeat suspicionibus injectis de Dei erga ipsum voluntate. 2. Admonendus est, ut, perspecta & comperta imbecillitate sua in conflictu cum peccato, & inani sua fiducia in carne, demittat jam cristas, renovet resipiscentiæ actus; & discat, in Christi solius auxilio, manus cum hoste postea conserere, & in usu mediorum omnium ad peccatum mortificandum exercere fidem in Christum, qui, militantes sub vexillo suo, & humiliter ipsum respicientes, non deserit: Sed vel victoriam iis cito concedit, vel ipsos sufficienti sua gratia sustinet ne succumbant, ut videmus in exemplo *Pauli* jam veterani militis, qui, ut coerceretur ipsius superbia, committitur cum vehementi tentatione ad peccandum, seu cum Angelo aliquo Diaboli, tentationem illam urgente & promovente, 1 *Cor*. 12. 7. Neque ei datur victoria, priusquam in desperatione de viribus suis confugit ad Christum, humiliter orans ut liberaretur: & tum tandem responsum tulit de sufficienti gratia Dei ipsum sustentatura, purgatura & liberatura.

5. Secundo, hic Casus accidere etiam potest, ex malitia Diaboli operam dantis, partim, ut molestiam creando recens elapso ex suo dominio, ipsum fatiget, si forte pænitere possit eum, quod ex Ægypto exierit: partim, ut ducendo novum exercitum tentationum adversus eum, ad desperationem moveat de victoria obtinenda; atque ita si fieri possit ad jugum reducat. Et hîc observanda venit permissio Dei, qui sinit periculum hac ratione fieri de recens conversi viribus, ut, in ejus infirmitate, manifestam faciat suam potentiam, sustinendo Tyronem suum adversus impressionem quam facere potest Diabolus vehementissimam; & corruptionem naturæ in apertum jam productam, potenter tollendo. In hoc Casu admonendus est æger, quod de probatione fidei ipsius jam agatur; & hortandus est, ut fortiter se gerat, nec metuat sibi à tentationum viribus, sed paret se potius ad insultus acriores sub certa spe victoriæ: quia, præter internas tentationes, solet Diabolus etiam persecutionem externam excitare adversus recens conversos, si forte, spoliati opibus, in exilium missi, vel conjecti in carcerem, redeant ad pristinum dominum; & tamen non potitur voto, sed victus, cogitur recedere. Sic accepti sunt fideles *Heb*. 10. 32. & per fidem victores evaserunt: eosq; hortabatur Apostolus, ut ad majora se pararent, *Heb*. 10. 36. & 12. 4.

6. Tertio, Casus hic accidere potest, non tam ex eo quod vis peccati major facta sit, quam ex eo, quod lux ad discernendum peccatum, vel sensus peccati in ægro augeatur. Ille enim qui ante Conversionem mortuus jacebat in peccatis, vim peccati non omnino sentiebat: jam conversus, aggreditur quidem peccata crassiora, eaque debellat & jam putat se triumphaturum:

ubi

ubi vero lux seu cognitio Legis divinæ augetur; ubi apperiuntur speluncæ & antra spiritualium peccatorum è quibus erumpunt agmina & legiones pravitatum, & in his, peccatorum aliquot monstra nunquam prius observata ab ægro prodeunt, quid mirum si tyro exanimetur metu? Nam si etiam ipse *Paulus*, ex sensu peccati inhærentis, & vinculorum quibus se irretitum observabat, cum lachrymis clamare coactus est, *Me miserum, quis me liberabit ex corpore mortis hujus*? *Rom.* 7. Quid mirum, si novitius aliquis, ex aspectu & olfactu sterquilinii & stabuli, omni spurcitie & nequitia repleti, in corde suo comperti, cohorrescat? In hoc Casu, ægro offerenda est omnis consolatio in Christo; spes in eo fovenda de victoria obtinenda; demonstranda est ei sapientia Dei, qui peccatum latens in corde extraxit in lucem, ut servum suum committeret cum eo in prælio, & victorem redderet per Spiritum Sanctum; & ut magis odiosum redderet non tantum illud peccatum quod molestiam exhibuit, sed etiam omne peccatum aliud: atque ita mortificationem, & abolitionem omnis peccati in ipso promoveret.

7. Quarta causa esse potest, quod justitiam Christi imputatam æger non æstimet sicut oporteret, sed cum neglectu justitiæ imputatæ, quærat in seipso sanctificationem, ea ratione & mensura quam ipse præscribit, promovere: naturale enim est, ut perfectionem in nobis quæramus ad gloriam nostram, & non sequamur rationem à Deo præscriptam ad perficiendum nos, ad gloriam Dei. Ordo autem Dei est, ut, primo loco, justificemur per fidem absq; operibus Legis, hoc est, ut confitentes peccata nostra, & renunciantes operibus nostris, dignitati nostræ, & viribus nostris, confugiamus ad justitiam nobis per obedientiam Christi acquisitam. Deinde, proximo loco, ut induti & amicti hac imputata justitia, accedamus ad thronum gratiæ, ut per fidem in Christum accipiamus Spiritus Sancti virtutem in ampliori mensura, ad nos magis magisque sanctificandum. Et tertio loco, ut, proficientes in sanctificatione, hoc incrementum quicquid fuerit acceptum referamus Christo nos justificanti, & ut non proficientes in sanctificatione prout vellemus, Christum justificantem arctius apprehendamus, ut nos etiam sanctificet: quandoquidem Christus nobis factus est non tantum *justitia*, sed etiam *justificatio*. Hunc ordinem Dei quando aliquis violat, quæritque justificationem à Christo, sed sanctificationem quasi à seipso; & quando perspicit eam minime secundum votum suum succedere, non retrospicit ad justitiam Christi, sed paratus est justificationem suam in quæstionem vocare, imo vero tantum non ei renunciare,; Quid mirum, si Deus, indignabundus quod Christi justitia non habeatur in debita æstimatione, nolit sanctificationis ampliorem mensuram concedere, potissimum quærenti eam cum dispendio, & præjudicio

judicio divinæ illius justitiæ quæ est per fidem? Quid mirum (inquam) si sinat Deus peccatum ægri magis vires suas quam prius exerere in eo, ut doceat servum suum, ignarum officii sui & ordinis divini, constantius adhærere justitiæ Christi, ad quam in Conversione fugere coactus est; & ut simul etiam admoneat sanctificationem non trahendam esse ex alio fonte quam ex ipso Christo, qui per fidem applicat nobis *justitiam imputatam*, & per fidem etiam applicat & operatur in nobis *sanctificationem*, in fœdere Redemptionis nobis impetratam? Quapropter in hoc Casu. 1. Hortandus est æger, ut, quando post justificationem observat peccati vires majores jam esse quam prius expertus erat, vel, quam fuisse putabat, statim se humiliet coram Deo, agnoscat suam impuritatem, & impotentiam ad resistendum peccato, laudet Deum & benedicat ei qui ex gratia præparavit & gratis concessit ipsi justitiam imputatam, qua indutus, consisteret coram ejus Tribunali. 2. Hortandus est, ut, arcte amplectens hanc justitiam imputatam, oret Deum, ut ex eodem fonte gloriosæ suæ gratiæ velit etiam sanctificationem donare, naturamque corruptam magis magisque renovare & sanctificare. 3. Utatur æger mediis ad mortificationem peccati, & vitæ renovationem in virtute Christi; in mediorum usu Christum respiciens per fidem, ut ab eo sugat succum & spiritum ad bonos fructus ferendum.

CAPUT XIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conversione sua quoties Irregenitorum perfectiones observat.

ALiquando Regeniti videntes quousque speciosi hypocritæ in via justitiæ progredi, quot virtutibus imbui, & quot donis ornari poterint: & cum perspiciunt, quam similes prudentibus virginibus esse poterint fatuæ: & quid possit fides temporaria, potissimum cum ornatur donis spiritualibus: cum circumspicientes, cernunt plurimos eximios Christianæ Religionis professores Apostatas factos: cum considerant, quot modis multi se decipiant, & decipere possint; pluresque esse fallacias quam quæ facile enumerari possint, (de quibus nonnihil dictum est supra in calce superioris Libri) Hærent & verentur ne se etiam ipsi decipiant, potissimum cum vident nihil esse in se, quod non possit esse adulterinum, ut ipsi de se judicant.

Hic Casus certe plurimis accidit: Nec negandum est multos esse, qui sibi ipsis imponunt, animasque suas fallaciis suis decipiunt, & jugulant. Quæ

res

res debet quidem omnes excitare, ad cautionem & circumſpectionem, ne decipiantur, ad examinandum ſeipſos an ſint in fide, ne fallantur & pereant: Sed quia tenera fides facile læditur, metus hic omnis debet converti in ſanctum ſtudium, ut æger ſincerus comperiatur, & in diligenti uſu medicorum vigilet cum circumſpectione, ne ipſi imponat hoſtis, ſive à dextris, ſive à ſiniſtris ipſum aggrediens. In hunc finem, ſanum hoc conſilium ægro offerimus. 1. Diſcat æger diſtinguere inter dona communia quantumvis ſpecioſa & gratias ſalvificas, ſeu, bona quæ commitantur ſalutem: eruditio enim & prudentia in rebus gerendis, & eloquentia, & myſteriorum cognitio, & revelatio futurorum, & donum miraculorum, & munus prædicandi Evangelii concedi poſſunt à Deo Irregenitis, in uſum & ædificationem Eccleſiæ. Hæc diſtinctio inſerviat ægro, ut habeat in æſtimatione quidem dona illa communia, quibus Eccleſia Dei ullo modo ædificari poterit: non tamen judicet ea Regenerationis indicia eſſe; ſed pluris faciat humilitatem, reſipiſcentiam, fidem in Chriſtum, dilectionem Dei & ſanctorum, & ſtudium novæ vitæ in virtute Chriſti degendæ, quam dona illa communia omnia. 2. Diſcat æger commendare quidem, in aliorum ædificationem, vitam civiliter inſtitutam, profeſſionem veræ Religionis, opera bona, & quæcunque in ſe honeſta ſunt: ſed ne admiretur illa, quæ apud homines magni æſtimantur. Deus enim non reſpicit faciem, neque externum hominem: Sed ſcrutatur corda, & probe novit quo ſpiritu unuſquiſque ducatur: fatuas virgines à ſapientibus optimè novit ille diſtinguere; nec pluris facit externæ Religionis & juſtitiæ ſpeciem, quam cucurbitem, quæ ſuperbia & carnali confidentia tanquam vermibus facile corrodi, & ſubito intercidi ſolet. 3. Diſtinguat æger charitatis judicium, procedens ex probabilibus, de *aliorum* conditione ac Statu, à judicio veritatis procedente ſecundum certam cognitionem *de Statu ſuo*, conditione *ſua*, & actionibus *ſuis*: ſcrutatur enim Spiritus qui eſt in homine ea quæ ſunt in ipſo, non vero penetrat ullus homo in ea quæ ſunt in alio. Idcirco ut in lucta victor evadat. 1. Quod ſecretum eſt, quod ad alios pertinet; quod Deo proprium eſt, relinquat Deo: quod autem ad ſeipſum attinet, ſerio ſtudeat peccati naturam, & vires, & fœditatem in ſe ipſo, magis magiſque diſcernere; originale peccatum, & ipſius effectus, fructuſque malos, in corde, mente, totoque homine, quotidie ſe prodentes, diligenter obſervare, & hoc nomine coram Deo, quotidie humiliari. 2. In ſenſu imperfectionis ſuæ agnoſcat neceſſitatem juſtitiæ imputatæ, & ſitiat juſtitiam illam fidei, quæ per Chriſtum datur confugientibus ad ipſum: & in eum finem quanto magis ſuas obſervat imperfectiones, tanto arctius amplectatur Chriſtum; tanto alacrius ſe totum ei conſecret, opem ejus in omnibus imploret

ploret & ab eo expectet subsidium, datumq; auxilium agnoscat: denique serio contendat in Christi nomine adversus omne peccatum in se, & studeat ut proficiat indies in nova obedientia, virtutes Christianas virtutibus adjungendo, secundum consilium *Petri.* Epist. 2. cap. 1. v. 5. Quod consilium Apostoli si sincere prosequutus fuerit, magis magisque confirmabitur de Electione sua, & de perseverantia ad salutem: nec commovebitur, etiamsi montes projiciantur in mare.

CAP. XIV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conversione sua, quia pii aliqui suspicantur eos esse hypocritas.

QUidam Regeniti suspicantur se nondum esse conversos: quia ex fidelibus aliqui, (quorum judicium alioqui non est contemnendum) non tantum suspicantur ipsos hypocritas esse; Sed etiam suspicionem suam de ipsis, verbo, & signis aliquibus ostenderunt. Et certe hæc tentatio non leviter affligit infirmos, qui ex se satis sunt proni ad vocandum in quæstionem an sint Regeniti: & quando perspiciunt non tantum suggestionibus Satanæ foveri illam suspicionem, Sed etiam testimonio sanctorum (licet perperam judicantium) quasi confirmari, quid mirum si perturbantur. Hac enim tentatione Satan aggredi solet robustissimos, eisque non leve negotium facessere, uti videmus in exemplo *Jobi*, cujus fides pulsata est hoc ariete, quando amici ejus condemnarunt eum tanquam hypocritam impium & injustum: Similiter in exemplo Prophetæ, *Psal.* 38. 11. à cujus plaga etiam amici intimi aufugerunt.

In hoc Casu, æger tanto accuratius seipsum examinare debet, quanto sibi graviorem esse sentit Sanctorum suspicionem de seipso: in quo examine, si resipiscentiæ, & fidei in Christum, & novæ obedientiæ studium in se comperiat, licet cum infirmitate multa conjunctum, Ne abjiciat fiduciam suam, sed confirmet opus Dei, quod reliquum in se esse percipit: Simul etiam observet, an hæc tentatio sit ferula Dei castigantis ipsum, talionem rependentis & mensurantis ipsi, sicut ipse mensuraverat aliis, quos suis suspicionibus injustis forsan non leviter læsit: quicquid autem compererit, ne contemnat hoc exercitium; sed humilietur in conspectu Dei, reliquias hypocriseos nativæ in se agnoscat & fugiat ad Christum, (in cujus ore non fuit dolus) ut ejus justitia totus tegatur; & studeat magis magisque sinceritati promoven-

dæ, ut Deo & prudentibus rerum æstimatoribus se probet; nec alienet se ab iis, quorum suspicione ipsius & fides & fama sauciatæ sunt: sed in humilitate & charitate erga ipsos, & constanti studio pietatis erga Deum, & justitiæ erga hominem, det operam ut se omnium Conscientiis commendet. Cæterum ne moretur hominum de se judicium temerarium. Hac enim ratione, *Jobus* in conflictu cum hac tentatione victor evasit: facile enim decipiuntur homines, cum de aliorum Statu judicium instituunt. Et deceptionis, seu, judicii temerarii causæ variæ esse possunt. e. g. 1. Ignorantia cordis alieni facit, ut qui de alieno corde judicat, nesciat quod scire se putat: judicium quidem de externis actionibus aliorum, & ex iis, conjecturas aliquas facere de interna ipsorum conditione, (prout de ea testantur actiones) permisit Deus hominibus, qui vident tantum faciem eorum quos judicant: Sed judicium certum de Statu aliorum, & cordis uniuscujusque scrutinium sibi ipsi reservavit Deus, ut, quod in eo latet, quibus, quando, & quousque sibi visum fuerit, revelet. 2. Ad aliorum mores, vitæ rationem, ingenium & studium cognoscendum, requiritur diuturnior convictus, longior conversatio, comparatio actionum, & consideratio prudens indiciorum omnium quæ offeruntur ad judicandum de aliis. Et nisi hîc adhibeatur circumspectio, temere judicabit, qui sententiam de alieno Statu pronunciabit. 3. Temere judicantes de aliis non noverunt cor suum, vel quo spiritu ducantur in judicio: multi enim de suo Statu & conditione nimium præsumunt; multi, censores sunt Status sui nimis severi & rigidi: unde fit ut & hi & illi, iniqui sint æstimatores aliorum, & propensi ad judicandum de aliis secundum regulam quam sibi ipsis posuerunt. 4. Studium partium sæpe, si non semper, pervertit rectum de aliis judicium: si aliqua sit in moribus dissimilitudo, aut, in opinionibus aliquibus discrepantia vel contentio de re qualibet, impedit affectus animum ne quod verum est cernere vel decernere possit. Convertat igitur se æger ad Deum, qui renes scrutatur & coram eo se prosternat; renovet actus resipiscentiæ & fidei in Christum, & sententiam quam Deus in Scriptura de confugientibus ad se, ut Remissionem peccatorum per Christum & vitæ emendationem obtineant, pronunciavit, sibi applicet; & in Dei testimonio quiescat. Sic enim faciebat *Psaltes*, *Psal.* 17. quando cum amicis res ei erat: & sic etiam quando ægro res est cum amicis, perperam de ipso judicantibus, faciendum est.

CAP. XV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo quoties desideratur sensus Reconcilationis.

EX Regenitis aliqui, dum exercent fidem, spem, & charitatem, apertaque dant documenta inhabitantis in se Spiritus Sancti, in exercitio gratiarum illarum omnium quæ comitantur salutem, vocantur sæpe in quæstionem an ulla gratia salvifica præditi sint; & graviter suspicantur, nullam in se esse solidam fidem, nullam vivam spem, nullam Christianam charitatem, nullam peccati mortificationem, & nullam cordis puritatem: in quo Casu, confugiunt quidem subinde ad Christum, & suam inanitatem & fœditatem confitentes, in ipsius sinum se conjiciunt: Et hac ratione sæpenumero ex renovato sensu divinæ erga se dilectionis, pacem recuperant, consolationem capiunt, & tandiu lætantur, quandiu suavissimus hic sensus manet. Ubi autem refrixit hic calor, & consolationis sensus, vel subito aufertur, vel pedetentim languescit & extingui videtur, statim recurrit dubitatio de ipsorum Statu; quam solvere non possunt, nec sedare Conscientiæ tumultationem ulla alia ratione norunt, quam denuo confugiendo ad Christum, & instanter orando ut renovetur & restituatur sensus Reconciliationis & pacis apud Deum: in quo quidem rectè faciunt, quatenus ad Christum confugiunt, ut in eo malorum remedium quærant. Sed hic apparet infirmitas ægri, si Deus aliquantisper differat repetere consolationis sensum, & arrhabonem spiritus renovare; si diutius insistentem in precibus de die in diem audire renuat, vel renuere videatur, (licet id faciât Deus, aliquando distinato consilio, ut & suæ gloriæ & ægri profectui consulat) non tantum quatitur ægri persuasio triumphans; sed etiam graves suspiciones de Reconciliatione & Regeneratione sua se ingerunt, admittuntur & foventur, coacervatis omnibus argumentis, quibus probare poterit æger eas gratias non esse illas genuinas, quas putabat gratias salvificas. Hinc illæ querelæ, *Nescio quid sit fides; Vereor ne vera fides in me sit ulla; Vereor ne persuasio quam mihi videbar habere, vana fuerit; Vereor ne unquam sensus Reconciliationis, quem mihi videbar habere, restituatur; Metuo ne mea resipiscentia comperiatur sicut ros matutinus qui cito exsiccatur; Nescio quid de Statu meo statuam:* Et ut breviter dicamus quod res est, in hac tentatione, ab ægro nostro non probatur, non asseritur fides, vel gratia salvifica in se esse ulla, diutius quam Sol consolationis divinæ, & sensus suavissimæ apud Deum pacis in anima ipsius splendet: & licet exercitium ipsius non sit adeo durum, quam fuit Prophetæ, *Psal.* 77. eadem tamen

est ipsius querimonia, quæ habetur vers. 8. & 9. *Nunquid desiit in æternum misericordia ejus? nunquid defecit promissio ejus in æternum? nunquid oblitus est Deus misereri? num clausit in ira misericordias suas?*

Duplex in hoc Casu morbus apparet: prior hic est, æger studet & affectat ex sensu vivere, potius quam ex fide; & fidem exercet potissimum eo fine, ut sensus consolationis in se vigeat vel restauretur: sensum vero Reconciliationis nuper repetitum, non trahit in confirmationem fidei suæ, ubi sensus hic deficit. Alter morbus est, quod gratiarum salvificarum naturam & nitorem non perspicit, nisi in splendore approbationis divinæ sensibilis: nec tenet rectas gratiarum salvificarum definitiones vel descriptiones: ægro enim nostro, solum πληροφορία & plena persuasio, est *fides*; solum lachrymarum fusio, est *Resipiscentia*; solum læta expectatio advenientis Christi, est *spes*; solum prostratio & sepelitio peccati, est *mortificatio*; solum fervida amplexatio Christi, est *dilectio* Christi; & solum beneficentia actualis in sanctos, est *charitas*. Ista si non cernuntur in eminenti aliquo gradu, nihil habet æger noster ut opinatur. Morbus quidem hic rarior est, paucique admodum eo laborant: Curandus tamen sedulo est, ubi apparet, ne morbos graviores accersat: sed curandus est cum cautione magna: Nihil igitur hîc detrahendum de desiderio & studio suavissimi sensus prædicti, modo fiat cum submissione animi, divinam dispensationem respicientis: laudandum etiam in ægro, quod in ægritudine animi semper adeat Deum in Christo: Sed hîc reprehendendus est, quod tum tantum fidem se habere agnoscit, cum Spiritus consolatio adest: interim fovenda in eo aspiratio ad summum gradum fidei, spei, resipiscentiæ, mortificationis peccati, omniumque aliarum virtutum; & urgenda est harum studium, quantum fieri potest maxime. Monendus est tamen, ut fidem sine sensu habeat in majori pretio, & ut vivat ex fide cum deficit sensus; & hortandus, ne despiciat initia parva, seu, gradus inferiores gratiarum salvificarum, vel virtutum Christianarum: quia excellentia sunt earum initia minima, nec minori pretio comparata sunt, quam gradus summi, nempe, morte Christi. Quapropter, 1. Instituendus est æger de voluntate Dei præcipientis ut vivamus per fidem, hoc est, ut adhæreamus Deo, & verbo gratiæ ipsius credamus, ut fœdus gratiæ in Christo fixum teneamus, sub sensu peccati, inopiæ, & molestiarum omnium; eique adhærendo, sustineamus vitam nostram. 2. Instituendus etiam est, quod hæc ratio vivendi, & dependendi à Deo, maximè Deo placeat, majoremque multo tribuat ei gloriam veritatis, gratiæ, misericordiæ, & constantiæ, quam ea est, quam ei tribuimus sub sensu consolationum: nam, si tantum quia sentimus Dei consolationes Deo credimus, certe vix ei credimus; sed pignori potius ab ipso da-

 to

to credimus: Quivis enim credet cuivis etiam homini mendaci, si datum fuerit promissionis pignus. 3. Instituendus est æger, quod consolationes à Deo conceduntur, non ut credamus tamdiu tantum, quamdiu illæ præsentes vel recentes sunt; Sed ut credamus, quando illæ non adsunt, & quando duriter magis exercemur, tribuentes gloriam veritatis & bonitatis Deo nostro, qui jam sæpius pignore dato nos confirmavit. Et hic serio admonendus est æger, ut caveat ne in hoc Casu, gratias sibi datas denigrando, lacerando, & tantum non abjiciendo, studiosior comperiatur desiderati commodi sui, & consolationis suæ, quam officii sui erga Deum & erga se. 4. Instituendus est æger de vera fidei, spei, charitatis, resipiscentiæ, & mortificationis definitione, ita ut minimus gradus gratiæ salvificæ definitæ comprehendatur in definitione: Durum enim est fidem definire per πληροφορίαν, quasi fides non esset, nisi ubi plena persuasio est; durum est, exercitium resipiscentiæ ad lachrymas, vel, signum unum aliquod aliud restringere: cum certum sit, per odium peccati, per luctam adversus internam peccati vim, & per fugam ab externis irritamentis, & occasionibus ad peccandum oblatis, aliaq; effecta multa, resipiscentiam non minus quam per lachrymas manifestari. Idem de reliquis gratiis judicium esto. 5. Perpetuum officium nostrum, de fide semper retinenda & exercenda in omni conditione, distinguendum est à consolationis sensu, seu, beneficio Dei mobili, quod pro sapientia sua dat, continuat, vel aufert, prout ipsi expedire videtur ad bonum nostrum. Deniq; convincendus est æger, quod vera fides & exercitium fidei fuerit in ipso, quotiescunque in sensu peccati vel iræ Dei ad Christum confugiebat, ut remedium adversus peccatum & miseriam in eo haberet. Doceatur (inquam) quod hic sit actus dilectionis erga Deum verus, appetere sensum præsentiæ & consolationis Spiritus ejus; & sciat, quod dolor ob Spiritus consolantis absentiam dilectionem Dei arguat. Dicat igitur æger noster cum Psalte, *Psal.* 77. 10. *Hæc mea dubitatio, est infirmitas mea: recordabor annos dextræ altissimi.*

CAP. XVI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conversione sua: quia, in mediorum ad salutem tendentium usu, videtur sibi minime proficere.

NOnnunquam Regeniti aliqui adducuntur in suspicionem status sui, dubitantque an sint Regeniti: quia in usu mediorum ad salutem destinatorum sibi videntur minime proficere. Non percipio (dicit ex his aliquis) bene-

benedictionem Dei in labores meos effusam; nihil promoveo in cognitione rerum spiritualium; nihil proficio, Verbum Dei audiendo, legendo, & meditando; nihil obtineo luctando adversus peccatum, precando, jejunando adversus hostem non prævaleo: Quid igitur statuam de statu meo, nescio? Si enim Regenitus essem, si Deo reconciliatus essem, aliter mecum ageret Deus. Et hic periculum est, ne æger remittat de diligentia sua in usu mediorum; ne offendat Sanctum Israelis, limitando ipsum ad satisfaciendum sibi in mensura profectus postulata; periculum est, ne studium pietatis ad tempus abjiciat, & mundi præsentis illecebras sequatur. Id quod plerisque accidit, qui postquam tentationi huic aliquandiu indulsissent, tandem stultitiam suam agnoverunt, (ut videmus in Propheta, *Psal.* 73. 14, 15.) vel, durioribus flagellis ad Deum revocati, temeritatem suam, diffidentiam suam simul & insanam superbiam suam agnoscere coacti sunt, ut videmus in *Davide. Psal.* 119. 62. 67. *Priusquam afflictus sum, erravi: jam vero custodio verbum tuum.*

Quod ad mali hujus remedium attinet: nimium sapit hæc querimonia hypocritarum querelam, *Isa.* 58. 3. Et certe sermones & querimoniæ hujusmodi hypocritas decent potius, quam ex Regenitis aliquem: Regeniti enim est, ita sensu defectuum suorum affici, ut humilietur & confugiat ad Christum; peccata sua confiteri, adversus se sententiam ferre; Deum vero in omnibus laudare, ejus operationes in se observare, gratiasque ei pro beneficiis quibuscunque agere. Sed quia fieri potest, ut Regenitus sedulo, pro viribus datis, incumbens omnibus officiis, ad tempus tamen aliquod, vel non proficiat omnino, vel profectum suum non observet; Atque ita in tentationem incidat, Inquiramus in causas mali, & idoneum remedium quæramus. Ex causis mali, una esse potest, quod in usu mediorum aperiantur ægro oculi mentis, ad observandum magis perspicuè quam prius suæ naturæ pravitatem, & ad sentiendum onus, & virus, & vim peccati inhabitantis: Atque ita major clariorque peccati manifestatio obscurare facile potest mensuram proficiendi in vitæ emendatione, cum interea multum profecerit æger in cognitione & odio peccati, in sensu & experientia impotentiæ & miseriæ suæ, in dejectione altarum cogitationum, & comminutione nativæ suæ superbiæ ex sensu indignitatis jam magis manifestatæ. 2. Alia causa esse potest, quod Regenitus in diligenti usu mediorum, sibiipsi pollicitus sit multo plura & majora beneficia à Deo, quam percipit se accepisse, vel reipsa accepit: quâ expectatione quando se frustrari sentit, se non profecisse censet. 3. Tertia causa esse potest, quod Deus in Regenito corrigat errores quosdam practicos, nec benedicat mediorum usui & exercitio, priusquam manifestos & odiosos-

osos ei fecerit errores illos practicos: quales sunt, 1. existimatio nimia diligentiæ propriæ in usu mediorum, quasi meritum aliquod esset annexum operibus à Deo præscriptis. 2. Opinio quod media adhibita seu usurpata insitam habeant vim & efficaciam ad effectus producendos, vel saltem quod Deus, si non alligaverit mediis benedictionem, seipsum tamen obligaverit ad benedicendum laborantibus in ipsorum observantia. 3. Oblivio, vel non consideratio necessitatis pendendi à Dei gratia & Christo in mediorum usu quasi ægro nostro, à seipso & viribus suis, non autem à Christo, trahenda esset virtus ad media adhibenda; vel, quasi, mediis adhibitis, non esset expetenda & expectanda gratia Dei, quæ condonaret imperfectiones diligentiæ; & gratia etiam, quæ benedictionem optatam gratis propter Christum, & à Christo, concederet. Quapropter hortandus est æger. 1. Ne remittat de diligentia; sed ut, observatis suis peccatis & erroribus his practicis, altius se humiliet & abjiciat ad pedes Christi, ut virtutem ex eo hauriat, tantoque magis apprehendat fœdus gratiæ; & humiliter urgeat Christum in Evangelio oblatum, ad incrementum gratiarum dandum, quanto magis observat se esse peccati reum, & impotentem ad se juvandum in mediorum usu. 2. Nunquam aggrediatur praxin aut exercitium ullius officii, nisi præmissa precatione, ut in nomine & virtute Christi officium prosequatur suum, idque oculis semper in gratiam Dei intentis: nec tantum id faciat in officii præstatione; Sed etiam, post officinm præstitum, respiciat Christum, & expectet ab eo benedictionem, solicite cavens sibi à prædictis erroribus practicis. 3. Ne facile condemnet, vel elevet effecta diligentiæ, quasi nihil profecisset; Sed omnibus rite perpensis, si vel minimus fructus observari poterit, agnoscat eum à Christo provenisse, & Deo acceptum referat; & querimoniam omnem intus cohibeat, vel eam in precationibus suis ad Deum cum mansuetudine & humilitate animi aperiat. Hac enim ratione certissime proficiet in fide, resipiscentia, humilitate, & submissione voluntatis suæ in conspectu Dei: qui quidem profectus, non est exiguus æstimandus.

CAPUT XVII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Regeneratione sua: quia ex morali suasione, non ex efficaci Spiritus Sancti impulsu, videtur omnia facere.

NOnnulli Regeniti sunt, qui, licet in vitæ suæ emendatione, & moribus suis ad Regulam verbi divini componendis, eousque profecerint, ut jam jugum Christi ipsis factum sit leve, ipsorumque delectatio sit frequenter

ter

ter versari in exercitiis Religionis & bonorum operum, Suspicantur tamen an solidum sit opus Regenerationis in se: quia talia effecta, qualia in seipsis observant, opinantur fuisse producta, & indies produci posse in multis Temporariis, in quibus nulla naturæ renovatio reperitur. *Nihil enim* (inquiat ex his aliquis) *in me reperio impulsus aut efficacis motionis à Spiritu Sancto; Sed ex morali suasione tantum, (ut mihi videtur) omnia ego feci, & facio: communis tantum operatio Dei esse, mihi videtur: quia talis est vel fuit in me, qualis in non-renatis & qualis in moralis disciplinæ discipulis reperitur: sicut enim illi crebris actionibus acquirunt habitus, quibus jam instructi, actiones morales facilius & cum delectatione postea agunt: sic ego, actus religiosos exercendo, crebroque iterando, facilitatem quandam agendi videor mihi in Religionis negotio acquisivisse: atque ita non aliter me habeo in religionis exercitiis, quam moralis disciplinæ studiosi se habere solent: & adde (inquit) quod in multis observaverim, ex imitatione aliorum, & educatione à parentibus, actus simillimos veræ religioni editos, in quibus, an fuerit vel an sit quicquam, præter naturam veterem, multum dubito.*

Periculosus fateor hic Casus est, & subtili tentationis diabolicæ filo intertextus: Verum enim est, de præceptis Dei in verbo ejus traditis, una cum minis & promissionibus annexis, quod sicut sunt propter autoritatem multo excellentiora, & propter justitiæ puritatem multo splendidiora quam præcepta humana; Sic etiam ad Conscientiam convincendam de officio, & ad voluntatem flectendam in obsequium, multo sunt accommodatiora. Verum etiam est, imitationem laudatorum hominum, & educationem à parentibus, ad externam Religionis formam seu speciem inducendam, plurimum valere: nec facile esse hominibus, qui faciem cernunt proximorum suorum tantum, & cor non vident, sententiam ferre de alieni cordis sinceritate. Quapropter non est mirandum, si Regenitus, externa in se cum externis in aliis comparans, non audeat se aliis præferre, cumque non possit suspicionibus carere & dubitationibus de aliorum Regeneratione, licet splendida opera multa in iis conspiciat, Non mirum si in quæstionem vocet etiam Statum suum. Verum ut solvatur nodus, & eximatur scrupulus, qui Regeniti fidem infirmare poterit: Interrogandus est æger, primo & ante omnia, An firmiter teneat principium & fundamentum Christianæ Religionis? nempe, An, secundum tenorem Legis, seu, fœderis *operum*, in Conscientia peccati sui, & sensu indignitatis, & impotentiæ suæ ad liberandum seipsum, confugerit per fidem

ad Christum; & subinde confugiat, secundum tenorem fœderis *gratiæ*, ut per eum sanctificetur & salvetur; Christumque tanto arctius amplectatur, quanto magis se vita æterna indignum æstimat? Si respondet, Ita: Ne subsistat diutius in vestibulo hujus exercitii; nec multum disputet sitne Regenitus necne; Sed renovet agnitionem peccati sui & indignitatis suæ; renovet etiam consensum suum in fœdus gratiæ, & ratum habeat fixumque statuminet; & accingat se ad obediendum Dei mandatis: sic enim occupabitur ab eo arx & perfugium fluctuantis & agitatæ animæ: à quo Asylo satagebat Satan, per injectum scrupulum, ægrum secludere, viamque ei præcludere, ne eô se conferret: 2. Firmiter apprehenso jam fœdere, & anchora jam jacta intra velum, ad disputationem veniendum est cum hoste; & asserenda præcedens Dei operatio, quantum suffragabitur vel patietur veritas; & defendat, operationes illas præcedentes Spiritus Sancti speciales effectus fuisse. Non enim sufficit ad vocandum in quæstionem habitus gratiæ salvificæ infusos, quod crebris actionibus confirmentur & radicentur: quia habitus infusi supernaturales, non minus aluntur, crescunt, & confirmantur frequentibus actibus & quotidiano exercitio, quam habitus acquisiti: Illud enim insinuant, & præ se ferunt omnes in Scriptura hortationes ad frequentiora exercitia virtutum, ut sic augeantur virtutes, & ex his aliæ aliis adjungantur. Pro exemplo esto locus ille, 2 *Pet.* 1. 5, 6. 3. Multum inter se differunt *studium hominis* ψυχικȣ̃, seu, irregeniti, (Religionis & justitiæ externa opera prosequentis, cum opinione quod iis exercitiis Deo sit placiturus, & justitiam vitamque ex operibus sit consequuturus) & *studium hominis Regeniti*, similia exercitia frequentantis, sed interea minime sibi ipsi in his placentis, minime justitiam suam in his statuentis; sed ex Conscientia impuritatis & peccati, à se suisque operibus quandiu in vivis agit inseparabilis, ad Christi justitiam & Dei fidem in Evangelio gratiæ propositam confugientis. 4. Non est putandum ab homine naturali trahi in imitationem posse habitus supernaturales & salvificos, nempe, illos quibus homo in sensu peccatorum suorum prostratus, ad Christum trahitur, & ex fide in Christum, seipsum Deo tradit in servitutem perpetuam, studiumque constans bonorum operum: Natura enim corrupta, nec intelligit, nec capere potest spiritualia; sed aversatur abnegationem sui, & fidem veram in Christum ignorat: larvam quidem professionis, fidei in Christum, & umbram resipiscentiæ in rebus externis affectare potest, sed rem ipsam non potest non odisse, sicut testatur Apostolus, 1 *Joh.* 4. 6. *Qui non est ex Deo, non audit nos.* 5. Denique, tenendum est, optime inter se convenire ista duo, nempe, Deum *morali* suasione, & Deum *efficaci* operatione, corda suorum movere ad actus

fidei

fidei & obedientiæ: Neque neganda est Spiritus Sancti efficax operatio, propter hanc rationem, quod notabilis impulsus Spiritus non observetur: siquidem non minus potens est operatio Dei, quæ efficit ut hilariter velimus bonum, quam ea quæ efficit ut velimus bonum contra reluctantis naturæ inclinationem: imo vero tanto efficacior est Dei gratia in nobis, quanto minor in nobis est oppositio pravæ naturæ subjugatæ. Quod si vero ægro maxime placeat obedientia illa, quæ reluctantis naturæ vim, & tentatoris obstacula injecta superat; studeat periculum facere in hoc exercitio suo, & præsenti tentationi (qua fides ejus in Christum concutitur) fortiter se opponere & pergere in obedientiæ via studeat, nihil dubitans quin hoc Deo gratum futurum sit: Cui consilio ubi obediverit, in lucta hac victor evadet, & videbit se non nisi notabili impulsu Spiritus Sancti clypeum fidei hic objecisse adversus ignita Diaboli tela.

CAPUT XVIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conversione sua: quia in vitæ suæ mutatione non seipsum abnegavit.

QUidam Regeniti, aliquandiu pacem Dei in Conscientia experti, post auditum vel perlectum sermonem aliquem Boanergæ alicujus Concionatoris, exigentis à Regenito abnegationem suipsius, & sincerum amorem erga Deum vehementer urgentis; &, post accuratiorem inquisitionem nativæ suæ pravitatis & actionum suarum spiritualium, attoniti stant, & anxietate vexantur, suspicantes se nunquam serio ad Christum accessisse: quia sibiipsis serio nondum renunciasse videntur. Ex his aliquem audias ratiocinantem in hunc modum, *Quisquis serio ad Christum accedit, serio etiam seipsum abnegat: hoc enim postulat Dominus ab iis qui ad ipsum accessuri sunt: Ego autem video me nondum meipsum abnegasse, quia etiam cum Christum sequor, meam ipsius utilitatem sequor; fugio ad Christum, ut me à peccatis liberet, & ut salutem consequar in eo: idcirco mihi videor in omnibus Deum & Christum amare, non tam propter se, quam propter me; nullumq; officium est quod ego quidem præsto, ad quod non me movit vel metus pœnæ, vel spes præmii, seu, utilitatis inde mihi redundatura: Et heu me miserum, quoties meam ipsius gloriam in optimis officiis appeto, intendo, prosequor, ægreque fero nisi obtinuerim, Quid ergo statuam de meo Statu? qua ratione probabo me sequi Christum, & non potius ejus beneficia?*

neficia? & quomodo in censu eorum qui Christum sequuntur meipsum numerabo, qui nondum meipsum abnegavi?

Huic dubitationi ut satisfiat, agnoscendum, quod Christus, ubicunque se ostendit in Ecclesia sua, ventilabrum habet in manu ad purgandum aream suam & separandum paleam à tritico; quod etiam ignem habet ad purgandum vasa aurea & argentea in domo sua, & ad excoquendam scoriam quæ est in Electis suis & efficaciter vocatis: in qua purgatione apparet fructus doctrinæ sanæ aperientis innatam cordis humani pravitatem: in quo etiam cernitur vis verbi, Spiritusque Sancti, omnes Regenitos igne baptizantis. Verum quidem est, teneri unumquemque, qui sequitur Christum, seipsum abnegare: & certe nullum opus difficilius est, quam nostræ carnali sapientiæ, dignitati, excellentiæ, viribusque nostris (utut reipsa nullis) renunciare: neque ullum periculosius malum est, quam in officiis Christianis peragendis nostram ipsorum gloriam vel quærere, vel captare: Quisquis enim hic sibi indulget, næ ille non sapit ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt carnis. Quia autem reliquiæ omnis generis peccati sunt in Regenitis: & superbiæ innatæ fax ardens non ita unquam extinguitur, quin pruna remaneat, quæ facile inardescit, &, quaviscunque suppeditata excellentiæ materia, flammam concipit: ut vel *Pauli* hominis sanctissimi, suique abnegantissimi exemplum ostendit: cujus superbiam (ne ex revelationum frequentia sese erigeret) oportuit immisso Satanæ Angelo supprimi. Idcirco necesse est, ut quisquis Dei facie & gratia frui velit, humilitati studeat, caveatque ne huic malo peccatorum pessimo unquam parcat; Sed quandocunque scintilla aliqua hujus ignis se ostendit, statim ad pedes Christi se conjiciat æger, ne ira Dei in ipsum erumpat: Nam Deus destinato consilio non tollit peccati inhærentis inhabitationem, ne (si auferretur) nos adversus Dei gratiam superbiremus.

Quod vero ad Casum præsentem attinet: cum jubet nos Dominus abnegare nosipsos, vult nos renunciare proprio nostro ingenio carnali & omnibus affectibus carnis, ut parati simus in mundo miseriam pati, & quasi in nihilum redigi, modo in nobis vivat & regnet Deus: Sed non jubet nos rerum spiritualium studium & desiderium salutis obtinendæ per Christum abjicere, aut eas in Christo & propter Christum non petere. Instituendus ergo est æger. 1. Quod salus nostra subordinetur gloriæ Dei, nec inter se hæ duæ pugnent. 2. Quod Deus sanctificaverit nostri ipsorum salutis amorem, ut idoneum medium & argumentum quo moveamur ad quærendum Deum: id enim pleræque invitationes & promissiones Evangelicæ, tam in veteri, quam novo Testamento, aperte demonstrant: e. g. *Isa.* 55. 2, 3.

Auscul-

Auscultate, ut vivat anima vestra. Et *Mat.* 15. sub finem: *Venite ad me omnes, qui onerati estis & laboratis, & ego refocillabo vos.* Tantum autem abest ut quicquam deroget gloriæ Dei & Christi, quando quærimus salutem nostram in illo, ut contra illustret gloriam Christi maxime: quanto enim magis à nobisipsis & à creaturis recedimus, ut in Deo solo felicitatem nostram quæramus; & quanto plus tribuimus Deo in salutis nostræ negotio, tanto magis extollimus Dei omni-sufficientiam, veritatem, bonitatem & gratiam. Neque sic requirit Deus à nobis abnegationem nostri, ut non diligamus nosipsos eo ordine, vel modo, quem ipse præscripsit. Non prohibuit Deus, ne, ex dilectione nostri & æstimatione bonitatis divinæ, accedamus ad ipsum, qui fons est & felicitatis & subsistentiæ nostræ; Sed sic jubet nos abnegare nosipsos, ut non in nobisipsis quæramus salutem nostram aut salutis causas, sed ut, propter inanitatis & vanitatis nostræ Conscientiam, nobisipsis diffidentes in omnibus, Deo credamus, & nos in Christum conjiciamus in omnibus. Quando igitur Deo constare poterit gloria in salute nostra promovenda, non impedit mandatum Christi de abnegatione nostri, quin Deum quæramus, eo fine, ut nobis promissum quodvis bonum concedatur. Quod si vero oppositio fiat inter nos & Deum; & disputetur, utrum præferenda sit gloria Dei, an felicitas nostra; vel, an liceat bonum nostrum quærere cum dispendio gloriæ divinæ; vel, illud aliter quærere quam Deus præscripsit: Dubium nullum est, quin præferenda sit gloria Dei; & quod non liceat nobis nosipsos diligere, nisi modo & mensura à Deo præscriptis. Quibus observatis, perspicuum est, quod in præcepto de abnegatione nostri minime prohibeamur, in officiis præstandis, & Dei gloriam, & nostram ipsorum utilitatem intendere. Quandocunque vero intermiscetur, sive in beneficio accipiendo, sive in officio aliquo præstando, prava cupido inanis gloriæ nostræ, quæ non potest non obscurare & impedire gloriam soli Deo in omnibus tribuendam: statim (inquam) ubi apparet hoc peccatum, aperiendum erit per confessionem Deo scrutatori cordium; & orandum, ne illud imputetur nobis, sed remittatur, ejusque radix averruncetur & eradicetur.

CAPUT XIX.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conver-verſione ſua: quia neminem novit ſimili modo exercitatum quo ipſe exercetur.

NOnnulli Regeniti, qui ex Legis divinæ luce, ad agnitionem peccati pervenerunt, & ex doctrina Evangelii ad Chriſtum adducti ſunt, jugum ejus ſuſceperūnt, & diſciplinæ ipſius ſe ſubmiſerunt, quando ſubinde mutari conditionem ſuam ſentiunt; præſertim autem, cum res ipſorum ſpirituales longe aliter ſe habent ac opinati ſunt, quærunt exempla in Scriptura à Paſtore vel amicis, an aliquem reperiant eum in modum exercitatum, quo ſe vident exerceri; &, ſi res ipſorum malè habeant, *Ecquem noviſti* (inquit æger) *in Scripturis mihi ſimilem? ecquem noviſti ex ſanctis familiaribus tuis, qui mecum poſſit comparari? An fando unquam audiviſti talia in quovis Regenito, qualia ego tibi de me recenſui?* Et ſi amici interrogati non invenerint aliquem ex ſanctis in Scriptura ita exercitatum, turbatur æger, quaſi ipſius conditio non eſſet ſanctificata, vel, quaſi aliquid alienum ab Electis & Regenitis pateretur. Quod ſi vero reſpondeat Amicus aliquis, Novi aliquem tui ſimilem, ſtatim excogitatur diſparitas: nec induci poteſt æger ut credat cuivis ſancto ſimilia contigiſſe: unde ſuſpicio fovetur ab eo, quod ipſe non ſit in ſtatu Regenerationis & gratiæ. Hic elenchus decepit amicos *Jobi* eouſque ut condemnaverint ſanctiſſimum virum improbitatis, & è cenſu Regenitorum nomen ejus deleverint: hac ſolâ ratione inducti, quia nunquam noverunt vel audiverunt quemquam ex ſanctis eo modo exercitatum fuiſſe, quo videbant *Jobum* exerceri: idque non erubeſcunt apertè profiteri, *Job.* 5. 1. *Ad quem ſanctorum teipſum* (inquiunt) *convertes*, i. e. quemnam ex iis tibi ſimilem reperies, de quo dicas, *hic* ſimilia paſſus eſt.

Morbi hujus cauſa latet in hoc errore, ſeu, in hac opinione falſa, quod in Scriptura expreſſa ſint exempla omnium conditionum, in quas quivis ſanctus incidere poterit. Verum quidem eſt, exempla plurimarum conditionum, in quibus ſolent verſari fideles, vel in genere, vel in ſpecie haberi in Scripturis: Sed non eſt poſſibile ut in Scripturis contineantur exempla particularia, quæ omnibus particularibus, ſeu, ſingularibus conditionibus ſanctorum omni ex parte quadrent: Sic enim, ſicut habetur ſub finem Evangelii *Johannis*, mundus non contineret volumina ad hanc particularem enumerationem neceſſaria. Sed ſufficit quod Scriptura regulas contineat ad quas unuſquiſque

ſanctorum debeat ſe conformare; & quod morbos Regenitorum, vel morborum poſſibilium fontes aperiat; & quod exempla aliqua contineat, quæ regulæ veritatem & peccandi periculum aliquouſque oſtendunt. Deinde, experientia hujus vel illius ſancti (utut in Caſibus Conſcientiæ ſuæ, vel aliorum exercitatiſſimi) curta nimis eſt menſura, ad quam examinentur Caſus Sanctorum, quibuſcum ipſi familiaritas interceſſit: multo vero magis curta eſt, ſi, unius experientia, menſura ſtatuatur plurium nominum, ſeu, capitum, quam eorum quibuſcum ipſi datum eſt converſari. Multi enim ſunt ſancti, quorum Caſus pauci nôrunt; nec quiſquam eſt, qui vel omnes ſuos Caſus cuiquam poterit manifeſtare; vel, qui Deo καρδιογνώστῃ poterit eos explicare, etiamſi vellet maximè. Quapropter, 1. Inſtituendus eſt æger, quod regulis ex Verbo Dei petitis, non vero exemplis vivendum ſit; &, quod ſufficiat, ut in omnibus conditionibus (quæcunque tandem illæ ſint aut eſſe poſſint) ſtudeamus ſecundùm Dei voluntatem nos gerere, h.e. ut in conditione Conſcientiæ (exempli gratia) pollutæ, humiles agnoſcamus peccatum quod eſt in nobis; & ut ad Chriſtum confugiamus, qui peccati reatum remittat, vim ejus ſubjuget, pollutionem aboleat, & radicem evellat: In conditione vero calamitoſa requirit Scriptura, ut nos Deo manſuete ſubjiciamus, ſemper interpretantes in meliorem partem omnem Dei erga nos diſpenſationem: hac enim ratione & ſe ſuſtentavit *Jobus* contra amicorum diſputationem in quæſtione de Statu ſuo eſſetne improbus hypocrita an non, & tentationem hanc ipſam (de qua nunc agimus) ſuperavit; objectioneſque amicorum ſolvit & diluit omnes. 2. Inſtituendus etiam eſt æger, (quod ad exempla attinet) tam variam & multifariam eſſe Dei diſpenſationem, ut non ſolum omnes omnium conditiones non poſſint cognoſci; Sed etiam, ſi cognoſcerentur, non ſatisfacerent ægro: quia ut in faciebus hominum, ſic in exercitiis animarum, nulla tam exacta ſimilitudo inveniri poteſt, quin diſcrepantia ſeu diverſitas aliqua obſervari poſſit. Laborandum igitur ut nos recte geramus ſecundùm Dei voluntatem, quacunque fuerit conditio noſtra.

CAPUT XX.

In quo tractatur Caſus Conſcientiæ dubitantis de Converſione ſua propter defectum indiciorum infallibilium Regenerationis ſuæ.

Ex Regenitis multi hærent incerti quid de ſtatu ſuo ſentiant: quia certa & indubitata indicia Regenerationis in ſe non ſentiunt. Et licet perſpiciant fortè veſtigia & ſigna aliqua, quæ merito habentur pro indiciis renova-

novationis, qualia sunt, sensus peccati, fides in Christum, studium novæ obedientiæ,& dilectio fratrum, non audent tamen iis credere, propter imperfectionem quam in iis perspiciunt: Quando enim examinant ista signa, non respondent ea regulæ: claudicare enim in multis observant suum novæ obedientiæ studium, & vacillare fidem, & deficere in multis dilectionem fratrum vident,ut vix nomine dignæ videantur hæ virtutes suæ: in specie autem dubitant,quia non sentiunt in se Spiritum adoptionis,de quo, *Gal.*4.6. *Quoniam autem estis filii,immisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater*: Non discernunt in se sigillum Spiritus, de quo, *Ephes.*1. 13. *In quo, postquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto,qui est arrhabo hæreditatis nostræ*, Tantoque magis ambigunt,quanto hoc indicium Regenerationis familiarius notum fuisse videtur Apostolorum ævo.

2. Huic morbo ut remedium afferatur, (missis iis quæ supra dicta sunt de fructibus fidei imperfectis) dubitationis causæ variæ esse possunt. 1. Quod æger etiamsi, una cum vitæ renovatione, orandi seu precandi gratiam habeat, & vocet Deum Abba Patrem,Non tamen agnoscit hoc opus esse Christi, mentem illuminantis, voluntatem & affectus ad novam obedientiam componentis, ad precandum impellentis, & inter precandum adjuvantis: Non agnoscit (inquam) hoc esse opus Spiritus Sancti, qui est Spiritus Christi; Sed præ desiderio studioque sentiendi operationes Spiritus Sancti in altiori gradu, præsentem operationem vel negligit, vel,non pro dignitate æstimat: Atque ita imprudenter & movet & fovet dubitationes, quibus ipsius fides sub infirmitatis vinculo detineatur. 2. Quod æger licet sæpius senserit in se,ad πληροφορίαν usque, testimonium Spiritus Sancti, una testantis cum Spiritu suo,se esse filium Dei; & (dato ineffabilis gaudii arrhabone) obsignantis ipsum ad diem Redemptionis: quia tamen gaudium hoc non usquequaq; & semper permanet; Sed æger,tentationibus novis subortis, subinde doleat, & ægritudine afficiatur: quod tamen non accidit nisi quando opus est, sicut dicit Apostolus, 1. *Pet.*1.6. Idcirco, (inquam) quia hoc testimonium Spiritus non toties repetitur cum gaudio & exultatione,quoties vellet æger, testimonium sæpe latum,non habet ratum prout oporteret: Atque ita fovetur dubitatio. 3. Quod æger Spiritum Dei offenderit, vel ipsius operationes traducendo, easque alii Autori ascribendo, aut suspicando quod fuerint delusiones; vel,peccando forsan, adversus Conscientiæ lucem,Spiritum Sanctum contristaverit,suamque pacem apud Deum interturbaverit,ut videmus in exemplo *Davidis*, *Psal.*51. In quo Casu, non mirum quod oriuntur, & invalescant dubitationes in ægro de Statu suo. 4. Quarta causa esse potest,

quod æger etiamsi consenserit in fœdus gratiæ, amplexusque sit Iesum Christum in Evangelio oblatum; Non tamen sine formidine sigillum suum apponat veritati Dei, in Evangelii applicatione ad se, sed suspendat quasi subscriptionem suam, & nonnihil hæsitet in fide habenda Evangelio. In quo Casu quandiu hæret, & non acquiescit in Dei Verbo, Non mirum si obsignationem Spiritus Sancti non sentiat. Ordo enim quem Deus observat, hic est, ut primo loco fides figatur in Christo per Evangelium: postea vero, opportune succedit Spiritus obsignatio, uti habemus, *Ephes.* 1.13. *In quo* (inquit) *postquam* (non antequam) *credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto.*

3. Quod igitur attinet ad primam dubitationis causam, nempe, quod æger non agnoscit Spiritus Sancti operationem, nisi in eminenti gradu sentiatur: hortandus est æger, ut non minus observet in se Spiritus Sancti operationes in minimo gradu, (ad gratiarum actionem, consolationem, & confirmationem fidei suæ) quam operationes peccatricis naturæ prurientis, & se explicare cupientis observat ad humiliationem sui, & ad resipiscentiæ exercitium. Non enim placet Deo, sub prætextu humilitatis, injustitia: est autem injustitia, non ascribere Deo laudem operis cujusvis boni, potissimum cum in ægro Regenerationis indicia in vitæ renovatione, & inhabitationis Spiritus Sancti documenta non obscura reperiantur, una cum solicitudine & desiderio abundantioris communionis cum Christo in spiritu colendæ, ut in præsenti Casu præsupponitur,

4. Quod ad secundam dubitationis causam attinet, nempe, quod ægri fiducia, simul cum πληροφορίας sensu stat & cadit: hortandus est æger, ut quando deficit sensus, abundet in opere Domini, nec remittat quicquam de studio & diligentia placendi Deo in omnibus, etiamsi non semper, cum ipse vellet, testimonium Spiritus renovetur. Cum enim pactum Dei in Evangelio satis sit firmum ad fundandam & fovendam fidem, etiamsi plena persuasio, consolationem & gaudium afferens, nunquam daretur in hac vita: certè ex Dei indulgentia est, quod, dato sive semel sive sæpius arrhabone, pactum jam confirmatum sit. Si autem sensus ille exsuperantis gaudii semper vigeret; si Sol ille consolationis semper splenderet, & immota semper maneret πληροφορία ista, quæ nonnunquam sentitur, dum Spiritus Dei, una cum spiritu nostro, testatur nos esse filios Dei: Conditio (inquam) ista cœlo convenientior foret, quam terræ; & triumphantium sanctorum quam militantium statui similior esset. Sed faciamus ex ægroti voto, semper permanere sensum consolationis; Quis quæso locus esset tunc exercendæ fidei? quis locus augendæ fidei esset? Quapropter cum iniquum esset petere à Deo ne

probetur fides per ſenſus abſentiam, Caveat æger ne pendeat à ſenſu; Sed adhæreat fœderi, incumbat bonis operibus, & novæ obedientiæ ſtudeat in omni conditione; recolat memoriam ſive ſæpius repetiti, ſive ſemel dati arrhabonis, & quærat ſtudioſe in omni Caſu faciem Dei: quod ſi fecerit, ſentiet ſe non fruſtra quæſiviſſe: Nam Spiritus Dei tempore opportuno ſatis abundè conſolabitur eum, ut non ſit futurum opus queritari vel hæſitare de Statu ſuo.

5. Quod ad tertiam cauſam attinet, nempe, quod Spiritus Dei ob peccatum aliquod contriſtatus, teſtimonium ſuum ſuſpendit: etiamſi præſupponamus ægrum non eſſe conſcium gravioris alicujus ſceleris, ſed reum tamen alicujus peccati in ſpeciem fortè leviuſculi, adverſus Conſcientiæ lucem admiſſi, propter quod ad aliquod tempus Deus faciem ſuam abſcondit; Non aliud conſilium dabimus ægro in hac conditione, quam quod *David* ſequutus eſt, *Pſal.* 51. nempe, ut renovet actus reſipiſcentiæ & fidei ſuæ in Deum miſericordem, ſecundum fœdus gratiæ in Chriſto; & ut precibus aſſiduis inſtet apud Deum, ut gaudia Spiritus ſui gratioſè reſtituat; utque æger poſtea cautius ambulet, caveatque ne ad iram concitet clementiſſimum ſuum Patrem.

6. Denique, quod ad ultimam cauſam attinet, quæ eſt fidei hæſitatio & defectus. 1. agnoſcat æger merito ſe caſtigari: quia firmiter non adhæret fœderi icto, & quia non dat gloriam veraci Deo, non credit ejus Verbo abſque pignore; & interim tamen ægre fert non dari ſibi conſolationes illas, quæ non niſi raro firmiter credentibus dari ſolent. 2. Hortandus eſt æger, ut, ad fidei ſuæ confirmationem, obſervet quam ſolidum & certum fundamentum habeat fides, nempe, promiſſionem & juramentum Dei, antequam experientia accedat, ut cum Pſalte (*Pſal.* 56.10.) dicat, *In Deo laudabo verbum ipſius.* 3. Hortandus inſuper eſt, ut per fidem Chriſto agglutinetur in omni conditione, & ut, ſub ſpe promiſſionum, tempore opportuno præſtandarum, ſubmittat ſe voluntati Dei, ejuſque qualicunque diſpenſationi; in omnibus ſtudens officium præſtare. Quod conſilium ſi ſequutus fuerit, proculdubio videbit brevi fructum fidei ſuæ, & lætus Deum celebrabit: quia *lux ſata eſt juſto, & rectis animo lætitia, Pſal.* 97.11.

CAP.

CAP. XXI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Conversione sua propter difficultatem applicandi sibi & conditionales promissiones & absolutas.

NOnnulli Regeniti, etiamsi ex metu iræ divinæ, quam perspiciunt peccata sua mereri, ad Christum jam confugerint, & se abdiderint sub alis propitiatorii, sub umbra Mediatoris Christi; & jam novæ obedientiæ præstandæ serio studeant; Tremunt tamen subinde & timent, quando promissionum Evangelicarum conditiones respiciunt, suspicantes gratiæ opus in seipsis solidum non esse: idque quia difficultatem, sine dubitatione applicandi sibi promissiones illas Evangelii conditionales, sentiunt esse maximam: Nulla enim est promissio, ad quam manum suam extendunt, quam non comitatur aliqua exceptio, ad excludendum ipsos, sicuti ipsis videtur. Vel enim promissiones absolutæ sunt, & Electis solis factæ, eisque non nisi post efficacem vocationem sigillatim applicandæ; vel, factæ sunt jam credentibus, seu iis qui solidâ fide promissiones jam apprehenderunt, in quorum numero ægri nostri nec audent seipsos numerare, nec ab eo numero se prorsus segregregare; vel denique, promissiones ita qualificatæ sunt per additionem alicujus limitationis, quæ promissionem restringere videtur ad eos, qui eâ qualitate jam imbuti sunt. Et hic, e. g. quando *mitibus* & *mansuetis* aliquid promittitur, quando *misericordibus*, vel *justis*, vel *puris corde*, vel *pauperibus spiritu*, vel *esurientibus* & *sitientibus justitiam*, vel aliquibus similibus indigitatur divina benedictio, Queruntur se destitui eâ conditione; vel si quid conditioni simile in se habere videantur, metuunt ne illud genuinum sit quod habent: Atque ita dubitationibus vexantur, sintne in statu gratiæ.

2. Nonnulla ad solutionem hujus dubii obiter dicta sunt supra: Sed, quia multi hoc morbo laborant, speciatim magis de hoc Casu agemus. Et primo laudamus ægrum, quod in hac trepidatione confugerit ad Christum, & novæ obedientiæ studeat, & quod non audeat á Christo discedere, nec ex fidelium numero seipsum eximere: hactenus enim fidem suam & reverentiam erga Dei verbum ostendit, quod justitiæ Legis subscribat, & reatum meritumque suum agnoscat: multo vero magis eum laudamus, quod credat nullum aliud esse nomen sub cœlo præter Christum, in quo Remissio peccatorum & salus obtineatur: maximè vero probamus, quod bonitati & misericordiæ Dei in Christo, huc usque confisus sit, ut se in ejus fidem & tutelam commiserit;

ſeque Deo ſubmiſerit,ut ſtatuat Deus de ipſo quod velit: Et denique probamus, quod æger nec audeat nec velit repulſam à Chriſto admittere; ſed fixum teneat in corde propoſitum adhærendi Chriſto quamdiu vivit;& quod cum *Petro* dicat, quo abirem ab illo, cum ipſe ſolus habeat verba vitæ æternæ? Hactenus recte omnia. Et hîc hortandus eſt æger, ut mordicus teneat hoc fundamentum: quia dixit *Ieſus, Joh.*6.37. *Venientes ad me minime ejiciam foras.*

3. Quod vero attinet ad dubitandi cauſas, & difficultatem applicandi promiſſiones: una eſt, ex parte juris perſonalis,& hîc dubitatur ab ægro,an liceat ſibi applicare promiſſiones? altera eſt, ex parte potentiæ ſeu virium ægri,quarum defectum ſentit ad applicationem faciendam, ſecundùm jus ſibi factum. Quod ad priorem quæſtionem attinet, jus applicandi promiſſiones pendet à Dei vocatione & mandato,qui invitat omnes,qui peccatorum ſuorum, & incumbentis vel imminentis miſeriæ ſenſu affecti ſunt, ad Chriſtum accedere, eumque ſibi applicare, in quo omnes promiſſiones ſunt etiam & amen: & (ex hoc jure perſpecto) eſt quod æger jam confugerit ad Chriſtum, quia Deus in Evangelii prædicatione & jus & neceſsitatem appropinquandi ad Chriſtum ipſi manifeſtavit. Poſtquam ſoluta eſt hæc quæſtio de jure, (an liceat applicare?) oritur altera: quia poſtquam periculum fecit æger de viribus ſuis, dubitatur quid ſentiat de Statu ſuo, cum ſe non poſſe confidenter applicare promiſſiones perſpicit: idque quia de præſtitis & præſtandis conditionibus ambigit. Hac diſtinctione præmiſſa, confirmandus eſt æger de jure applicandi promiſſiones: atque ita difficultas prima & præcipua auferetur; nam, ad voluntatem ciendam, & fidem augendam, ad applicationem arctiorem faciendam, plurimum facit manifeſtatio juris,quod liceat ægro applicare; vel, quod jus ipſi factum ſit, ut applicet omnes promiſſiones. Quod autem ad alteram quæſtionem de viribus attinet: petat æger robur à Deo,qui jus ipſi fecit ad applicandum promiſſiones, & qui petentibus bona ſalutaria non recuſat dare,quantum ad ſalutem ſatis eſt. 2. Diſtinguenda eſt applicatio promiſſionum facta à parte Dei, ab applicatione promiſſionum à nobis facta,ut æger reſpectu utriuſque generis applicationis confirmetur,& roboretur ad applicationem firmiorem faciendam. Applicatio à Deo facta, alia eſt generalior in Verbi prædicatione, ad quoſvis auditores pertinens, in qua offertur omnis gratia, & promiſſiones omnes amplectendæ proponuntur,una cum invitatione,ut,ordine à Deo propoſito,omnes promiſſiones & præcepta omnia recipiantur. Ordo autem Dei eſt, ut primo applicetur Lex. Secundo,Chriſtus oblatus in Evangelio. Et tertio,jugum Chriſti tollatur in ſtudio novæ obedientiæ. Alia applicatio eſt ſpecialior, (ſed commu-

communis omnibus Ecclesiæ membris) quæ fit fœderatis in fœderis gratuiti percussione externa, ejusque per Sacramenta obsignatione. Alia denique est efficax applicatio, Electis propria, nempe, infusio & augmentatio gratiarum salvificarum per media à Spiritu Sancto facta: & hujus ultimi generis applicationis varii sunt gradus, prout varii sunt gradus operationum Spiritus Sancti in productione fidei, & varii gradus efficiendi certitudinem & acquiescentiam (ut ita dicam) in fidei certitudine.

4. Quod attinet ad hoc genus applicationis à parte Dei, quæ est in oblatione & benedictione externorum mediorum: hortandus est æger, ut observet quid Deus jam fecerit, & quid etiamnum faciat, ut dubitatio illa ex omni parte tollatur: nam, si media ad fidem concesserit sufficientia, quid potest requiri à Deo ut faciat respectu mediorum, quod non fecit, & facit? sicut dicitur, *Isa. 6. quid facerem vineæ meæ, quod non feci?* Et, si per media illuminavit animum in mysteriis salutis, & cor inclinavit ad Christum amplectendum, jactum est fundamentum boni operis, nempe, justificationis & sanctificationis ad salutem. Quod vero attinet ad applicationem à parte nostra: alia est, qua nosmet specialiter applicamus Christo, seu, Deo offerenti se communiter omnibus, & promittenti bona salutaria, aperimus ostium cordis, & extendimus brachia fidei, & ad Christum currimus: quod fit, cum confugientes ad Christum (uti jubemur in Evangelio) & cupientes ei uniri, singuli Respondemus, *Accipio Domine quod offers:* Alia est, qua nos applicamus nobis Christum oblatum, & promissiones nobis in eo oblatas; quod fit cum (contra tentationes omnes) asserimus eas ad nos pertinere, & quasi vim facimus regno cœlorum. Prior applicatio est in consensu quem præbuimus in fœdus gratiæ, quando Deus in Evangelio vocabat peccatores (ex fœdere operum condemnatos & perditos) indefinite, ut venirent omnes ad ipsum, novumque fœdus gratiæ cum eo per Christum ferirent; & quando, in agnitione indigentiæ nostræ, & veracitatis Dei qui miseros invitat, nosmet ipsos stitimus ad Tribunal gratiæ, & fœdus fœderisque conditionem amplexi sumus, & oravimus Christum ut applicaret ea bona nobis particulariter, quæ indefinite obtulit omnibus. Et hîc æger non poterit inficias ire, quin applicatio jam facta sit suiipsius ad Christum; quin Sacramenta etiam in confirmationem fœderis icti, ab ipso jam recepta sint. Posterior vero applicatio est illa, qua nos Christum asserimus nostrum esse, promissionesque factas in illo applicamus nobis, tanquam bona nostra, ex jure fœderis pacta & concessa nobis. Sed neque hîc poterit æger inficias ire, quin applicatio ab ipso facta sit in gradibus non contemnendis: primo enim æger (sicut præsuppositum est in Casu describendo) *postquam confugit ad Christum, adhæret*

hæret Christo, nec patitur se ab ipso divelli : omnis enim molestia ægri ab hoc fonte provenit, quod non possit satis sentire, satis possidere, satis experiri virtutem Christi; & quod non possideat quantum vellet, quod non bibat quantum sitit, Et idcirco queritur & lamentatur de applicandi difficultate.

5. Quod attinet ad causam dubitationis, quæ oritur ex natura promissionum: Instituendus est æger, quod promissiones absolutæ quæ factæ sunt *Electis* (quales sunt illæ, *Jer.* 31. 31. *Indam Legem meam mentibus eorum, & inscribam eam in cordibus eorum, &c.*) pertineant ad omnnes, qui animitus ex sensu peccati & miseriæ suæ consentiunt in fœdus gratiæ, Christumque oblatum in fœdere recipiunt: nam in Christo omnes promissiones sunt etiam & amen. Adde quod Deus jam incepit illas absolutas promissiones applicare ægro, & Legem suam in ejus corde scribere: de illis promissionibus ergo non debet dubitare. 2. Instituendus est æger, quod promissiones factæ *credentibus* pertineant ad omnes eos, qui serio in fœdus gratiæ oblatæ in Christo jam consenserunt: nam omnes serio consentientes in fœdus gratiæ sunt ipsissimi fideles; quia *Consensus serius in fœdus*, est fides ipsa, sive firmior, sive infirmior illa sit. Denique, convincendus est æger de promissionibus per limitationem propositis, & (ut videtur) per conditionem restrictis, quod circa illas variis modis erret, si propter eas, quas putat conditiones, in fide titubet. 1. Enim errat, quod alias ponat conditiones fœderis gratuiti, quam *fidem*, seu, peccatoris in se condemnati *consensum serium* : nam, si singulæ hæ, quæ videntur limitationes promissionum, essent conditiones fœderis, tot essent fœdera quot sunt promissiones limitatæ; & fœdera illa, reipsa essent fœdera operum, non gratiæ: quia limitationes illæ quæ dicuntur, sumuntur ab aliqua alia virtute morali, quam à fide: seu, sumuntur à virtutibus & bonis operibus: e. g. promissiones hæ, *Beati misericordes*; *Beati pacifici &c.* important operantes esse beatos: sed hi operantes prius à Deo facti erant credentes. 2. Errat æger, quod putet descriptiones fidelium, à signo vel effectu fidei aliquo, esse limitationes promissionum, cum sint earum explicationes tantum, inductivæ & allectivæ (ut ita dicam) eorum qui fidem suam non satis percipiunt; sed istas notas fidei tamen in se sentiunt: quos Christus eo fine pronunciat beatos, ut credentes magis firmiter credant. Non sunt autem qualificatæ promissiones exclusivæ eorum fidelium qui videntur sibi illis signis destituti. Certum enim est, ex signis & effectis fidei, alia magis conspicua esse in *Johanne*, alia magis perspicua esse in *Jacobo*, vel *Roberto*, &c. Et rursum certum est, eadem effecta seu signa fidei. v. g. in ipso *Johanne*, nunc magis nunc minus esse perspicua: & alia effecta seu signa fidei, magis se in uno ostendere quam in alio; & variis vicibus

bus alternari nunc horum nunc illorum fructuum evidentiam, ita ut nunc emineat mansuetudo, nunc misericordia, nunc zelus, nunc puritas cordis, nunc paupertas spiritus. Accommodatissime igitur ad fidelium gradus, & conditionum mutationes in iis varias, & fidelium descriptiones, aliàs atque aliâs nunc offerunt se aliæ promissiones, aliâs vero aliæ. Denique, errat æger in eo quod, ex sensu defectus alicujus virtutis, recedat aliquousque à Christo per diffidentiam; vel, dubitanter eum respiciat, cum deberet potius recedere magis ab opinione propriæ justitiæ, & magis humiliari in se, & arctius apprehendere fœdus gratiæ, & ad Christum Christique justitiam imputatam propius accedere; ut in Christo accipiat quod in se desiderat, & à Christo per fidem obtineat virtutem quam in se non reperit.

6. Ad id quod objicit æger, quod non audeat jus filiorum Dei sibi confidenter applicare, vel se in numero vere fidelium cum fiducia numerare, neque se ex eorum numero segregare. *Resp.* 1. Respiciat æger sententiam Legis condemnatoriam, incumbentem omnibus iis qui non confugiunt ad Iesum Christum, & non credunt in illum, *Ioh.* 3. 18. *Qui non credit in Filium, jam condemnatur: & qui non credit in Filium, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* 2. Consideret amplitudinem Evangelii proponentis tantam Dei erga mundum dilectionem, ut dederit unigenitum Filium, ut quicunque crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: dicit enim Spiritus, *quicunque* (sine exceptione,) ne quis, qui cupit ad Deum accedere, dubitet an sit admittendus. 4. Perpendat admirandum mysterium incarnationis Filii Dei, qui assumpsit naturam humanam in unitatem personæ suæ, ut, in unione naturarum, pignus perpetuum daret propensæ voluntatis suæ ad reconciliandum personas omnium hominum qui ad Deum accedunt per eum. Huic etiam considerationi addat æger aliam, de assumpto munere Mediatoris, & susceptione triplicis officii, Prophetici nempe, Sacerdotalis, & Regii, ut officia illa, pignora essent certissima voluntatis Domini nostri, de opera sua commodanda in bonum uniuscujusque qui ejus opem implorabit ad plenam perfectamque salutem, hilariter & efficaciter, sicut decet Filium Dei, qui vult fidelis esse, & comperiri in officio ipsi à Patre demandato: de qua etiam voluntatis propensione, fidem faciunt superabundanter suavissimæ invitationes Evangelicæ, in quibus Christus hortatur, rogat, flagitat & obsecrat auditores Evangelii, ut ad ipsum veniant; & perpetua series misericordiæ actualis, qua obviis ulnis amplectitur omnes, qui ad eum (justitiæ & salutis obtinendæ ergo) veniunt. 4. Auscultet igitur æger & obediat speciali isti mandato Dei, quod habetur, 1 *Joh.* 3 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credatis in nomen unigeniti Filii sui.* In quo mandato omnibus

nibus auditoribus Evangelii (fine exceptione) imperat, ut ferio examine facto vitæ fuæ, & Status fui in natura, agnofcant perditam fuam conditionem, feu, Statum naturalem miferum, & in agnitione impotentiæ fuæ ad feipfos liberandum, confugiant ad Chriftum, in eumque credant. Atque hîc applicandi non tantum ordo, fed etiam jus & neceffitas oftenditur: adeo ut inexcufabilis fit unufquifque ex Auditoribus Evangelii, (ne irregenitis quidem exceptis) qui prædicto ordine,non obedit huic mandato, hoc eft,qui non agnofcit peccata fua ; & in eorum agnitione, non accedit ad Chriftum: maxime vero eft is inexcufabilis,qui huic mandato obedivit eoufque, ut, 1. jam examinaverit vitam fuam. Et 2. agnoverit fe fecundum Legem jufte condemnandum. Et 3. noverit nullam effe fibi fpem falutis reliquam, nifi credat in nomen Iefu Filii Dei. Et 4. audiverit mandatum prædictum de credendo in Iefum ; & tamen,fub prætextu difficultatis applicandi fibi Chriftum oblatum, hæret & non obedit mandati hujus jam citati expreffis terminis. Si enim etiam impii rei fiant rejecti Chrifti, quia non agnoverunt peccata, ut confugerent ad Chriftum ; & fi condemnentur maxime illi qui quovis modo convicti de peccato, non confugerunt ad Chriftum oblatum in Evangelio, feu, non crediderunt in Chriftum, (ficut dicitur, *Joh.* 3. 19. *Hæc eft condemnatio, quod lux venerit in mundum, & homines diligant tenebras magis quam lucem*) Quid refpondebit æger nofter, violati hujus mandati accufatus,qui agnovit peccata,& neceffitatem confugiendi ad Chriftum,& tamen non confidenter conjicit fe in Chriftum, nec in eo acquiefcit? Fruftra objiciet nomen fuum non contineri in hoc mandato: quia jam applicuit fibi mandata Dei in decalogo expreffa, in quibus non magis exprimitur ægri nomen, quam in hoc mandato. Nam, fi autoritatem Dei mandantis agnofcit æger extendi ad fe in moralibus mandatis aliis omnibus, cur non etiam ad fe extendi autoritatem Dei agnofcit in hoc mandato? maxime,cum mandatum hoc dirigatur ad omnes Evangelii auditores: potiffimum vero ad eos, qui alia Dei mandata fibi applicuerunt. Hîc igitur ne amplius caufetur æger applicandi difficultatem,nec queratur fe non audere applicare oblatam gratiam in Chrifto ; Sed increpet fe potius,quod tandiu non fit aufus applicare illam confidenter: cum non tantum pateat ei jus applicandi promiffiones, in Dei invitationibus ad credendum ; Sed etiam autoritas mandantis in hoc mandato, imponat neceffitatem accedendi ad Chriftum,conjiciendi fe in Chriftum, recumbendi in illum, & acquiefcendi in illo: Ne dubitet igitur æger, cum opus fe habere fentiat Chrifto,ipfum applicare fibi,eique firmiter adhærere, ut ex eo trahat vires ad fructus fidei ferendum & ad pergendum in obedientia nova ad falutem.

CAP. XXII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo propter suam præsumptionem in rebus prosperis & infidelitatem in adversis, & propter inertiam suam in utraque sorte compertam.

ALiqui Regeniti, licet nec sint inertes in vocatione sua, nec infructuosi in opere Domini, & agnitione Christi, in quæstionem vocantur tamen de Statu suo: quia, quando pace fruuntur Conscientiæ, suspicio oritur de fide sua, quod sit mera præsumptio; &, quando per tentationes quatitur ipsorum fiducia, suspicio oritur quod fidei luctantis infirmitas sit mera infidelitas; &, quando ex perturbatione aliqua animi sequitur indispositio ad exercitia Religionis, suspicio injicitur, quod fides (quam putabant se habere) sit plane mortua: quia, quando maxime opus est fructu, plane impotentes sunt ad fructus ullos producendum. *Quid hîc sentiam* (inquit æger) *de Statu meo; qui, quando non apparet hostis, securus sum; quando cum hoste congrediendum est, labasco; & sæpe quando ad Religionis exercitia vocor, confundor, stupeo & iners reddor?*

Ut huic tentationi obviam eatur, tres prædictæ dubitationis causæ tollendæ sunt. Quod ad primam attinet, nempe, suspicionem quod fides sit præsumptio. 1. Negandum non est, fiduciam carnalem in rebus prosperis venditare se pro vera fide; & in multis solere Regenitos (quod ad mensuram & gradus fidei attinet) seipsos fallere, à dextris simul & sinistris, existimantes fidem quietam, robustam esse; & fidem luctantem, debilem esse. 2. Certum etiam est, cum fide vera conjungi sæpe posse aliquam præsumptionem, & aliquando diffidentiam: quæ mala vim suam occultant, donec ad ignem probationis ventum fuerit. Quapropter ægro opus est discretione, ut rectum ferat judicium de Spiritus Sancti in se operatione, simul & de sua nativa corruptione: nam non condemnanda est fides vera propter imperfectiones; neque fides pro præsumptione habenda est, licet cum ea conjungatur præsumptio aliqua. Utque in hoc negotio facilius feratur judicium, tenendnm est, præsumptionem prævalentem, differre à fide, potissimum in his quatuor. 1. Quod præsumptio fundetur in imaginatione falsa; fides vero, Dei verbo nitatur: præsumens enim, illud sibi sumit quod Deus in verbo suo non dedit vel promisit: qui vero fidem exercet, Dei verbum respicit, ut rationem credendi ex eo reddere possit. 2. Præsumptio, otiosa est & negligens: fides vero observat Dei mandata, & diligens est in usu mediorum à Deo præscri-

ptorum. 3. Præsumens, non vocat in quæstionem Statum suum, vel conditionem suam, nec se examinat, ut noscat in quo Statu vel conditione sit: qui vero fidem exercet, diligenter seipsum examinat, ne se decipiat. 4. Præsumens, in omnibus actionibus & viis suis, sibi placet & plaudit: qui vero fidem exercet, propter malum in se compertum, sibi displicet, etiam in optimis operibus; & seipsum abnegat, ut à Deo ejusque gratia pendeat. Exploret igitur seipsum æger, ut fidem in se à præsumptione distinguat & discernat: quod si (post examen factum) comperiat se non separare Legem ab Evangelio, nec præcepta à promissionibus, nec finem à mediis; nec polliceri sibi vitam, cum ambulat in imaginatione cordis sui pravi, Sed, contra, compertum habet se conjungere quæ Deus conjunxit, & studere in timore Dei salutem suam perficere, Ne existimet fidem suam præsumptionem esse.

Quod ad suspicionem, quod fides nulla sit, quia debilis est in conflictu: Caveat æger ne tentationes Diaboli adversus se roboret. 1. Etiamsi enim debilem experiatur fidem suam, & minime respondentem vel suo ipsius voto, vel aliorum de seipso expectationi: Ne tamen extinguat linum fumigans, nec confringat arundinem compressam; Sed Christum sequatur, & humiliet se coram Deo ob defectus suos, & foveat in se scintillam fidei reliquam. 2. Etiamsi, in aliquo actu, vel in tentatione aliqua, præcedens præsumptio eum deceperit, (quod accidit *Petro*) & fides in lucta succubuerit, & hostis ad tempus prævaluerit, Ne putet propterea fidem suam vel nullam fuisse, vel prorsus defecisse, vel præsumptionem meram fuisse. Nam licet in Casu aliquo æger præsumendo ceciderit: fides tamen ejus non prorsus defecit, ut videmus in *Petro*. Discat igitur æger fidem suam læsam restaurare, fovere, & roborare, ut in probationibus forte futuris constantior & robustior comperiatur.

Quod ad suspicionem fidei mortuæ seu inertis, quando fructus requiritur, (ut in passionibus & animi perturbationibus & Conscientiæ pollutionibus accidit) Agnoscendum est quidem, iram & rixas impedire preces & Religionis exercitia, sicut innuit Apostolus, 1 *Pet.* 3. 7. quando jubet maritos humaniter alere & prudenter se gerere erga uxores suas, ne interrumpantur preces in familia, vel in secreto. Et, 1 *Tim.* 2. 8. Jubens viros precari in quovis loco, puras manus attollentes, absque ira & disceptatione. Agnoscendum etiam, non tantum iram, aliamque passionem vel praxin quamvis, quæ polluit Conscientiam, impedire posse exercitium Religionis & officiorum Christianorum præstationem, quandiu viget passio; Sed etiam certum est, quamviscunque animi perturbationem (etiamsi Conscientiam non attingat) impedire posse Religionis exercitium: quia rationis communis usum aliqua

liqua ex parte impedit, ut in cognitione damni accepti, vel læsione aliqua, vel metu à periculo imminente, usu venit. Verumtamen non sunt hæc argumenta fidei mortuæ, sed infirmæ, lapsæ, læsæ & morbidæ, quæ post interruptionem recuperat virtutem & vires, & ad operandum per dilectionem se accingit, & tempore suo fructus edit. Quapropter caveat æger, ne claudicet in via propter has tentationes; Sed rectas sibi faciat semitas, ne quod claudum est de via deflectatur: quem in finem, ne foveat suspiciones injectas; sed humiliet se in sensu adhærentis peccati; lavet se subinde in fonte, qui aperitur in domo *Davidis* ad purgandum peccatum; modestius se gerat in omnibus; sit cor ejus in timore Dei toto die; & circumspectius ambulet, quia experientia didicit tentatoris malitiam, peccati vires, & suam infirmitatem.

CAPUT XXIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo propter falsam aliquam regulam sibi applicatam.

NOnnulli Regeniti ex falsis regulis se judicantes, non tantum seipsos misere torquent; Sed etiam (quantum in ipsis est) falsas sententias de se ferendo, quicquid in se pietatis est, extinctum eunt. Nota autem, falsarum regularum per quas se judicant multi, est, persuasio de veritate axiomatis alicujus falsi, quod æger non poterit aliter confirmare, quam per assertiones confidentiores, quales sunt, *Proculdubio, Absque omni dubio, certum scio, mihi persuadeo,* & hujusmodi formulæ aliæ, quibus tanquam præfationibus utitur, quando falsæ regulæ suæ pronunciationem inchoat: solet enim æger dicere, (exempli gratia) *Proculdubio si essem Regenitus, aliter me haberem quam me habeo; Deum ardentius diligerem; mysteria verbi clarius perspicerem; non ita oblivi scerer beneficia Dei in me collata; gravius ferrem peccata mea, adversus Deum commissa; diligentior essem in opere Dei; humilior essem in omni conversatione mea;* & sic in aliis sexcentis suis ratiocinationibus. Eandem etiam rationem sequitur æger in examinatione operationum Spiritus Sancti in se, & singularum suarum virtutum Christianarum: *Proculdubio,* (inquit) *Si hæc gennina esset virtus, non esset ea in me quam sentio animi adjuncta aut consequens dispositio, verum me haberem sic, vel me haberem secus, quam nunc habeo: quia autē me non habeo sicut decet Regenitū, merito in quæstionem voco an sim Regenitus.*

nitus. Et hîc ostium aperitur Satanæ, ad omnia ignita tela sua contorquendum in miseram ægri animam; ebulliunt querimoniæ plurimæ; cessat gratiarum actio pro beneficiis acceptis; & denique, per diffidentiam & murmurationes provocatur Dei Spiritus ad iram.

Periculosum hoc malum est, non ægro solum, sed etiam aliis ægro familiariter utentibus, in quos facile serpit hæc morbi contagio: Sicut in castris Israelitarum murmuratio aliquorum, reliquam multitudinem inflammavit. Infirmus enim in fide audiens has querimonias, statim prosilit ad similes querelas, dicendo, se habere rationes multo graviores ad querimonias & lamentationes emittendas. Quare hortandus est æger, ut, priusquam judicium suum vel rationem judicii de se proferat apud alios, examinet apud se regulam, secundum quam de se judicavit, An vera sit universaliter sumpta, vel non. Hortandi etiam sunt ægri familiares, qui querimonias audiverunt, ut, quanto confidentius tenet æger falsam regulam pro indubitata veritate, tanto eum urgeant magis ad confirmationem assertionis suæ; & ut testimonium aliquod Scripturæ proferat, per quod probet indubitatum illud suum axioma, quod pro regula defendit. Quod si autem non inveniatur in Scriptura, vel forte allegetur aliquid ex Scriptura, sed non aliter quam Satan suas tentationes (ex Scriptura in alienum sensum detorta) solet allegare; Convincatur æger incredulitatis erga Deum, qui nil nisi vera loquitur: convincatur credulitatis erga Satanam, qui mendacia sua semper pro veritate venditat: convincatur etiam insipientiæ & imprudentiæ erga seipsum, & ingratitudinis notabilis erga Deum, quod & S. S. operationes, & suam obedientiam, sine causa in dubium vocaverit. Hortandus est & admonendus æger, ut serio se humiliet coram Deo propter insanam sententiam suam adversus Deum, adversus seipsum, & gentem totam sanctorum, pronunciatam; & ut caveat sibi ab isto malo in posterum.

CAP. XXIV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Regeneratione sua propter compertam cordis sui fraudulentiam.

ALiqui Regeniti, qui Deo in sinceritate cordis serviunt & Christo agglutinantur, doctrinam de dolo & fraudulentia cordis humani altius pensitantes, & considerantes quam multi sint qui se decipiunt in negotio fidei, Regenerationis, & justificationis suæ; Totum opus Conversionis suæ in quæstionem vocant; & verentur ne ipsi etiam comperiantur in numero subtiliorum

tiliorum hypocritarum, qui & se & alios decipiunt; &, in specie, metuunt ne apud Deum in censu eorum inveniantur, qui profitentur se per fidem ex sola gratia salvari, & tamen fidei suæ fundamentum nullum aliud habent præter vitæ suæ sanctitatem, & opera sua bona, quæ pro indubitatis signis novæ suæ obedientiæ, & fructibus fidei suæ in Christum temere judicant: rationem autem suspicionis suæ reddunt, quia in hoc errore securi vivunt & moriuntur: multi (quales Christus nobis describit multos fore) etiã Prædicatores Evangelii, qui sibi persuadebũt de justificatione & salute sua, & in hac persuasione securi vivent & morientur, nihil dubitantes quin Christus in die judicii pronunciaturus sit de iis secundùm votum suum & spem suam. De quibus nobis supponere licet, quod apertorum scelerum non fuerint conscii; Sed contra, quod Christianam fidem professi sint, & quod vitam in mundo irreprehensibilem egerint, & alios ad fidem Christi adducere conati sint: idque colligimus ex eo, quod fidem suam per aliquos fructus probare nitantur; Christum Judicem testantes, quod veram fidem Christianam professi sint, & alios non sine fructu docuerint: quibus tamen se responsurum dicit Christus, *Discedite à me operarii iniquitatis, nunquam novi vos.* Certum est deceptos esse hujusmodi professores & prædicatores fidei Christianæ à corde suo fraudulento. Quod, quoties considerat æger, toties attonitus stat & trepidat, & profitetur se nescire quid sentiat de Statu suo. *Metuo mihi (*inquit*) à corde meo, ne me deceperit, & etiamnum decipiat, sicut alii multi à corde suo decepti sunt.*

Dignus hic est vindice nodus, quem (sicut & reliqua omnia dubia) solus Spiritus Sanctus solidè & efficaciter potest solvere: certum enim est, multos esse, qui, religiosè educati, & à crassioribus vitiis & apertis scandalis liberi, nunquam resipuerunt de peccatis suis, nunquam sensu peccati originalis & pravarum cupiditatum onerati sunt. Alii etiam sunt, qui, lapsi in graviora peccata, compunctione & morsu Conscientiæ aliquandiu vexati sunt; sed de reliquis suis peccatis & innata concupiscentia minime soliciti fuerunt, satis habentes, si in graviora scandala postea non ceciderint. Illi se decipiunt, quod se non habere opus resipiscentiâ judicent, quia scelerum nullorum sibi sunt conscii: hi vero se decipiunt, quod dolorem suum de flagitio aliquo admisso putent esse resipiscentiam; licet se propter peccatum innatum, & pravas carnis cupiditates, & quotidiana peccata non judicent, nec humilient se coram Deo. Alii etiam se decipiunt, qui externa Religionis officia, & opera (in se laudabilia) nonnulla pro vocatione sua aut ex occasione præstantes, nihil dubitant quin hæc sint fructus fidei in Christum, & notæ certæ Regenerationis, licet ad Christum nondum sincere confugerint, licet ejus justitiam imputatam nunquam in pretio habuerint. Et hi quando fiducia in operibus

suis deberent se exuere, & in sensu peccati sui confugere ad fœdus gratiæ, seu, ad gratiam Dei in Christo oblatam, ut ex gratia mera salutem consequantur, & vires hauriant ex Christo ad bona opera præstanda. Aliam viam, imo, plane contrariam rationem sequuntur: nam officia quæ faciunt omnia, sive in conversatione cum hominibus, sive in exercitiis religiosis, aggrediuntur in fiducia virium suarum, iisque exercitiis peractis ita innituntur, quasi ex operibus illis justificandi essent. Merito igitur Christus dicet iis, *Nunquam novi vos*: nam in sensu injustitiæ suæ, nunquam humiliati sunt; justitiæ suæ nunquam renunciârunt; justitiam Christi nunquam in pretio habuerunt: vanâ tantum professione fidei in eum se sustentârunt, quasi Christus eos ex operibus fuisset justificaturus. Ignorantes enim justitiam illam Dei, quæ est per veram fidem in Christum, cum Israelitis (*Rom.* 10. 3.) stabilire fategerunt suam ipsorum justitiam ex operibus: Atque ita exclusi sunt à gloria Dei. Non est mirandum igitur, quod Regeniti infirmiores in fide, (hæc & similia præcipitia respicientes) perturbentur, & sibi metuant, ne simili aliquo errore abducti, seipsos decipiant, & ita pereant.

Periculosus valde hic est morbus: & quandiu non recte curatur, plurimum infestat tenera vitæ novæ initia, impeditque incrementum novæ creaturæ, ne adolescat in virum robustum. Primo igitur, hortandus est æger, ut prudenter examinet vitæ suæ anteactæ cursum, ne vel temerè se absolvat, vel temere se condemnet; & ut caveat, ne vitæ in melius mutatæ testimonia & indicia, quæ in se reperit, minoris faciat, propterea quod justitiæ ex operibus sectatores similia proferre possint. Secundo, attendat æger, an (post observatos vitæ suæ errores) Lex (ut Pædagogus) ipsum deduxerit ad Christum, aut, an Lex impulerit & etiamnum impellat ipsum ad Christum amplectendum: Similiter examinet, An Christus ipsum confugientem ad se, deduxerit ad obedientiam Legis, ex amore Dei, & sensu gratitudinis debitæ? An Christus impulerit, & etiamnum impellat Conscientiam ejus ad Legem observandam tanto diligentius, quanto majorem sentit se obtinuisse gratiam? Nam si aliqua mensura sinceræ resipiscentiæ, si aliqua mensura sinceri erga Christum studii, cum aliqua mensura obedientiæ novæ reperitur in ægro, solidum jactum est fundamentũ salutis ejus, & operationis Spiritus Sancti in eo non obscurum documentum datum est. Quod si in hoc examine non se expedit æger, sed adhuc hæret dubitatio, propter dolum cordis compertum, & per lucem doctrinæ accuratioris jam manifestum factum; Consilium damus ut humilietur in conspectu Dei, & ingenuè confiteatur nativam cordis sui pravitatem & fraudulentiam; & Christum in ulnis liberatorem ab hoc malo amplectatur, Deumque laudet, qui aperuit ipsi cordis sui dolum. Interim distin-

distinguat se ab hypocritis, in quibus regnat hic dolus, & fovetur & defenditur. Hypocrita enim audita hac doctrina de cordis nequitia, vel eam rejiciet & defendet dolum, vel,negabit malum hoc in se esse,ægreque feret,si ab aliquo convictus hujus peccati teneatur: contra autem facit Regenitus, quia etiamsi doleat quod dolus tandiu in ipsius corde latitârit ; gaudet tamen dolum cordis sui jam tandem deprehensum esse,& lubens tradit repertum latronem Domino suo Christo crucifigendum & abolendum.

Quod si neque hic satis habeat æger, nec adhuc quiescat; Sed magis magisque metuat, An in Christo sit, an in Statu gratiæ, an sit Regenitus, idque propter fœditatem ulceris purulenti,jam gladio Spiritus aperti : Caveat ne quæstionem determinet contra se; seu, ne affirmet nullam esse in se renovationem inchoatam, vel, se non esse in Statu gratiæ; Sed suspendat disputationem & (quod omnibus per Legem condemnatis primo faciendum est in suæ Conversionis initio) ad Christum quam ocyssime confugiat, in sensu fœditatis suæ ad Christum (inquam) qui justificat impium per fidem ; tantoque arctius apprehendat Mediatorem, quanto metuit magis Deum severum Judicem : Hæc enim solida & unica est ratio ad perseverandum in fide, ad superandas dubitationes,ad profligandum hostem, & curandum vulnus per tentatorem inflictum. Ei enim , qui in sensu peccati sui,male-meriti sui, & impotentiæ suæ fugit ad Christum,Christus nunquam est dicturus, *Secede à me,nunquam novi te.* Ubi autem æger jam demum apprehendit Christum, & munivit arcem fidei suæ, & exclusit tentatorem, qui, calumniando,& in quæstionem vocando Dei opus præteritum , studebat ægri fidem labefactare in præsenti, ne unquam convalesceret in futuro: victoriâ (inquam) jam partâ, redeat æger ad examinationem Statûs sui, fidei suæ , & Regenerationis suæ: & jam omnia cernet clarius multo, quam in hora tentationis & tenebrarum perspicere poterat: Atque ita confirmatior in fide redibit ab hac pugna; & de opere Dei præterito in se, multo erit certior , quam ante tentationem fuerat.

CAPUT XXV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo propter violatum (ut putat) fœdus gratiæ.

QUidam Regeniti, etiamsi nihil dubitent quin pœnitentes accedentes ad Christum admittantur in favorem Dei, justificentur à peccatis, & jus habeant in privilegia sanctorum omnia;dubitant tamen an ii,qui semel in fœdus gratiæ admissi fuerunt in spiritu, in fœdere sint permansuri. Et hunc errorem sibi applicant : nam ubi vim peccati (in seipsis quasi dominantis) experti

experti ſunt,& conſcii ſunt relapſuum ſuorum in priſtina peccata, & ſciunt naturam ſuam depravari, & ad porro peccandum pronam eſſe, Dubitant an hæc conditio conſiſtere poſſit cum Statu gratiæ, & ſuſpicantur ſe excidiſſe etiam fœdere gratiæ externo: quando enim extra dubium poſuerunt ſe violaſſe fœdus gratiæ, verentur ne Deus in juſtitia ſua jam toties exacerbatus, tandem diſſolverit fœdus: Nec enim æquum eſſe cenſent, Deum ex fœdere alligari iis, qui fœdus toties violarunt, & porro violare propenſi ſunt. Sed ſicut *Adam* peccando excidit omni fœderis beneficio; Sic juſtum eſſe æſtimant ejici ſe è fœderatorum numero: Et hîc hærent miſeri, incerti quid agant. In qua conditione conſtitutis,ſuperveniunt horrendæ tentationes & ſuſpiciones graves, quod ſint jam in caſu *Eſaui:*qui, cum vendidiſſet primogenituram ſuam,& prætuliſſet gulæ ſuæ voluptatem benedictioni divinæ,non invenit locum pænitentiæ, etiamſi cum lachrymis poſtulaverit. Quomodo autem in hac conditione habitura ſe ſit anima ægri, facile eſt ei (qui iræ divinæ ſenſum & Conſcientiæ torquentis dolorem aliquando expertus eſt) judicare: Potiſſimum autem dubitatio vexat, quando æger jam ſæpius ſe abuſum fuiſſe Dei gratia perſpicit. Quid enim (inquit) faciam? An polluam me, & lavabo me,& rurſum me polluam & lavabo; atque ita de die in diem reatum augebo? Quid eſt, ſi non hoc eſt,gratia abuti? Ut huic malo remedium offeratur, Confitendum eſt quod certum ſit multos eſſe, qui, poſt Conſcientiæ cruciatus aliquos, carnali quadam pænitentia ducti, lachrymis ſuis ſe laviſſe labem peccati præteriti putantes, & Conſcientiæ pacem qualemqualem lachrymando recuperantes, ſe inter Regenitos numerant: qui tamen (cum Chriſto minime inſiti ſint,niſi cortice-tenus,ſcilicet,per profeſſionem externam & falſam ſuam de ſe conceptam opinionem)non poſſunt ſtare adverſus tentationes & illecebras ad peccandum; Sed facile revocantur in ſervitutem à priſtinis ſuis cupiditatibus, quibus antea ſervierant.Nec negandum eſt, Regenitos in ſecuritatem carnalem incidentes, & in peccata priſtina relabentes,duriter caſtigari ſolere: non enim mirum eſt,eos qui pace Dei ſemel ſunt donati,poſtquam gratia Dei ad laſciviam abuſi ſunt, oſſium fracturam cum *Davide* (*Pſal.*51.) experiri. Quod attinet igitur ad eos, qui in aperta ſcandala incidunt,vel,in vitia recidunt quæ totum hominem polluunt: Conſultiſſimum eſt,ſive Regeniti ſint, ſive non, ut, miſſa longa diſputatione, fuerintne prius Regeniti necne, ſtimulentur ad magis ſeriam humiliationem ſui coram Deo,& ad altiorem inquiſitionem in naturæ ſuæ pravitatem, & in peccatorũ ſuorũ actualiũ atrocitatem,ut ad Chriſtum confugientes renoventur ad reſipiſcentiam & novam obedientiam. Quod autem ad eos attinet,qui non incidunt in aperta & graviora ſcandala; verum luctantes adverſus peccatum,

catum, non obtinent quam vellent aut sperabant victoriam: & utut non serviunt peccato, intus tamen polluuntur sæpius in lucta, & se reos violati fœderis existimant. His responsum volumus, quod unaquæque transgressio mandati non sit violatio fœderis: aliud enim est violatio officii in fœderato requisiti: aliud vero violatio & dissolutio fœderis: siquidem in fœdere cautum est, ne quis despondeat animum etiamsi peccaverit. Nam ex articulis fœderis, hic unus est, quod Deus sit remissurus peccata fœderatis confitentibus peccata sua, & implorantibus misericordiam Dei in Christo promissam, *Jer.* 31.32. Utque amplior huic responsioni fiat fides, audiendus est Apostolus (1 *Ioh.* 2.1) qui, disertis verbis (in consolationem eorum qui apud se statuerunt cavere sibi à peccato, nec amplius abuti Dei gratia ad licentiam carnis) dicit, *Hæc vobis scribo, ut non peccetis: quod si quis* (nempe ex fidelibus studiosis sanctitatis) *peccaverit, habemus Advocatum apud Patrem, Iesum Christum justum illum.* Atque hic articulus fœderis de Remissione peccatorum iteranda pro necessitate fidelium resipiscentium, facit ut fœdus gratiæ sit perpetuum & sempiternum: & in hoc differt fœdus gratiæ à fœdere operum. Nec tamen hic aperitur ostium peccato; sed præcluditur ostium desperationi, ne resipiscentes peccatores animum despondeant. Nec solvitur hac ratione aut laxatur studium novæ obedientiæ, seu, studium Deo placendi; Sed tantum servilis metus in obediendi modo tollitur: & arctior nectitur nodus dilectionis & amoris erga Deum propitium, quo constringatur & urgeatur fidelis ad Deo serviendum hilarius: qui amor, prout crescit & augetur indies per fidei incrementa, & per manifestatæ divinæ erga se gratiæ experientiam, timorem servilem expellit, sicut testatur Apostolus, 1. *Joh.* 4.18. Quapropter hortandus est æger. 1. Ut studeat rectè intelligere fœderis novi naturam, ejusque articulos omnes. 2. Instituendus est, quod nulla utilitas redundatura sit ipsi per exclusionem sui à fœdere: sed quod per constantem & firmam apprehensionem Christi in fœdere oblati salus obtinenda sit, & quod, in quavis cunque conditione deprehendatur æger, præstet semper ad Christum appropinquare, quam ab eo recedere: quia peribunt omnes qui à Deo longè recedunt, sicut dicit Psaltes, *Psal.* 73.27.

CAPUT XXVI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo: quia neminem ex Sanctis sui similem esse aut fuisse putat.

QUidam Regeniti, dum cupiunt fidem suam fulcire quibuscunque possunt rationibus, & student in acie accincti stare adversus omnem adversarii vim & fraudem, quando contemplantur fidem, affectus, studia, & conversationem sanctorum, partim contemporaneorum, partim in Scriptura nominatorum, statim (quasi machina aliqua perculsi) concutiuntur metu, ne aliquando comperiantur extra numerum censumque verè Regenitorum: idque quia perspiciunt se illis valde esse dissimiles, e. g. cum audiunt ea quæ *David* de se dicit in Psalmis, (potissimum, *Psal.* 119.) comparantque se ad normam fidelis servi Dei in Scriptura propositam, tam longe abesse sibi videntur ab eo studio erga Dei Verbum, ab ea fide, ea diligentia, ea sinceritate, patientia, fortitudine in malis, & dilectione erga Deum quæ in exemplari comperiuntur, ut pudeat se sancti vel fidelis servi Dei nomen sibi assumere. Ex eo etiam fonte est, quod promissiones Dei fidelibus factas in Scriptura non audeant sibi applicare. *Quis sum ego* (inquiet ex his aliquis) *qui ista mihi arrogem? quod si essem huic vel illi sancto similis, possem in consolationem meam, quæ illis dicta sunt, trahere: nunc autem non aliter ea applicare ausim, quam ad convictionem & peccatorum meorum exaggerationem?*

Quæ objectio ut solvatur, Agnoscendum est, quod comparatio nostri cum regula perfectionis in Scriptura, & cum præstantioribus Dei servis, recte instituta, admodum utilis sit: quando enim comparamus vitam nostram cum regula, metam observamus ad quam contendere debemus; & quando comparamus nos cum sanctis, mensuram perspicimus, ad quam aliqui, ad metam contendentes, jam pervenerunt, & ad quam nos pervenire poterimus. Utilis etiam est utraque comparatio, ut humiliemur: nam, ex comparatione, observantes quam longe abfimus, non tantum ab absoluta perfectione quæ in hac vita est impossibilis; Sed etiam à gradibus perfectionis comparativæ in hac vita possibilibus, non potest non diminui nostri apud nos æstimatio. Utilis denique est hæc collatio, quando ad renunciandum justitiæ nostræ inhærenti, & ad amplectendum arctius justitiam Christi imputatam ex comparatione facta stimulamur, secundùm exemplum Apostoli, (*Philip.* 3.8,9.) qui omnia existimabat nihili, & lubens jacturam faciebat justitiæ propriæ, ut lucraretur Christum, & comperirietur in eo, non habens suam justitiam, sed eam

qua

quæ est per fidem Christi. Noxia autem est comparatio, quando ex comparatione perspicientes quam longe absimus ab officio, mensuram eam quam assequuti sumus nihili æstimamus; vel, quando ex comparatione animum despondemus,& currere vel ambulare in viis Dei desinimus, & desperamus nos pervenire posse ad metam, quam aliqui assequuti sunt, qui in vitæ sanctitate nos præcesserunt. Quapropter. 1. Hortandus est æger, ut confirmet quod reliquum in se comperit, licet exiguum sit, ne intermoriatur & extinguatur linum fumigans. 2. Monendus est, ut consideret varios esse gradus fidei, varias mensuras doni divini, varias ætates hominis Christiani; & quod non sint eadem officia in eâdem mensura ab infirmis pueris & inexpertis, & ab adultis robustis & expertis requirenda. 3. Recordetur æger, quod nihil datum sit, nihil promissum, nihilque factum Sanctis in Scriptura, ex ipsorum dignitate vel merito, Sed ex Dei gratia mera; & quod prædicta dubitatio orta ex comparatione (de qua dicebamus) præsupponat contrarium, nempe, Deum nobiscum agere ex dignitate personæ & operum uniuscujusque: Cur enim alioqui despondet animum æger, nisi quia indigniorem & minoris meriti hominem se existimat,quam fuerunt illi Sancti cum quibus se comparabat? 4. Quo se imperfectiorem videt, & indignum magis qui inter sanctos numeretur, tanto se altius abdat in sinum gratiæ, tanto apprehendat magis justitiam Christi imputatam, eâque se induat, tantoque adhæreat Christo arctius, ut ex eo ampliorem mensuram Spiritus Sancti nanciscatur, qua valeat uberiores fructus ferre,& ad Sanctorum affectus vitæque ipsorum rationem propius accedere. 5. Denique consideret æger vivendum nobis esse secundùm regulas nobis in Scriptura positas, etiamsi praxin uniuscujusque regulæ in aliquo exemplo descriptam non habeamus. Sic fidem suam munivit *Jobus*, quando objiciebatur ei ab amicis, quod conditio ejus non fuerit similis ullius Sancti exercitio, *Job*. 5. 1. Adde quod experientia omnium Sanctorum sciri nullo modo poterit, nec (si sciretur) in omnibus nostræ experientiæ ita quadraret ullius experientia, quin æger aliquam differentiam esset excogitaturus.

CAP. XXVII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo bono propter conditionem suam frequentissime malam.

Regeniti aliqui, ex præsenti sua conditione mala de Statu suo perperam judicantes, in dubium vocant Regenerationem suam, quasi, cum conditione mutata,status etiam mutaretur. Et hîc, pro varietate conditio-

num malarum,in quibus possunt Regeniti esse, quorum status semper est bonus,latè se diffundit campus plurimorum ferax Casuum, in quibus Regeniti solent de Statu suo dubitare : nulla enim est *conditio*, in qua infirmus in fide malè se habere solet respectu rerum spiritualium, quæ non suppeditabit argumentum aliquod ad *Statum* suum in quæstionem vocandum : potissimum, si ea conditio diuturnior fuerit, aut, post luctam aliquam, difficilius removeatur. Nos autem contenti erimus, exemplum unum pro multis proponere. Audias aliquando infirmum in fide dubitantem an sit in statu gratiæ : quia (sicut ipse judicat) plerumque observat se cessatorem in opere Domini, plerumque quasi formam solam Religionis se habere, sine affectu cordis,sine virtute laboriosa & efficaci ; plerumque pravis affectibus se quasi in transversum rapi; & plerunque se omnia quæ præstat officia, non nisi cocoactum præstare, non nisi urgente Conscientiâ,ut faciat,& minitante,nisi obediat; & non nisi raro se hilariter quicquam agere quod bonum est , sed affectu non ad modum voluntariæ oblationis vel Sacrificii eucharistici composito servire Deo , non sicut exigit Dei gratia, non sicut Regenerationis natura in obedientiæ ratione postulat. *Quid ergo sentiam* (inquit æger) *de meo statu,qui conditionem meam, non modo variabilem,sed etiam plerunque malam,& peccato plurimo pollutam, imo onustam perspicio* ?

Resp. Verum quidem est officia à Deo præcepta, potissimum externa, à multis præstari ex principiis merè carnalibus : multi enim ea faciunt, ut gratiam hominum captent,ut nomen impiorum vitent, vel,ut acquirant æstimationem apud bonos, vel ob similem aliquem finem, quomodo crassi hypocritæ omnia faciunt. Idem etiam accidit iis omnibus, qui student suam justitiam stabilire,& Deum quasi obligare ad promissam mercedem dandam ex debito : Et hîc fatemur cautione magna opus esse in officiorum præstatione. Verum etiam est non sufficere ad probandam Regenerationem, ut quis agat ex metu iræ, vel, ex spe evitandi incommoda illa quæ ex peccatis sequuntur. Sed neque sufficit ad Regenerationem improbandam vel negandam,quod ex metu aliquis studeat præcepta Dei custodire : siquidem non frustra minas addidit Deus præceptis & hortationibus suis; Sed ut essent instar calcarium ad virtutem, &,ut frænum, ad coercendam naturæ vitiosæ inclinationem.Et id palam profitetur Psaltes, (*Psal.*119. 120.) cum affirmat carnem suam, terroribus Dei,& judiciorum ipsius consideratione,affectam fuisse. 2. Fieri potest, & solet, ut recens conversi, nondum plane liberati à spiritu servitutis, metu servili aliqua ex parte constricti teneantur , Deo sic dispensante de negotio salutis ipsorum in optimos fines. In qua conditione hactenus laudandum est studium ægri, quod metuit Dei judicium & iram , quia affe-

ctus sui non attolluntur ad Deum à rebus mundanis, ad spirituales rationes tenendas in omni cultu & obedientia. 3. Fieri potest & solet ut non ita pridem aliter se habuerit æger: & forte non ibit inficias, quod ex fide, ex dilectione Dei, & ex virtutis amore hilariter versatus sit non ita pridem in omni opere Domini; licet, in præsenti conditione, sub tentatione, sub afflictione, & desertionis aliquo gradu laborans, sentiat vincula peccati efficientis ut ægre ambulet in viis Dei. 4. Etiamsi querela hæc ægro videri possit justissima: non invenietur tamen post examinationem usquequaq; talis, qualis ægro lamentanti & in dubium Statum suum vocanti apparet: ipse enim dolor, de absentia dilectionis erga Deum, & hilaritatis seu voluptatis in Dei servitio, arguit voluntatem ægri erga Deum, & sincerum ejus desiderium præstandi officia omnia externa & interna ex principiis spiritualibus, in fines spirituales, & modo spirituali, sicut Dei gratia & Regenerationis natura postulant. 5. Quod vero attinet ad alias conditiones peccato magis inquinatas: Interrogandus est æger, An non ægre ferat, sicut sua, sic aliorum peccata; & doleat toties offendi Deum & à se & ab aliis, idq; partim ex dilectione erga peccantes, partim ex zelo Dei? Interrogetur etiam, An non despiciat in corde suo profanos qua tales, & Dei osores, utut vinculis forte naturalibus vel civilibus sibiipsi devinctos & conjunctos? Si fateatur æger rem ita se habere, inficias ire nequit quin Dei gloria sit ipsius voluptas, quando peccata & sua & aliena sunt ipsius dolor & mostestia. Atque ita evincitur, molestiam quam sentit æger in bonis operibus, non oriri ex eo quod non delectetur in Dei servitio; Sed ex eo quod non possit præstare officium, sicuti maxime vellet & optaret. Quapropter hortandus est æger, ne fatiscat in officiis præstandis; Sed pergat ea sedulo facere, & sive metus iræ urgeat, sive Conscientia necessitatem quandam imponat, ne desistat ab officio. Deinde, comparet conditionem suam præsentem cum præterita: & si aliquando cum delectatione incubuit officio præstando, humiliter expectet mutationem conditionis suæ in melius; & oret Deum cum *Davide*, ut Deus ipsum vivificet, & cor suum dilatet ut in viis Dei currat. Denique, Monendus est, ut fœdus gratiæ apprehendat eo fortius, quo sua conditio sibi displicet magis; & observet studiose efficacem dilectionem Dei erga se in Christo, qui peccatum sibi fecit odiosum & molestum, Deoque eo nomine gratias agat.

CAPUT XXVIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ dubitantis de Statu suo propter imaginationum cordis sui impuritatem compertam.

ALiqui Regeniti, etiamsi à pollutionibus quæ sunt in mundo mundati sint,& absque scandalo conversentur in mundo irreprehensibiles, Dubitant tamen de Statu suo : quia imaginationum suarum & cordis sui impuritatem tantam esse sentiunt, ut cum ea veram fidem minime consistere posse putent : idque partim, quia Scriptura dicit fidem *purificare cor :* & partim, quia *Jacobus* impossibile existimat, ut simul ista consistant : cap. enim 3. ver. 11. *Poteritne* (inquit) *unus idemque fons salsam & dulcem aquam emittere? Quod enim* (inquiet æger) *ad me attinet: cor meum* (ut mihi videtur) *pollutissimum est : nam, quotidie ex abundantia impuritatis quæ in eo est, efficit* (*instar turbati maris*) *cænum & sordes. Qua igitur ratione me inter sanctos censeam ? vel, in albo Regenitorum nomen meum inscribi putem ? Qua ratione mihi promissiones de justificatione applicabo, qui promissiones de sanctificatione frustra mihi ipsi applicuisse videor ?*

Multa superius dicta sunt quæ morbo huic levamen aliquod afferre poterint : Sed quia unum idemque malum alia atque alia specie sæpius ægro se offerre solet, eique novum dolorem subinde creare potest, Solvendum etiam est hoc dubium, sub hac specie propositam. Primo igitur interrogandus est æger, An possit cum Psalte, (*Psal.* 66. 18.) affirmare, se non fovere iniquitatem in corde suo, vel, se non delectari in ea ? An peccatum (de quo conqueritur) erumpat in verba aut actiones externas ? Aut, si claustra foresque aliquando ruperit, An januam ipsi aperiat, ut qua data porta ruat? Multum enim interest, sitne aliquis venditus peccato & captivus ab eo ducatur, An vero se vendat peccato eique ultro serviat ? Nam non est dubium, quod Regenitus possit (cum *Paulo* lamentante, *Rom.* 7.) vim peccati intus furentis experiri, & cum eo clamare, *Me miserum, quis me liberabit* ? Secundo, ubi peccatum non regnat, sed lucta cernitur inter carnem & spiritum, (licet sæpius alternante victoria) Solvendus erit ægro scrupulus ex non satis solide intellecto Apostoli dicto ortus, *Quod fides purificet cor.* Non dicitur fides purificare cor, quasi, qui cordis impuritatem experitur, non habeat fidem ; Sed dicitur fides purificare cor. 1. Quia, per aspersionem judicialem sanguinis Christi Conscientiæ applicati per fidem, justitiam Christi & Remissionem peccatorum habet fidelis : siquidem (in hoc sensu) Christi sanguis mun-

mundat nos ab omnibus peccatis. 2. Fides purificat cor, puritatis sincerum studium excitando, sanctimoniā hauriendo ex Christo, & efficiendo ut contra impuritatem cordis luctemur, eam foras ejiciamus, bellumque adversus impuritatem ad victoriam plenam prosequamur: cujus luctæ bellique continuati indicium est hæc ipsa ægri dubitatio, querimonia & anxietas. Similiter, locus ille *Jacobi*, non ita accipiendus est ac si ex corde vel ore Regeniti non possent aliquando corruptæ cogitationes & sermones putiduli erumpere: Ipse enim testatur nos omnes in multis peccare: Sed sensus est, hominem istum non posse esse Regenitum, ex cujus corde & ore sermones corrupti, cum effræni licentia, ebulliunt, & fluxu ordinario (ubi datur occasio) scaturiunt: in tali enim homine peccatum regnat; & macula ejus, non est macula Filiorum Dei.

CAP. XXIX.

De Casibus minus permanentibus.

FUerunt Conscientiæ Casus aliquot graviores, permanentiores & magis fixi: in quibus hæsitare, commoveri, angi & vexari solent multi Regeniti circa statum suum, dubitantes An sint Regeniti, seu, in Statu gratiæ. Quibus addi possunt alii plures, prout occurrunt; & Casus etiam minus permanentes: in quibus Satanas, quasi injectis ignitis telis, subito adoriri solet fidelium animos, præcipuè infirmorum, seu, minus exercitorum, eorumque Conscientias turbare. De his non opus est ut prolixius agamus: sufficiet enim, ad institutum nostrum, locos aliquot hujusmodi fallaciarum indigitare, & instantias aliquas nominare, ex quibus judicium de reliquis fieri poterit.

2. Aliquando Satan subitò injicit terrores, accusando, condemnando, minitando, pseudoprophetam agendo, falso prædicendo perditionem fidelis animæ inevitabilem esse & certissime futuram: imo vero audebit aliquando αὐτοκτονίαν inevitabiliter ab ægro admittendam ingeminare, nulla allata ratione, nulla probatione oblata: sed quemadmodum solent scurræ, sycophantæ & calumniatores audacter convitia conjicere in eos, cum quibus rixantur, ut aliquid hæreat. In hoc Casu. 1. Attollenda est patientis anima ad Deum, cum petitione ut increpet adversarium. 2. Opponendum scutum fidei. 3. Contemnendus postea hostis, & obturandæ quasi aures adversus ipsius suggestiones. 4. Convertendus animus ad aliquod pium vel honestum negotium, pro patientis vocatione: aliud enim est nobis quod agamus, quam ut disputemus cum Satana. Si Deo visum fuerit exercitium hoc continuare,

&

& Casum permanentem reddere, Submittat se æger divinæ voluntati; nec tam festinet à molestia exercitii liberari, quam officia Christiana, quæ Deus ab ipso in hoc Casu exigit, præstare.

3. Aliquando Satanas blasphemias suggerit importunè,& latrat adversus Deum, adversus Scripturas, & omnia vel præcipua Religionis fundamenta: Atque hæc obtrudit omnia (quæ sunt ipsius venenata tela) quasi essent patientis peccata. In hoc Casu. 1. Respiciendus est adversarius ut insanus tyrannus, deturbatus de throno quem per naturam tenebat in patiente; vel tanquam Leo rugiens, obambulans, quaqua potest ratione quærens, ut ereptum sibi agnum ad se retrahat & devoret. 2. Humiliandus est animus ægri coram Deo in agnitione originalis peccati, per quod, nos omnes ut hostes Dei, sumus parati ad blasphemias illas fovendum, & contra Deum omni ratione militandum. 3. Confugiendum ad Mediatorem, & amplectendus in ulnis fidei Iesus Christus, ut sub ipsius alis patiens justificatus & Reconciliatus recumbat. 4.Sicut confidenter contradicendum est blasphemanti Diabolo; Sic etiam Deus (benedictus in secula) tanto magis laudandus quanto magis adversarius eum blasphemat. 5. Accingat se patiens (pro vocatione sua) ad aliquod opus à Deo præscriptum, & latrantem Satanam despiciat,& missum faciat.Si vero Deo visum fuerit hoc exercitium continuare, & Casum permanentem reddere: Ne agnoscat æger, tentationes & calumnias Diaboli esse sua peccata; Sed distinguat molestiam suam à peccato alieno: & ex molestia,quam ex his tentationibus & falsis criminationibus capit, probet se alienum esse ab illis peccatis; & se militare sub vexillo Christi contra impurum Spiritum & stare à Dei partibus, quatenus abominatur suggestiones illas Diaboli & contra eas dimicat. Interim, caveat sibi æger ab impatientia, infidelitate, murmuratione aliisque peccatis, quæ clam insinuantur per novas alias suggestiones. In quo Casu magis ægro metuendum est à dolo, quam à violentia adversarii: & unicum remedium hîc est ut æger renovet resipiscentiæ suæ & fidei actus, peccata sua omnia respiciens, & ad Christum Liberatorem fugiens: nam si æger sic se gesserit, quomodo se gessit in Conversione ad Deum, frustrabitur Satan & fugiet.

4. Nonnunquam in lectione vel auditione Scripturæ, si quid dicatur importans Dei iram vel judicia, contra improbos & Dei osores, statim illud applicat accusator fratrum infirmo in fide,quasi, divina autoritate,designatus fuisset æger ad hoc judicium, dicendo, *Tu es homo*. In hoc Casu consideret patiens, quod ea, quæ in Scriptura habentur de maledictione Legis, dicantur adversus eos, qui sunt sub Lege; qui (scilicet) non resipuerunt, non confugerunt ad Christum,& peccato non renunciarunt: Non vero adversus eos,

qui,

qui, ut à peccati jugo liberentur, confugerunt ad Christum & jugum ipsius susceperunt.

5. Aliquando Scripturam in sensum alienum detorquet Satan, ut vulneret infirmum in fide: e. g. (*Rom.* 14. 23.) dicitur, *quisquis dubitat, damnatur si edat, &c.* Tu multa fecisti, de quibus dubitasti an licita fuerint: Imo vero Sacramentum cœnæ Dominicæ cum dubitatione edisti. Ergo, tu damnatus es. Item (1 *Cor.* 11. 29.) dicitur, *Qui edit Panem Domini, aut bibit poculum Domini in Sacramentis indigne, edit & bibit sibi ipsi condemnationem.* Tu indigne edisti (inquiet Satan:) quia indignus es. Ergo, tu edisti condemnationem. In hoc Casu, expedit ut Patiens, de sensu Scripturæ illius quæ objicitur, interroget Pastorem, vel fidelem aliquem amicum, Scripturæ consultum, ut nodus solvatur per Scripturæ istius sanam expositionem: e. g. in priori loco ostendatur non intelligi sententiam Judicis executionem mandantis, ut sine misericordia dubitans, & comedens, in infernum detrudatur; Sed tantum intelligi sententiam Legis, de merito peccati secundum Legem, nempe, quod is, qui edit dubitans an res licita sit, peccaverit: Atque ita ex sententia Legis damnas sit, seu, secundum meritum, reus mortis factus sit. Verum hæc Scriptura non excludit reum à Resipiscentia & misericordia, si in hoc genere se peccasse perspexerit. Itidem, ostendatur non edere unumquemque indigne, qui sensit se indignum esse; Sed eum tantum indigne edere, qui, opere suo, declarat Sacramentum, & rem Sacramenti, rem indignam esse, seu, qui profanè se gerit in negotio communicandi sacris, quasi commune seu profanum esset Sacramentale hoc Dei Convivium: Nam is edit judicium, qui, edendo profanè, meritum condemnationis, seu, reatum contrahit, & sic accersit sibi judicium; & tamen, peccato hoc admisso, non propterea excluditur à misericordia; sicut patet ex Apostoli hortatione ad istiusmodi homines facta, *ut se judicent*, ut ita judicium meritum præveniant & vitent, 1 *Cor.* 11. 31. Et sic in similibus tentationibus se expediat æger.

6. Nonnunquam Veterator ille adoritur fidelem deprehensum sub reatu alicujus peccati, sub fidei probatione, vel tentatione aliqua, sub desertione, sub afflictione, sub sensu iræ, vel eclipsi consolationum divinarum; quando Deus jam abscondit faciem, & videtur servum suum tractare quasi adversarium, vel in simili aliquo casu constitutum; invadit (inquam) & studiose suggerit suspicionem, quod fides ipsius jam nulla sit; quod nihil sit fides ægri, nisi vana de fide opinio; vel quod Deus nec diligat, nec dilexerit, nec dilecturus sit eum &c. In quibus Casibus, humiliari oportet patientem & ad Christum fugere, fœderi gratiæ mordicus adhærere; tempus visitationis

suæ, tempus tentationis & probationis suæ à Domino, discernere; & patienter expectare, donec Sol justitiæ post noctem illam oriatur in corde ipsius. Sic enim hortatur Spiritus Dei, *Isa.* 49. 10, 11. Et promittit non frustra fore, si fecerit, *Hos.* 6. 3. *Isa.* 40. 31. Si Casus hic permanentior fuerit, idem est remedium. Denique, (ne diutius quam instituti nostri ratio requirit, in fraudibus & dolis innumerabilibus callidi Serpentis enumerandis immoremur) sufficiat monuisse nullum esse tempus, in quo securi esse possimus ab ejus vel insidiis, vel aperta invasione; nullum esse negotium, in quo Venator non tendit nobis retia, ut incautos trahat in peccatum, & deprehensos in peccato divertat à via recta, ne Christum adeamus; nullum esse tempus in quo non dat operam, ne nos totos Christo committamus, ne ab eo toti pendeamus, ne eum in omnibus imploremus, ne ipsi gloriam recte factorum in solidum tribuamus, ne in eo ut uno vero deo cum Patre & Spiritu acquiescamus ut in summo nostro bono. Quapropter semper oportet nos intentos esse ad obediendum hortationi Apostolicæ, *Ephes.* 6. 10, 11, 12, 13. *Quod superest, fratres, corroboremini per Dominum & forte ipsius robur: Induite universam illam armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli, &c.*

CAP. XXX.

De Casibus mixtis.

SUperioribus Casibus addi possunt Casus mixti, qui accidunt quando fidelis male habet ab animo pariter & corpore, & quando Conscientia ejus laborat sub inquietudine & incertitudine de Statu suo. Horum Casuum causæ, partim naturales, partim spirituales sunt, uti videre est in Melancholicis: Nam sicut non est dubitandum quin multum possit Melancholia in irregenitis, præsertim, ubi Satan permittitur se in Angelum lucis vertere; Sic non est dubitandum quin multum etiam possit atra bilis in Regenitis, qui morbis corporis & tentationibus Satanæ non minus obnoxii sunt quam irregeniti. Satis notum est, quod, tristitia, silentium, pauciloquium, affectatio solitudinis, cogitationes altæ de rebus tristioribus; sermones de metu perditionis suæ, de ira Dei, de peccato & similibus, Etiam in irregenitis speciem præ se ferant indiciorum resipiscentiæ, quibus & ipsi Melancholici, & alii de ipsis judicantes decipi poterint. Et notum etiam est, querimonias sanctorum, in afflictionibus gravioribus diu jacentium, in spiritus angustia constitutorum, & sententias de seipsis duriores ferentium, speciem impie-

tatis

tatis & desperationis præ se ferre, & male judicandi de ipsis ansam auditoribus præbere.

2. Quam strenuè Satan præstigiatorem agere noverit, (præsertim ubi accedit ecstasis melancholica) videmus in *Saule* Israelitarum Rege, qui, agitatus ab Angelo malo seu impuro Spiritu, in media domo sua prophetabat, 1 *Sam.* 18. 10. Et experientia compertum est nonnullos fuisse, qui, quandiu mentis compotes manebant, rudes & ignari admodum rerum divinarum comperiebantur: statim vero quando ecstasi melancholica corripiebantur, multa loca Scripturæ recitasse; & quasi precatos esse, multaque argumenta (quasi luctantes cum Deo) in precibus exhibuisse: quorum argumentorum & precationum nec memoriam nec sensum tenebant, quando ad se redierunt. Et contra, experientia compertum est, quantopere abusus sit Satan phantasia aliquorum Regenitorum, febri acutiori vel phrenesi correptorum; & quam indignas voces, de se, de Deo & rebus divinis (Satana suggerente) emiserint Regeniti: nam neque electos neque Regenitos omnes exemit Deus ab hujusmodi afflictionibus; Sed, morbos, & mala ad corporis humorumque intemperiem spectantia, & probis & improbis voluit esse communia: nam omnia omnibus pariter accidunt, ut ex iis neque odium neque amorem Dei quisquam dignoscat, sicut testatur *Ecclesiastes*, cap. 9. ver. 1, 2. Cujus rei exemplum etiam habemus in *Jobo*, qui, in æstu febris suæ (quasi insanus & desperabundus) exclamat, Deum hostem sibi factum esse; sagittas omnes suas in ipsum ut hostem torquere: mortem intemperanter expetit, & diei natali suo verbis acerbissimis maledicit. Quorum sermonum quando accusatur *Jobus* ab amicis; & arguitur ex his, quasi improbus fuisset: excusationem affert, quod non fuerit mentis compos, quando eas voces effutivit, *Job.* 6. 26. *An* (inquit) *reprehendere verba mea cogitatis, & ventilare sermones hominis desperati?*

3. Sed nos hîc neque de Melancholicis in genere, neque de irregenitorum Melancholia agere statuimus: longiorem enim tractatum, & Medicorum simul & Theologorum operas conjunctas, ea res requirit, ut recte aperiatur. Nobis res est cum Regenitis solis: & quando de mixtis Casibus agimus, (in quibus simul intemperies corporis ab atra bile, & tentatio Diaboli concurrunt) non intelligimus intemperiem quamvis leviorem, quæ cito evanescit; vel, quæ privata ægri diligentia facile componitur & sedatur: Neque illam gravissimam, quæ rationis usum ita aufert, ut sui compos non sit æger, vel, non possit de consilio recto ex Scriptura administrato judicare, aut veritatem ipsi propositam dextre concipere; (in tali enim Casu, nullus est usus Theologo: Medico hic opus est solo) Sed ordinariam & multis communem,

inter extrema mala mediam intemperiem intelligimus: in qua æger tentationes suas exponere potest; & rationes quæ videntur contra se militare in medium proferre; de iis disputare, & responsiones ad objectiones capere & admittere potest; in qua æger,& Medicum (si opus est) & Pastorem audire paratus est. Notum autem est, quam tristia & terribilia fingere soleat imaginatio horum, qui hac media intemperie laborant; & quam facile ipsorum phantasia (jam fumo melancholico repleta) valeat Dei iram, mortem, condemnationem, infernum, & reprobationem quasi ad oculum ipsis repræsentare, ut minime mirum sit, eos de Statu suo dubitare. In specie autem, in hac conditione constitutis, gravissimum esse solet, quod (ut ipsis quidem videtur) Conscientia ipsorum dicas adversus ipsos scribat amarissimas, & sententiam condemnationis ingeminet, simulque peccata (propter quæ rejectionem à Deo merentur) continuo repetat: & hîc maxime hærere solent.

4. In hujusmodi Casibus & discernendis & curandis, magna cautione opus est. Primo enim utut prudenter de iis loquendum & cum iis colloquendum est, ne morbus augeatur; Non tamen subito ferenda est sententia, de ægri conditione vel statu, sed post aliquot congressus & colloquia cum ægro, & cum amicis ipsius religiosis, qui quotidie cum eo familiarius conversantur. 2. Curandus est hic morbus solicite, & tractandum hoc vulnus leniter, non secus quam Chirurgi pupillam oculi tractare solent: qui, eam curaturi, omnia circumspiciunt & studiose attendunt, ne plus vel minus faciant, quam res ipsa requirit. 3. Audiendus est æger patienter, ut totam suam conditionem exponat quantum potest prolixe: & si rem totam non exposuerit, expiscandum est per interrogationes & quæstiones, donec inter ægrum & Pastorem (vel amicum ad consolationem dandam advocatum) convenerit quæ sit ægri conditio: quæ ubi constiterit, paucis recolligenda est & proponenda ægro, ut assentiatur in statum quæstionis, & perspiciat Pastorem rem ipsam apprehendere, sicuti est: Nam hic sæpissime cura morbi interrumpitur, quando æger agnoscit Pastorem vera quidem dicere, sed putat eum nihil ad rem dicere, vel, putat eum non recte apprehendere ipsius conditionem. Quapropter, ne in vestibulo (quod aiunt) confringatur urna, & Pharmacum in terram decidat, hîc caute incedendum est. 4. Sincerè condolendum est ægro ex affectu Christiano, & aperte agnoscendum est, onus ægro incumbens gravius esse,quam caro ferre possit: Nam etiam Dominus noster suspiravit & ingemuit in spiritu, in resuscitatione *Lazari*, quando ad miseriam suorum levandam se accingebat. Et certe decet Medicum συμπάθεια: cum.

cum certum sit, Medicum obnoxium esse eidem morbo, quo æger jam laborat. Adde quod æger animus nihil ægrius ferat, quam dolorem suum despici aut negligi à Medico, aut exiguæ curæ esse inspectanti 5. Erigatur æger in spem consolationis, eò quod nihil ipsi acciderit, nisi quod Filius Dei commune est. In quam rem afferantur ex Scriptura exempla filiorum Dei, qui vel in similes, vel graviores tentationes inciderunt, quam ea est in qua æger jam hæret. 6. Usus exercitii, & tentationis præsentis à Deo permissæ vel immissæ, ostendatur ægro: nempe, ut humilietur; ut suam indignitatem & impotentiam clarius videat: ut adversarii malitiam & periculum ab eo evidentius perspiciat; & simul etiam Dei curam in ipso custodiendo cernat; Denique, ut probetur, exerceatur, & crescat fides ipsius sub hoc exercitio. 7. Hortandus est æger ad actus resipiscentiæ, & fidei in Christum renovandos, prout prudenti Pastori, vel amico ad consolationem dandam advocato, commodissimum videbitur cum ægro agere.

5. Quod autem attinet ad speciale Diaboli stratagema, quo continuò suggerit sententiam condemnationis, rejectionis & reprobationis, quasi à Deo adversus ægrum jam pronunciatam: & simul conjicit in ægrum, blasphemiarum & falsarum accusationum ignita sua tela, quasi essent ægri peccata, & justissimæ causæ condemnationis adversus ipsum pronunciatæ. 1. Instituatur æger, quod necesse sit distinguere peccata nostra, quæ nos cum consensu & voluptate perpetramus, à peccatis Diaboli, quæ ille nobis suggerit, & violenter affricare studet: & hìc distinguatur tentatio ad peccandum, à peccato. 2. Instituatur, quod Deus in Scriptura, per Spiritum intus loquens, non pronunciat condemnationem, sed absolutionem à peccatis, confugientibus ad Iesum Christum; & quod idcirco distinguere oporteat sententiam Dei in Scriptura perspicuè propositam, à sententia Diaboli, Scripturæ contradicentis, & fidelem Christi agnum decipere & devorare studentis. Quem in finem, hortandus est æger, ut auscultet Deo in Scriptura, & per os Servorum suorum in luce aperta loquenti, Non autem tenebrarum principi mendaci & homicidæ clam contraria Verbo Dei intus suggerenti. 3. Denique instituatur æger, quod distinguere oporteat vocem aliquam in phantasia sonantem, à sententia Conscientiæ judicantis secundum regulam rectam à Deo ipsi positam: potest enim sententia aliqua phantasiæ observari, eique obtrudi & imprimi, & ab ea millies repeti, quæ ad Conscientiam nihil pertinet. Id autem quod psittacorum & avicularum phantasiæ accidit, etiam humanæ phantasiæ accidere & potest & solet: videmus enim, per ingeminationem frequentem aliquarum vocum, tam altam impressionem fieri in psittacorum phantasia, ut sententiam sæpe inculcatam repetant, & vocali sono

exprimant,quasi sententia illa propriæ inventionis opus esset: Sic etiam notum satis est, frequenti repetitione cantilenæ alicujus,ita subigi & informari avicularum phantasiam,ut eandem cantilenam canant, & suam quasi propriam faciant. Idem docet experientia etiam nobis hominibus accidere, qui auditam cantilenam & aliquoties repetitam, non advertentes repetimus, & ipsi eam canimus: nec inhibere possumus quin apud nos canamus, aut numeros tacitè repetamus: nam in meditationibus maximè seriis,phantasia nobis negotium facessere solet,& intus repetit numeros alicujus cantus, vel olim, vel non ita pridem à nobis auditi : Neque hic patitur phantasia nostra leges Rationis; Sed cantilenam eam nobis canit,velimus, nolimus. Quid mirum igitur,si Spiritus ille impurus & mendax, (qui in phantasia humana plurimum potest) repetitione frequenti suggestionis alicujus blasphemiæ, faciat in phantasia ægri impressionem adeo altam, ut eam repetat tanquam suam propriam cogitationem & tanquam Conscientiæ sententiam? e.g. ingeminando, quod æger justè condemnatus à Deo sit; rejectus à Deo sit; quod olim reprobatus sit: Potest Satan obtinere, ut phantasia horribilem hanc sententiam,velit nolit æger,repetat: & hîc æger facile hallucinatur,& facile cogitur exclamare hunc in modum, *Oh, Conscientia mea dictat mihi, quod ego sim condemnatus, quod ego peccaverim in Spiritum Sanctum,quod spiritu impuro totus occupatus sim,& quod reprobus sim,&c.* Et tamen hæ omnes sententiæ,nihil aliud sunt quam cantilenæ Diaboli, quas ille, (ingeminando) phantasiam ægri docuit,& quasi coegit repetere: Omnes hæ sententiæ, (inquam) minime sunt Conscientiæ sententiæ; Sed phantasiæ voces tantum. Et licet concederemus, phantasiâ jam deceptâ, Conscientiam similiter decipi posse similibus adversarii artibus: non sunt illæ tamen sententiæ Conscientiæ judicantis secundùm regulam; Sed delirantis & deceptæ per Diabolum. Atque ista sufficiant pro exemplis Casuum Conscientiæ Regeniti, & simplicium & mixtorum, in quibus Regeniti *Status* vocatur in quæstionem.

LIBER TERTIUS.

De Casibus Conscientiæ qui spectant ad conditionem Regeniti.

CAPUT I.

De Præcognitis.

FUerunt exempla aliquot Casuum Conscientiæ hominis Regeniti, in quibus *Status* ipsius vocatur in quæstionem. Sequuntur Casus qui pertinent ad ejus *Conditionem:* in quibus licet status Regeniti non vocetur in quæstionem; Conscientia tamen ejus decipi, vel ægre se habere potest propter conditionem in qua pro tempore versatur. De quibus Casibus ut magis perspicuè disseramus, præmittenda sunt præcognita quædam.

1. *Status* & *Conditio* hominis, in latiori sua significatione, indifferenter sumuntur à Theologis: ut cum dicimus omnes Regenitos esse in Statu vel conditione felice & laudabili, & omnes irregenitos esse in Statu vel conditione infelice & vituperabili. In strictiori vero significatione differunt: status enim hominis, est *judicialis relatio* personæ ad iram vel gratiam Dei: quo sensu omnis Regenitus dicitur esse in *Statu gratiæ*: irregenitus vero omnis in *statu iræ*. Conditio autem, est personæ *moralis dispositio* ad exercitium virtutum vel vitiorum: quo sensu, Regenitus dicitur esse in *conditione vituperabili*, quandocunque irreligiosè, injustè, vel minus sobriè se gerit, licet Status personæ ipsius sit laudabilis. Et irregenitus dicitur esse in conditione comparativè bona & laudabili, quandocunque sobriè, vel piè, vel justè in moribus (quoad externum hominem) se gerit, licet sit in statu personæ malo & vituperabili: Quo respectu Christus alloquens

quens Scribam, qui cordate respondebat ei in omnibus, *Marc.*12.34. dixit ei, *Non longe abes à Regno cœlorum.* Conditio Scribæ bona erat comparativè, eamque Christus publicè laudavit: status vero ejus malus erat, quia, licet *non longe, aberat tamen* à regno Dei. In hac igitur strictiori acceptione, *judicialis status* personæ est fixus, sicut fixa est sententia Dei Judicis declarantis omnes irregenitos esse filios iræ, & omnes incredulos jam esse condemnatos; omnes vero Regenitos esse filios Dei,& stare in gratia. *Moralis vero conditio* personæ admodum variabilis est, prout homo Regenitus vel irregenitus, nunc bene vel melius, nunc male vel pejus se gerit: unde fit, ut,alternantibus vicibus, eadem persona possit esse sæpius in bona, sæpius in mala conditione,manente eodem statu. Sed nos hîc conditionem respicimus *Regeniti* tantum,qui nunc est in conditione bona, nunc in mala, prout ejus viæ,mores,& actiones nunc Deo placent,nunc displicent,nunc regulæ conformes sunt,nunc non conformes.

2. Quando Regenitus bene se gerit,& recte se habet,& ipsius Conscientia est & quiete & honeste bona, seu, quando Regenitus studet Deo placere in omnibus,& novit se acceptari à Deo,& dicit cum Psalte,*Psal.*26.12. *Pes meus in plano stat.* Tunc non turbatur,non decipitur,non apparet Conscientiæ ipsius morbus; nec opus est medicinâ,sed dietâ & exercitio. Sed quando Regenitus male se gerit, & male se habet, & Conscientia ejus vel inquieta est, vel non præstat officium, Sed decipitur vel hæsitat in judicio suo exercendo, Tunc opus est remedio & curatione. De conditionibus igitur Regeniti bonis non est quod hic agamus nisi forte per accidens, sed de conditionibus malis tantum.

3. Sicut illa conditio in qua sibi placet Regenitus, non est semper bona; Sed illa sola est optima, in qua maxime se exerit Spiritus Sanctus, maximeque deprimitur innatum peccatum: sic neque illa conditio Regeniti, in qua sibi displicet,semper est mala; Sed illa sola est pessima, in qua prævalet peccatum maxime. Et sicut non æstimanda est conditionis bonitas ex eventu per accidens; Sed ex natura sua & effectis per se, prout Deus in Scriptura loquens eam approbat: Sic neque conditionis malitia æstimanda est ex eventu per accidens;Sed ex natura sua & effectis per se,prout Deus in Scriptura loquens eam judicat: alioqui enim (vitio Regeniti)optima conditio converti potest & degenerare in pessimam,ut quando quis abutitur consolationibus S. S. &, post arrhabonem Spiritus datum,fit carnaliter securus,& negligens in officio redditur; &, postquam Dei Spiritum per impuritatem aliquam crassiorem contristavit, non humiliat seipsum sicuti oportuisset, sed (Satana suggerente blasphemias) calumniatur prædictas consolationes Spiritus Sancti,

Sancti, ejusque operationes, easque aperte vocat *delusiones Diaboli*; vel, saltem intus suspicatur esse tales. Et contra, pessimæ conditiones Regenitorum, per Dei potentiam, misericordiam, & sapientiam, converti possunt in bonum, & ita flecti ut inserviant gloriæ Dei illustrandæ, & saluti Regeniti errantis promovendæ: Sicut igitur illa sola est conditio bona, quam Deus commendat: sic sola illa conditio est mala, quam Deus vituperat.

4. Mala conditio dicitur, vel respectu objecti tantum, vel respectu subjecti tantum, vel respectu utriusque. Conditio mala ex parte objecti tantum, est, quando Regenitus observat, e.g. cordis sui pravitatem, duritiem & dolum; & malum hoc lamentatur, & confugit ad Christum Medicum: Hæc conditio est mala ex parte objecti circa quod exercetur Regenitus: nam ex parte subjecti, seu, Regeniti lamentantis malum, & ad Medicum Christum appropinquantis, conditio est bona, quia Regenitus morbo affectus recte se gerit. Conditio mala ex parte subjecti tantum, est, quando Regenitus, e.g. ad tempus tristitiâ affectus ob multitudinem tentationum, quibus prout opus erat exercetur ejus fides, suam conditionem judicat esse malam: Hæc conditio mala est tantum ex parte subjecti opinantis eam malam esse, & minus hilariter se gerentis quam oportuisset: de ea enim conditione loquens Scriptura dicit, *Jac.* 1. 2. pro *summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis*. Conditio mala, ex parte subjecti simul & objecti, est, quando Regenitus, e. g. laborans impotentia ad precandum, vel Deum laudandum, vel ad officium aliquod præstandum, nec afficitur malo quo laborat, nec studet illud curare; Sed componit se ad negligenter & perfunctoriè fungendum officio, & externi officii qualiquali præstatione sibi placet & acquiescit ad tempus: hæc conditio mala est respectu & objecti & subjecti.

5. In conditione mala ex parte objecti, in qua Regenitus observat seipsum & peccato pollutum, & ex castigatione externa, vel interna tentatione, vel desertione afflictum, Ne conditio sit mala etiam ex parte subjecti, non est confundenda afflictio cum peccato; nec ægritudo animi ob afflictionem, cum ægritudine animi ob peccatum; nec Dei partes in donorum dispensatione, confundendæ sunt cum nostris partibus: Sed distinguenda sunt singula hæc à se invicem, & dispensatio donorum Dei in omnibus discernenda: siquidem peccatum, opus nostrum est, propter quod merito nos nobis displicemus; & propter quod jure Deus nobis irascitur: Afflictio vero est Dei opus, quo filios suos castigat, & quo excitat in eis sensum peccati & iræ meritæ, quo excutit eis securitatem carnalem, incitatque eos ad quærendum Christum ut malorum omnium remedium: dispensatio vero Dei, in exercitii nostri & do-

norum mensura varia, est sapiens, & justa semper comperitur. Distinctione horum facta, officium nostrum statim in lucem profertur, nempe, quod debeamus nos Deo castiganti submittere, ac peccato nos polluenti bellum indicere; & justitiam, sapientiam, & sanctitatem dispensationis divinæ in omnibus agnoscere.

6. Unus idemque Regenitus experiri potest in se, si non omnium, saltem plurimarum conditionum vicissitudinem, ita ut vix ullus ordinarius occurrat Casus, quem quidam ex selectis Christi militibus non sint in aliquo gradu aliquando experti: potissimum autem hi, quos Deus adhibiturus est ut Medicos ad aliorum consolationem, solent alternatione conditionum malarum & bonarum exerceri. Et his licet cum Apostolo dicere, non ignoramus technas Diaboli; 2 *Cor.*1 .6. *Sive autem affligimur, pro vestra consolatione & salute* affligimur: *sive consolationem percipimus,* ad vestram consolationem & salutem percipimus.

7. Circa idem malum, eundemque morbum exerceri possunt Regeniti alii atque alii, aliter atque aliter: alius enim conflictatur cum malo patienter, & de Statu suo non dubitat: alius vero, incidens in eundem morbum, de Statu suo dubitat, scilicet, An qui malo tali laborat, possit esse regenitus: Imo vero idem Regenitus, initio exercitii & conflictus sui cum malo, non vocat in quæstionem statum suum: postea vero, cum perspicit malum ipsi tenacius adhærere, & à se difficulter removeri posse, in dubitationem de statu incidit. Et de Casibus his nonnihil Libro superiori dictum est.

8. Varietas conditionum in Regenitis, ex variis causis oritur. 1. Ex alternante victoria in conflictu carnis & spiritus, imparique congressu partium, in quo nunc minus nunc magis prævalet *spiritus* vel *caro*. 2. Ex potentia & frequentia tentationum Diaboli, qui aliter atque aliter aggreditur Regenitos alio atque alio successu, prout ei magis minusve resistitur. 3. Ex variato sensu præsentiæ Dei, & manifestationis faciei ejus magis vel minus perspicuè splendentis super animam Regeniti, aut absconditæ ab ea. 4. Ex variatione signorum externorum favoris divini, in vicissitudine rerum prosperarum & adversarum. 5. Ex varietate mensuræ rerum prosperarum vel adversarum prout sapientia divina dispensationem operationum suarum & donorum suorum variat in bonum dilectarum animarum.

9. Conditionum & bonarum & malarum aliæ sunt permanentiores, quæ ad tempus aliquod permanent: aliæ vero sunt brevioris durationis: Illæ sunt radicatæ magis & difficulter immutantur: hæ vero magis mobiles, & quasi dispositiones leviores: & istæ conditiones inter se differunt, sicut intemperies aliqua corporis levior differt à morbo graviori.

10. In judicio de conditione mala, vel rectè judicat Conscientia, vel deficit in judicando. Cum Conscientia rectè judicat de conditione mala, seu, quando peccatum suum, & suam impotentiam ad se liberandum à malo perspicit, commune remedium peccati & miseriæ adhibendum est, nempe, 1. Fiat inquisitio in causas conditionis malæ. 2. Fiat agnitio meritorum nostrorum & dispensationis divinæ justissimæ. 3. Fiat humiliatio nostri in conspectu Dei. 4. Fiat renovatio actuum, fidei in Christum, & resipiscentiæ. 5. Actus illi interni ad actiones & externam conversationem educantur.

11. Quando Regeniti Conscientia decipitur vel hæsitat in judicando de conditione sua. 1. Vel putat conditionem malam, bonam esse, & hîc silet & sibi plaudit. 2. Vel putat conditionem bonam, malam esse; & hîc inquieta est sine causa. 3. Vel non distinguit conditionem bonam aut malam secundùm quid, à conditione bona vel mala simpliciter; & hîc confusione fallitur. 4. Vel dubitat, incerta quid statuat de conditione sua; & hîc hæret donec expediatur.

12. Etiamsi conditiones simpliciter malæ, & conditiones partim bonæ, partim malæ, seorsum & singulæ considerari possint, quando eas in abstracto speculamur: raro tamen in subjecto, seu in concreto, solæ reperiuntur & simplices; Sed semper ferè sociatæ & complicatæ inveniuntur.

13. Casus Conscientiæ circa conditionem Regeniti, tot sunt, quot sunt Conscientiæ in judicando morbi, quibus obnoxius est Regenitus. Ex his Casibus paucos nominasse sufficiet ad institutum nostrum: quia ex paucis judicium fieri poterit de reliquis similibus.

14. In recensendis Casibus specialibus, sufficit eos proponere, qui sunt in aliquo uno genere, eo ordine quo se offerunt: quia plenam enumerationem omnium Casuum facere, eosque accurata methodo disponere, nec est possibile, nec nostri instituti, qui statuimus tantum exempla aliquot Casuum afferre, eaque quæ lucem præbeant studiosis in aliis similibus.

CAP. II.

De declinantibus à pristino suo amore erga Christum, & in ea conditione sibi placentibus.

Casuum seu morborum Conscientiæ ad conditionem Regeniti spectantium, quatuor ordines in præcognito undecimo statuimus. Primus ordo est eorum Casuum, in quibus Regeniti Conscientia decipitur, putando conditionem malam, bonam esse. In hac conditione, Conscientia silere & sibi

placere solet. Hujus ordinis exemplum primum esto in iis qui declinârunt à pristino suo amore erga Christum.

2. Usu venit sæpius ut Regenitus, licet, in operibus sanctis, seu fructibus novæ obedientiæ externis, nec sibi nec aliis videatur quicquam de pristina diligentia remittere, quantum in externis exercitiis cerni potest; Remissior tamen & languidior evadat, quoad mensuram internæ dilectionis erga Christum, seu erga Deum in Christo, & quoad mensuram delectationis in Deo ipsiusque obedientia, frigidior: unde fit ut ægrius officia illa præstet quam prius, & minori cum affectu erga Christum feratur quam prius, & cum minori complacentia in sanctis operibus versetur quam initio conversionis, aut, tempore præterito versari solebat. Et fieri etiam potest, ut idem Regenitus, vel non observet in se hanc declinationem seu defectionem, vel non curet observatam; Sed sibi placeat in illa conditione, & sinat morbum hunc sine adhibito remedio invalescere. In hoc morbo tria concurrunt mala. Primum, est notabilis defectus à primo amore: nam de leviori intemperie, quam subinde observare solet ipse æger; & quam sedulo sanare satagit, nihil hîc dicimus. Secundum, est ignoratio, vel, non observatio mali hujus invalescentis. Tertium, est complacentia & acquiescentia in præsenti decurtata mensura amoris erga Deum de die in diem (ut in hoc morbo fieri solet) declinantis & decrescentis. Exemplum hujus conditionis habemus (*Apoc.* 2.). in *Ephesiis*, quorum laborem in opere Domini, zelum adversus hypocritas, & patientiam in adversis commendat Christus; Sed reprehendit eos, non solum quia remissiores erant in dilectione, Sed etiam & maxime quia quasi sponte demiserant primam dilectionem, vel quasi post se reliquerant pristinū studiū erga Deum, nec curabant ad illud redire, nec petebant se restitui ad pristinam conditionem; ἀφῆκας (inquit) τὴν ἀγάπην πρώτην, hoc est, à prima & pristina dilectione defecisti; in defectione tua tibi non displicuisti; studium recuperandi pristinam dilectionis tuæ mensuram abjecisti. Conditio autem hæc valde periculosa est, ut patet in exemplo *Galatarum*, qui, cadentes à prima dilectione, inciderunt in errores & superstitiones; & in discrimen etiam defectionis à fide in Christū, ut videre est, *Gal.* 4. & 5. Rationes autem, propter quas *periculosam* hanc conditionē vocamus, sunt tres. 1. Quia primus amor in prima Conversione solet esse maxime fervidus: qui fervor, imo & summus gradus amoris quem assequi poterit quisquam in hac vita, cum nec respondeat dignitati Christi, nec satisfaciat officio Regeniti, qui translatus est è regno tenebrarum in regnum lucis Iesu Christi, certum est ubicunque defectio sit à primo amore, & ab ea mensura dilectionis quam quis jam assequutus erat, primum amorem tanquam nimium judicari; & mensuram di-

lectionis

lectionis primæ, quando abjicitur post tergum, (quasi in excessu fuisset) re-ipsa condemnatur & nimia pronunciatur: Atque ita vilipenditur Christus, quasi non esset dignus qui tota anima, toto corde & totis viribus diligeretur. 2. Quia ubi deficere incipit dilectio erga Christum & sanctos, & delectatio in bonis operibus minuitur, etiamsi exercitia externa & effecta delectationis nondum videantur deficere; Ægrius tamen procedunt, & prope absunt ut & illa etiam decrescant & diminuantur. Sicut enim quando arbor in radice cæditur, ad tempus folia retinet virentia, statim vero arescit & folia ejus decidunt; Sic in exercitiis pietatis & justitiæ, si amor erga Deum, & delectatio in ejus obedientia intus decrescant, opera etiam externa, imo ipsa professio & agnitio officiorum erga Christum præstandorum auferentur & cessabunt: & illud est judicium Dei quod comminatur Christus eventurum Ephesinæ Ecclesiæ, nisi resipiscerent, *Apoc.* 2. 5. *Veniam adversus te, & amovebo candelabrum tuum è loco ejus* (inquit) *nisi resipiscatis.* 3. Quia Christus, qui totus amor est, zelotes est, nec pati potest ut non redametur ab iis quos ipse amat. Idcirco festinat ad mali hujus correctionem, iramque suam & zelotypiam adversus suos in hac conditione jacentes, mature manifestat, *Apoc.* 2. 5. *Veniam* (inquit) *adversum te cito.*

3. Ut Conscientia Regeniti, in hac conditione jacentis, aut in eam declinantis, munus suum exequatur facilius, Primo, opus est ut æger naturam & necessitatem dilectionis seu amoris erga Deum, bene cognitam & meditatam habeat, eamque sæpius animo contempletur, & ob oculos sibi ponat, ut inde rationem, seu causam videat cur Deus tam studiose amorem sui urgeat, & defectionem ab amore primo, tam ægre ferat: Nam amor Dei facit ut cogitemus de Deo frequenter, & de eo loquamur reverenter; ut communionem cum Deo semper arctiorem appetamus, & ut versemur, & quasi vivamus in cœlo ubi amor noster est, magis quam in terra ubi spiramus. Facit amor Dei ut idem amemus & odio habeamus quod Deus amat aut odit: & amor Dei desideria nostra erga Deum acuit, accendit, & dilatat, *Psal.* 63. 1. Et si forte Deus à conspectu nostro se subduxerit, aut subduxisse se videatur, Dei amor nos ad insequendum eum incitat: nam ut rota rotam in curru sequitur; Sic cor amans sequitur Deum, *Psal.* 63. 8. Amor Dei, nos (adversus pericula aut impedimenta in cursu obvia) audentes facit; in opere Domini indefessos; in pugna pro Deo adversus hostes ejus, fortes invictosque reddit; in laboribus & perpessionibus, patientes efficit; in omnibus submissos; in proposito laudabili constantes; in intentionibus sinceros; & in erogationibus in Dei causa liberales facit: Nam, quando is, qui amat Deum, bona sua, libertatem suam & patriam, & quæcunque cara habet in

mundo, jam Deo consecravit, & vitam etiam ipsam ei obtulit, Amor Dei ad gratitudinem stimulans, semper amplius ingeminat cum Psalte, *quid Deo rependam*? 2. Revocet æger in memoriam, beatitudinem quam sentiebat, quando dilectionem erga Deum in Christo fovebat; quando amicitia Dei & benevolentia ipsius, vitâ carior; & ira Dei, morte formidabilior erat; quando omnia Dei mandata minime onerosa fuerant, sed placebant maxime; quando Dei voluntas in opere vel verbo suo manifestata, omnes calamitates mitigabat, omnes tentationes Diaboli exarmabat; omnes mundi illecebras, contemptibiles reddebat, & gloriam Dei ob oculos ponens, in omnibus actionibus vitæ cursum dirigebat. 3. Consideret æger præsentem suam conditionem, & observet quantam fecerit in rebus spiritualibus jacturam, postquam ardor amoris sui erga Deum, & studii sui ad communionem cum ipso colendam refrixit. Similiter, observet in quæ & quot peccata (omissionis saltem) inciderit, ab eo tempore quo declinare cœpit; & in quantas angustias quantamque miseriam animam suam conjecerit. 4. Comparatione pristinæ & præsentis conditionis facta, & judicio de peccati sui gravitate jam peracto, humiliet se coram Deo, & confugiat ad Christum per fidem, ut fide confirmata studeat Christo arctius uniri, secundum jus sibi factum in fœdere gratiæ; unde sentiet brevi redintegrationem amoris erga Christum, tanquam ex fonte perenni ebullientis. 5. Resipiscentiam agens, serio redeat ad opera prima, hoc est, studeat ut opera obedientiæ suæ novæ procedant postea ex dilectione, non minus fervida quam ullo anteacto tempore. 6. Ne recidivam patiatur, examinationem temperiei & dispositionis animæ suæ frequenter instituat & prosequatur: ut, post observationem propensionis suæ nativæ ad declinandum à Deo, & pravitatis suæ naturalis animam flectentis ad sequendum vel amplectendum deceptiones, illecebras peccati, & rerum mundanarum vanitatem, subinde humilietur in se & adhæreat Christo, qui solus potest cadentes sistere & lapsos resuscitare. 7. Denique, serio perpendat, ex altera parte, imminentem Dei iram, nisi communionem cum Christo colat: ex altera vero parte consideret suavitatem fructuum ex communione Christi percipiendorum, si per fidem à defectionis fovea postea discesserit, vel, in eam lapsus, per fidem cito emerserit, &, in certamine adversus impedimenta quæ possunt remorari ipsius regressum ad arctiores Christi amplexus, victor evaserit: Huc enim tendit consilium illud Spiritus Sancti, *Apoc.* 2. 5. 7.

CAP. III.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti conniventis in aliorum erroribus & sceleribus, & in ea conditione sibi placentis.

ALiqui Regeniti videntur sibi satis functi officio suo, si profiteantur veritatem & faciant quod rectum est, licet alii, periculosa, falsa, & perniciosa doceant, profiteantur & faciant. Peccatum autem hoc, non est Magistratuum tantum, vel Pastorum, Doctorum, Patrum-familias, Herorum, Tutorum, aliorumque, (qui in aliquo eminentiæ gradu supra alios constituuntur) in peccatis subditorum & curæ suæ commissorum, conniventium; Sed commune peccatum est omnium, qui peccatum hoc excusant & defendunt: imo & peccatum omnium eorum, qui errorum permissionem & culpabilem tolerationem non aversantur, vel non ferunt testimonium adversus hoc malum. Fallaciæ autem quibus seipsos decipiunt, ipsissimæ sunt, quibus hodierno die Patroni licentiæ omnium errorum sub specie tuendæ libertatis Conscientiæ in Religionis negotio scelus suum defendunt, nempe, quod Conscientiæ hominum liberæ esse debeant, & minime cogi; & quod populus Christi debeat esse voluntarius; quod Deus solus sit Conscientiæ Dominus, quod coactio faciat hypocritas; & quod actus intellectus non subjiciantur libero arbitrio, & quæ sunt alia similia, hominum sibi ipsis in peccato placentium, somnia. Nihil enim horum impedire debet quo minus unusquisque qui habet potestatem, animadvertere debeat in eos, qui aliis scandalum objiciunt; & punire eos qui aperte peccant, & pietatem & justitiam publice lædunt. Nihil horum impedire debet quo minus omnes, qui Dei servos se profitentur, pro sua quisque parte concurrant ad extinguendum incendium hujusmodi, ne tota domus Dei conflagret. Qui enim, pro data sibi potestate in inferiores, non animadvertunt in sceleratos & seductores: non tantum non impediunt, ne contagio impurorum hominum serpat in alios; Sed etiam contagionem errorum & scelerum reipsa approbant & promovent: & privati, qui non deflent aliorum peccata quæ corrigere non possunt, affines etiam sunt culpæ. Et certe facilis est lapsus in hoc tolerationis seu permissionis impiæ malum, quando illi (qui habent œconomicam, vel Politicam, vel Ecclesiasticam potestatem ad reprehendendum, coercendum, vel puniendum peccatores obstinatos) videntur sibi satis egisse officii sui, si errores & flagitia verbo-tenus condemnant: licet errantes & flagitiosos permittant ire vias suas. Quid faciemus (inquiunt) quando peccatores pro deploratis & desperatis ha-

habentur? vel, quando periculum in propinquo eſt, ne, per improborum punitionem, labefactetur reſpublica? Quid faciemus, quando metus apparet, ne ſeductores & ſeducti (cenſuris & mulctis coerciti) tanquam canes irritati lacerent reprehenſores ſeu correctores ipſorum, & veritatem conculcent? Speciosi ſunt hi prætextus: ſed non ſufficiunt ad excuſationem, licet periculum videatur annexum officio præſtando: Sæpe plus valet metus temporalis incommodi, ad fingendum excuſationes officii neglecti, quam metus peccati valet ad officium præſtandum. Hæc fuit conditio multorum (à Chriſto reprehenſorum) in Eccleſia Pergamenſi, in qua aliqui ſeductores populi permiſſi ſunt quiete agere, qui doctrinam Balaam & Nicolaitarum docebant & defendebant, *Apoc.* 2. 14, 15. *Sed habeo adverſum te pauca, quod habeas iſtic qui teneant doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere offendiculum coram filiis Iſraelis, ut ederent ex iis quæ ſimulacris erant immolata, & ut ſcortarentur. Ita habes etiam tu qui teneant doctrinam Nicolaitarum: quod odi.* Et hæc etiam fuit conditio multorum in Eccleſia Thyatirenſi, in qua *Jezabel* pſeudo-prophetiſſa permiſſa eſt populum Dei ſeducere, ad fornicationes committendum, & ad veſcendum Idolothitis inſtituere, uti habetur, *Apoc.* 2. 20. *Sed habeo adverſus te pauca: quod permittis mulierem* Jezebel, *quæ ſe dicit Prophetiſſam, docere & ſeducere ſervos meos, ut ſcortentur, & edant ex iis quæ ſimulacris immolantur.*

Huic malo ut remedium afferatur, Paſtori opera danda ut ægrorum Conſcientia excitetur ad officium faciendum. In quem finem, 1. Peccata aliena quæ permittuntur, ſuis coloribus depingenda ſunt: ut appareat ægro quanta fiat Deo injuria per improbos qui permittuntur malum perpetrare. 2. Involvendus eſt æger eodem reatu cum peccatoribus illis, quos culpabiliter & contra officium ſuum tolerat: participem enim ſe fecit eorum malorum quæ tolerat, quando pro ſua vocatione, ea reprehendere, vel coercere, vel punire debuiſſet & potuiſſet. Et hic exaggerandum eſt peccatum habentis poteſtatem puniendi, ex eo quod toleratio per ſuperiores conceſſa, non tantum ſit culpabilis permiſſio malorum toleratorum; Sed etiam quædam approbatio malorum: imo, & publica invitatio aliorum ad peccandum, ut alii omnes, qui nondum ſe polluerunt iſtis ſordibus errorum & vitiorum toleratorum, ſecurè ſcelera ea admittant, & committant, & defendant & propagent; & volutentur in iis operibus carnis, quæ vident ab aliis impunè committi, & à ſuperioribus permitti. 3. Invitandus eſt æger, ut ſe humiliet coram Deo, in agnitione peccati ſui multiplicis; & confugiat ad Chriſtum, non tantum ut ſpem veniæ concipiat, de peccatorum ſuorum remiſſione,

one, Sed etiam obtineat gratiam, ad vitæ suæ & vitii hujus emendationem.
4. Ad custodiendam Conscientiam impollutam, & ad cavendum ne relabatur æger in hoc malum, hortandus est ut sibi ante oculos frequentius ponat argumenta ad officium urgendum facientia; & comminationes seu judicia Dei, nisi officium faciat, una cum promissionibus de mercede certaminis danda, si officium fecerit, quales sunt illæ, quæ à Christo propositæ sunt, (*Apoc.* 2. 17. 26, 27.) de certitudine salutis, de consolatione & gaudio Spiritus Sancti, & de victoria gloriose reportanda de omnibus hostibus: Hanc enim curandi hujus morbi rationem præscripsit ipse Christus loco proxime citato.

CAP. IV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti torpentis & pene mortui in operibus carnis, & in ea conditione sibi placentis.

NOnnunquam adeo prævalet caro adversus spiritum in Regenitis, ut non tantum præoccupentur in peccato aliquo; Sed etiam quasi captivi abripiantur ad tempus à voluptatibus carnis, & tantum non in servitutem concupiscentiæ alicujus pravæ revocentur; inque ea conditione sopiti jaceant satis diu, donec Deus aliqua ratione veternum iis excutiat, id quod, heu nimis frequenter, accidit multis, in professionis Christianæ dedecus; & iræ divinæ accensionem & eruptionem in ipsos familiasque ipsorum. Hoc morbo laborasse multos in Ecclesia Corinthiaca suspicatus est *Paulus*, 1 *Cor.* 12. 20, 21.

Causæ hujus mali variæ sunt, nec facile explicari possunt: multi enim defectus & pravi in corde motus, una cum neglectu officiorum & admissione peccatorum, contra dictamen Conscientiæ, vel saltem sine observatione, vel resipiscentia, solent concurrere antequam hic morbus invalescat. Hujus autem morbi plures sunt gradus: primus est, quando cultus Dei & obedientia præceptorum defunctoriè peragitur; peccatorum confessio, sine morsu Conscientiæ, sine sensu delictorum Deo offertur; & precatio, sine desiderio potiundi voto; deprecatio iræ, sine metu periculi; intercessio sine sympathia, vel dilectione fraterna; gratiarum actio sine æstimatione beneficiorum acceptorum; cantio sine cordis harmonia; colloquium de rebus sacris, vel non fit vel leve est, & sine reverentia; auditio verbi, sine animi attentione; Scripturarum lectio, sine studio proficiendi, sine observatione voluntatis & pro-

videntiæ divinæ; & Religionis professio, sine spirituali virtute & vigore languescit, vel instar moribundi animam agit. Quisquis in hac conditione sibi placet, morbo (de quo loquimur) tenetur & torpet. Secundus gradus est, cum malum longius serpit, & externum hominem polluit: ut cum lingua non frænatur; dictorum ratio non habetur; excidunt ex ore sermones otiosi, profani & putres, qui non tantum nihil ad ædificationem faciunt, Sed etiam mores aliorum corrumpunt: & in hac conditione qui sibi parcit, Religionem suam vanam reddit, *Jac.* 1. 26. Tertius gradus est, cum in graviora scandala malum erumpit, ut in apertum errorem aliquem, vel in schisma, in contentiones, æmulationes, invidiam, ebrietatem, lasciviam, fornicationem & similia. Et hic opera mortua conspiciuntur, & vestimentum Christianæ professionis aperte inquinatur & conspurcatur. Hæc videtur conditio multorum in Ecclesia Sardicensi, in quibus præter professionem & nomen Religionis, exiguum vitæ supererat: quos, idcirco Christus scrutator cordium, *mortuos* pronunciat vel moribundos, *Apoc.* 3. 1, 2. *Nomen habes* (inquit) *quod vivas, sed mortuus es*, seu, in conditione mortifera jaces: à qua conditione excipit aliquos, qui vestimenta sua non polluerunt: quorum conversatio sanctæ professioni respondebat, ver. 4.

Ut curetur hæc morti proxima conditio, excitanda est, primo, ægri Conscientia ex veterno, idque positis ante oculos peccatis ipsius, una cum peccatorum merito, & ira Dei jam adversus eum accensa, & perditione appropinquante. Et, secundo, hîc præoccupanda tentatio Diaboli, ne in hoc genere efficax fit in ægro ad animum despondendum: periculum enim desperationis in propinquo est, quando is, qui nomen Christo dederat, deprehensum se videt in castris Diaboli, & simul se observat gestare quasi Diaboli tesseram militarem in aperto scandalo populo Dei à se dato. Tertio, confirmandum est quicquid in ipso superest fidei, spei, resipiscentiæ, vel desiderii ad Deum redeundi, vel se peccato opponendi, ne, quod in eo lucis & vitæ spiritualis reliquum est, extinguatur. Quarto, in memoriam ei revocandum est Verbum Dei, per quod, primum, ad Deum conversus est; & quod fuerat studium ipsius erga Deum & sanctos, & quæ olim præstiterat opera novæ obedientiæ, ut sic, pristinæ conditionis suæ cum præsenti facta comparatione, pudefiat, & resipiscat, & pariter spem concipiat redeundi ad Deum, unde deflexerat, & fere penitus defecerat. Quinto, hortandus est æger, ut in excubiis maneat, vigiletque adversus Diaboli & carnis tentationes: In quem finem, proponatur periculum subito & sine remedio pereundi, nisi resipuerit, & pervigil adversus hostem steterit. Denique, respiciat promissiones Dei amplissimas factas Athletæ victoriam reportanti de peccato & de tentatione Diaboli;

pro-

promissiones, scilicet, de renovando testimonio Spiritus, de obsignanda justificatione, de augenda sanctificatione, de perseverantia & corona gloriæ obtinenda: Illud enim est consilium quod Christus dat, *Apoc.* 3. 3. Et omnes hæ promissiones factæ sunt victori, v. 5.

CAP. V.

In quo tractatur Casus Conscientiæ approbantis suam tepiditatem in Religione, & sibi plaudentis in hac conditione.

NOnnunquam accidit, ut Regenitus, quasi securus jam de salute sua, Religionis internæ & cultus spiritualis negligens evadat, studiumque suum ad alia quævis convertat. Quia enim Christum ejusque gratiam, dotesque & beneficia ab eo jam firmiter se tenere autumat, ut non sit opus amplius in Religionis negotio sudare, sicut olim quando de Reconciliatione sua cum Deo non constabat: idcirco satis esse putat, si exercitia cultus divini secundùm morem multorum tractaverit, scandala crassiora evitaverit, eleemosynas aliquas pro occasione oblata erogaverit; quin reliquum temporis, curis terrenis, otio suo, & licitis recreationibus dandum sit, non dubitat. In qua conditione valde sibi placet, quasi summum jam culmen apicemque Christianæ felicitatis assequutus esset: nam nihil jam desiderat in rebus spiritualibus, quia dives est & nullius rei egens, utpote, qui Christianis omnibus virtutibus ad felicitatem necessariis (sicut ipse existimat) satis abundat: quapropter promovendæ Christianæ Religioni in se vel in aliis operam nullam navat, nec navandam censet. Quod si quis in Christi negotiis paulo diligentior esse vult, per eum quidem licebit, ut diligens sit quantum velit: non enim statuit cuiquam se opponere qui Christo famulatur; nec quenquam incitare ut gradum suum grandiat in Domini via: utque uno verbo breviter describamus hominem, *Tepidus est*, i. e. neque Christi reipsa amicus est, quandiu in hac conditione jacet, neque Christi hostis apertus est. Et certè in hunc morbum facilè incidunt illi, qui, post primos Regenerationis labores confectos, & reconciliationis cum Deo ineundæ difficultates exantlatas, liberationis suæ à terroribus Legis, & quietis insequentis suavitatem imprudenter arripiunt, quasi, jam hostibus profligatis, & vinculis omnibus, quibus prius detinebantur, ruptis, & rejectis, possent ad somnum securitatemque carnalem se componere, cum deberent in procinctu stare, ne alia via eos aggrediatur hostis, & in novas angustias conjiciat. Et hæc conditio videtur fuisse Laodicensium aliquot regenitorum, *Apoc.* 3. 15. 17. Non quod sentiamus omnes Laodi-

censes tepidos fuisse, vel, omnes hoc morbo laborantes esse regenitos: certum est enim familiarem hunc esse morbum reproborum & hypocritarum, qui fictam quidem habent Religionis & pietatis speciem : potentiam vero & efficaciam veritatis Evangelicæ, factis suis semper negant. Sed hæc dicimus,quia nulli dubitamus, quin ex tepidis Laodicensibus aliqui fuerint Regeniti; & quia non dubitamus, quin in omni generatione inter Regenitos aliqui aliquo tempore sint tepidi,propter quos præcipuè Epistola illa ad Laodicenses scripta est : neque deest ratio ut istud judicemus , cum audiamus Christum dilectionem suam erga hujusmodi homines profitentem, &, ex dilectione,reprehensionem (qua ipsos ad resipiscentiam revocet) erga eos dirigentem , una cum invitatione ut redeant ad suavissimam cum ipso communionem colendam;& simul hortantem *omnes,qui aures habent, ut audiant quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Quod ad hujus mali remedium attinet : difficulter hæc lethargia curatur, nisi æger in febrim prius conjiciatur: Quapropter, 1. Opera danda est imprimis, ut periculosus hic sopor Conscientiæ, & somnium suave interturbetur & excutiatur. In quem finem, ostendatur ægro quantopere violata sit Majestas & dignitas Iesu Christi per hanc ipsius tepiditatem, quæ ex carnali saturitate floccifacit spirituales divitias Christi. Demonstretur quam contraria sit hæc conditio officio Christianorum, qui Redempti sunt à peccato & perditione, ut affectu intentissimo serviant Redemptori in omnibus. Manifestetur quam ingrata Christo & intolerabilis sit hæc ægri dispositio, quippe,quæ nomini ejus magis sit infesta , quam hostilitas aperta. 2. Ob oculos ei ponatur præsens periculum rejectionis à Christo,qui non magis feret tepidi mores, quam stomachus ferre potest aquam tepidam,nisi ocyus resipuerit. 3. Commonefiat æger de plagis spiritualibus quæ animæ ipsius jam inflictæ comperientur, si per colloquium cum ægro inquisitio instituatur : unde,tanquam ex fumo jam accensæ iræ, serio flammam insequentem apprehendat, & comminationibus de ira porro sequutura facilius habeat fidem. 4. Hortandus est æger, ut ocyus se humiliet in Dei conspectu, potissimum ob vanissimam suam de felicitate conditionis suæ opinionem, quam Deus æstimat tanquam gloriationem de sua perfectione, quasi nullius gratiæ indigus esset,cum interea cœcus,nudus,& miser sit. 5. Rogandus est,ut ad Christum fugiat ad collyrium sine pretio emendum ab eo : quo, postquam oculi ejus inuncti fuerint, clarius videat suam turpitudinem, nuditatem,inediam & miseriam. 6. Commendatâ simul Christi opulentiâ & liberalitate, animetur æger ad petendam ab eo Remissionem peccatorum, & renovationem sententiæ absolutionis & justificationis suæ in Conscientia sua : ut, justitiâ Christi

impu-

imputatâ amictus, (& non nisi amictus) audeat postea in Dei conspectum venire,& in Christo gloriari ; & ut non audeat unquam gloriari in re aliqua præterquam in Christo, & in divitiis ipsius. 7. Confirmetur ægri fides in Christum . in quem finem, Christi dilectio erga ipsum probetur,ex cura,& solicita Christi providentia de ægri resipiscentia procuranda ; ne forte æger in pejorem partem interpretetur quas patitur à Christo reprehensiones , & castigationes spirituales vel corporales . 8. Invitetur æger ad communionem arctiorem colendam cum Christo, qui non tantum paratus est ad veniendum si vocetur; Sed etiam quasi præ foribus jam stat, ægrumque invitat ad amoris & communionis interruptæ renovationem & redintegrationem, promittens suavissimum consortium suum omnibus qui fidei dilectionisque ostium ei aperient. 9. Denique,ut calcar addatur sancto ægri proposito,proponatur spes regnandi cum Christo ; & sedendi una quasi in throno cum ipso,si bellum peccatis suis indixerit,bellumque ad victoriam usque reportatam de hostibus animæ suæ prosequutus fuerit. Et hoc ipsissimum est morbi hujus remedium,quod ipse Christus præscribit, *Apoc.*13.17,18.

CAP. VI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ nimium innitentis carnalis fiduciæ fulcris,& sibi in ea conditione placentis, & post detectum errorem,Statum suum in quæstionem vocantis.

SÆpenumero Regeniti,quando putant se in solo Deo confidere, comperiuntur sibiipsis nimium fidere,nimium viribus & virtutibus suis tribuere, nimium creaturis inniti, & nimium ab eis pendere. In qua conditione quantum sibi placent , tantum Deo displicent , eumque ad zelotypiam movent. Hunc autem morbum minime sentiunt ii,qui maximè eo laborant: & ægerrime ferunt,si quis ipsis suspicionem hujus mali injicere conetur: suspicionem autem minimè admittunt: imo vero arguendo, non facile convinci possunt, quod huic malo affines sint,donec experientiâ edocti, culpæ manifesti deprehendantur. Experientia autem horum malorum sensus,& agnitio , obtineri solent in afflictione ægri aliqua, in tentatione graviori aliqua, & in desertionis genere aliquo : morbus enim hic, sicuti in prosperitate potissimum contrahitur; Sic rebus prosperis simul alitur & tegitur, donec res adversæ fiduciæ carnalis fulcra concusserint , confidentiamque ægri carnalem fuisse ex parte saltem demonstraverint: Qua de re ut clarius disseramus, fiduciæ hujus carnalis quasi species duas attingemus,earumque differentias sumemus ex

differentia columnarum & fulcrorum quibus carnalis fiducia inniti solet, & ad tempus sustineri: fulcra autem hæc, vel sunt beneficia Dei, bonis & pravis communia; vel, mensura aliqua observabilis operationum & fructuum Spiritus Sancti.

2. Quod ad fiduciam in beneficiis Dei communibus: aliquando Regeniti beneficia Dei externa,& dona communia nimium affectant sibi danda, nimium avidè amplexantur data, nimium gaudent iis præsentibus,& nimium metuunt ne auferantur: interim non animadvertunt in peccatum suum; neque si accuses,agnoscent se reos: Sed contra,se purgabunt,dicentes se satis novisse quid officii sui sit, nempe,se debere divitiis crescentibus cor suum minimè apponere; liberos suos,vel parentes,vel amicos non nimium amare; hominum gratiam minimè captare; honorem apud homines non magnifacere; rebus prosperis non magnopere delectari; aut in dotibus animi gloriari: Periculum etiam facile agnoscent sibi in propinquo esse,ne rebus prosperis inebrientur,ne iis nimium innitantur & confidant. Quod ad tempus præteritum attinet,jactabunt se satis cavisse, ne in hoc genere peccarent; & de futuro, se sperare contra morbū hunc se vigilaturos profitebuntur. Quando autem dispensatio divina,res prosperas in adversas mutavit; quando providentia Dei abstulit quæ dederat dona, statim perturbantur & sedent attoniti, amorem Dei quem prædicabant, dum res prosperæ essent,in dubium vocant: Atque ita fides ipsorum infirma redditur. In qua conditione prodit se jam,quæ prius latebat carnalis fiducia veræ fidei immixta, quæ fidei mensuram videbatur augere, sed vim ejus & virtutem non auxit,instar scoriæ, quæ metallo molem addit,non vero valorem aut pretium. Hanc infirmitatem in se observavit Psaltes, *Psal.* 30.6,7. *Dixi in prosperitate mea, nunquam commovebor: at tu abscondisti faciem tuam,& ego perturbatus sum.* Hæc autem res manifesta erit, si comparaverimus, e. g fiduciam sanctorum in promissionibus Dei de victu & amictu suppeditandis quandiu opes suppetunt, cum ipsorum hæsitatione & dubitatione de iisdem promissionibus, quando opes auferuntur,& paupertas eos invadit: nam, in utraque conditione, promissiones Dei sunt eædem; cura Dei de suis constans est,& nunquam minuitur. Unde igitur fiduciæ diminutio? Certe ex remotione fulcrorum,quibus nimium innitebatur: quando enim sublatis illis fiduciæ columnis, titubat fides in promissionibus apprehendendis, manifestum habetur indicium, quod fulcris illis nimium innixus sit is, qui illis sublatis cecidit, vel infirmior in fide comperitur.

3. Quod ad curandam primam speciem fiduciæ carnalis in temporalibus Dei beneficiis: postquam æger jam experientia compertum habet nimium

se

se innixum fuisse rebus terrenis, & (instar Corinthiorum, quos reprehendit *Paulus*, 1 *Cor.* 1.) nimium carnalem se fuisse perspicit, Ne despondeat animum, quasi jam tota fiducia, quam in Deo collocare sibi visus erat, vana fuisset: Sed primo, humiliet se coram Deo,& ferulæ ejus se submittat; agnoscatque justitiam Dei,qui fulcrum carnalis fiduciæ abstulit; & misericordiam Dei, qui errantem à via corripuit ut reduceret. Secundo, confirmet fidem suam in Christum, secundum fœdus gratiæ; tantoque ardentius apprehendat imputatam illam justitiam Christi, quanto se gravius peccasse observat in rerum terrenarum & donorum communium immoderato studio. Tertio, studeat cor suum Christo intentius consecrare, & superna tantum quærere, ubi Christus est ad dextram Patris; terrena vero in posterum parvi æstimare,*Col.* 3. 1, 2, 3. Quarto, quia plerunque non nisi in rebus adversis morbus hic observatur, studeat æger patienter se submittere omnipotentis Dei manui, & castigationem ejus æquo animo ferre: Atque ita fiduciæ suæ in Deo sinceritatem probare studeat, recumbendo in Deum, remotis jam carnalis fiduciæ fulcris; curamque suam in eum conjiciendo,eô confidentius, quod fiduciæ carnalis columnæ jam succisæ sint. Quinto denique, quæ supersunt beneficia Dei externa & communia dona,studeat æger à novo fœdere suspendere,& virtute fœderis ea possidere, quandiu à Deo dabitur iis uti: ut, sive maneant, sive auferantur, possit æger cum *Jobo* benedicere Deo qui ea dedit; & Deo benedicere,qui data pro suo beneplacito abstulit: Sic enim fiet, ut cum *Paulo* sciat & abundare & egere, & in omni conditione contentationem in animo fovere, *Phil.* 4. 12.

4. Altera species fiduciæ carnalis, est, quæ nimium nititur mensura notabili operationum & fructuum Spiritus Sancti: qui morbus observatur & agnoscitur maxime ex comparatione fiduciæ sanctorum de Dei dilectione erga se,quandiu signa Regenerationis & fructus Spiritus sancti inhabitantis in se perspicue discernuntur,cum ipsorum hæsitatione & dubitationibus, quando sub tentatione aliqua aut desertionis gradu aliquo jacent; quando, scilicet, signa & effecta illa Spiritus Sancti non apparent, vel ita obscurantur ut non tam facile discerni possint,quam prius discernebantur. In utraque conditione, fœdus gratiæ cum iis in Jesu Christo fixum manet; promissiones Dei eædem sunt,nunc & supra, hodie & heri. Unde igitur fidei vacillatio, aut fiduciæ in Deum collocatæ diminutio, cum obscurantur signa præsentiæ Spiritus Sancti, & mensura operationum ipsius imminui videtur? Certe ex concussione fulcrorum quibus fiducia ipsorum prius nitebatur, vel ex apparenti eorum remotione aut diminutione, fiduciæ debilitatio sequitur: si enim fulcra restituantur, redibit etiam pristinum fidei robur, aut redire videbitur.

debitur. Hic autem morbus adeo familiaris est omnibus sanctis, ut nullus sit, qui non in hunc morbum multoties recidivus sit: quotusquisque enim est, qui non multo confidentior est, quamdiu παῤῥησία datur in precibus; quamdiu sentit in corde suo pacem Dei; quamdiu gaudium & consolationes Spiritus possidet; quandiu fructus se ferre observat; quandiu candela Dei in ipsius anima splendet; & quandiu signa favoris divini erga se conspicit: Quando vero, vice versa, res ipsius spirituales secus se habere incipiunt, quando tenebræ mentem obsident; sterilitas & impotentia ad cultum Dei, & bona opera præstandum, aliæque angustiæ sentiuntur: maxime vero, cum signa iræ divinæ, his malis superaddita, apparent: Quotusquisque (inquam) est, qui, præter animi inevitabilem perturbationem (quæ sanctissimis & in fide robustissimis in hac conditione constitutis accidit) non sentit etiam fiduciæ suæ diminutionem, vel, non observat de præteritis Spiritus Sancti operationibus in se multam disputationem, & dubitationem; & multas difficultates in quas conjicitur, ex fidei suæ fluctuatione vel imbecillitate: quæ fiduciæ diminutio in probationibus & afflictionibus his, aperte demonstrat, quibus subnixa fundamentis ægri fiducia in conditione magis prospera steterit, & quod ipsius fides non satis se collegerit in arcem verbi divini, nec soli Verbo Dei se astrinxerit; sed aliquam sui ponderis partem mutabili animæ suæ dispositioni imposuerit.

5. Ut hic morbus facilius curetur, & veritas in Casu quem præ manibus habemus clarius appareat, solvendæ nobis sunt quæstiones nonnullæ, quæ ad ægri eruditionem & ædificationem facere poterint. Quæstio prima sit hæc, Nonne, sicut signa qualibet favoris divini, in donis externis & donis communibus internis se manifestantis ad fidei confirmationem faciunt, sic etiam signa iræ Dei hæc bona à nobis auferentis, ad fidei debilitationem jure sufficiunt? quo posito carnalis fiducia non debet dici ea, quæ pro signorum iræ vel favoris Dei variatione mutatur. *Resp.* 1. Signa favoris divini, & signa iræ non opponuntur: sed signa amoris, & signa odii opponuntur. 2. Quin quælibet signa favoris divini faciant ad fidei Regenitorum confirmationem non est dubitandum: sed, quod oblatio quorumlibet signorum istiusmodi fidem debilitare jure debeat, non est concedendum: quia quorundam signorum obscuratio & ablatio, cum dilectione Dei erga nos consistere potest. Quod autem ad bona externa & dona communia interna non sunt signa favoris divini, sed beneficia collata, ex Dei liberalitate, in probos pariter & improbos: per quæ, sive dentur, sive auferantur, neque cognosces amorem neque odium, *Eccles.* 9.12. 3. Faciamus auferri ea dona ex ira paterna; non debet tamen fides Regeniti in sensu iræ infirmari: sed potius æger

noster,

noster, qui affligitur, debet humiliari in sensu peccatorum suorum, & confugere ad Deum in Christo, fidemque tanto magis exercere & exercere, confugiendo ad Christum, quanto magis iræ sensu premitur: quia, non, nisi in Christo per fidem apprehenso, placatur Deus iratus.

6. Quæst. secunda: Sed quid facias iis, quorum fiducia debilitatur velint nolint, quandocunque vel sentiunt, vel suspicantur Deum iratum, maximeque quando dona semel data ab ipsis auferuntur? *Resp.* Quin soleat debilitari multorum in Deo fiducia, in tali Casu, non est dubitandum: & inde jam collegimus fiduciam multorum ex parte esse carnalem. Sed quæstio est de officio, quid fieri debeat in eo Casu? Cui quæstioni jam responsum est, nempe, debere Regenitos, in ea conditione, peccata sua agnoscere, fiduciam suam ex parte carnalem fuisse agnoscere, seipsos coram Deo humiliare, resipiscentiam exercere, & fiduciam suam altius in solidiori fundamento (nempe, Dei gratia in Christo proposita, & in Scriptura declarata) figere.

7. Quæst. tertia: Licet dona communia non sint indicia favoris divini: at nova obedientia, & fructus Spiritus Sancti inhabitantis, signa sunt favoris Dei specialis erga electos quibus solis dantur. Nonne igitur, sicut hi fructus, ubi adsunt, fidem probant, & ad fidei confirmationem faciunt, Sic etiam ubi absunt, jure, fiduciam debilitant: imo vero fidem sine his vanam fuisse vere evincunt, vel, in suspicionem merito vocant? *Resp.* Si in genere quæstio fiat de defectu omnium fructuum, qualis defectus est in irregenitis, verum est quod dicitur: Sed nos de Regenitis agimus, in quibus mensura tantum fructus desideratur, & defectus fructuum pro tempore tantum observatur. Et certe latum est discrimen inter eos qui fructus novæ obedientiæ nullos unquam ediderunt, & Regenitos, qui vel olim, vel non ita pridem ab operibus mortuis resipuerunt, qui operibus carnis renunciarunt; qui fugerunt ad Christum, eique se totos consecrarunt, qui novæ vitæ rationem inierunt, fructus non pænitendos ediderunt, pacem Dei & consolationes Spiritus Sancti in aliqua mensura senserunt; & jam, in Conscientiæ exercitio aliquo, seipsos tanquam mortuos respiciunt, sterilitatem suam; & impotentiam ad ferendum bonos fructus lugent: quique interim studium bonorum operum tenent & tuentur, vitamque absque scandalo degunt. In irregenitis igitur qui adhuc in peccatis vivunt, vel potius mortui sunt, valeat argumentum, à simplici negatione fructuum novæ obedientiæ ad negandam fidem & Regenerationem: Sed in Regenitis, à negatione fructuum in ea mensura, in qua se olim fertiles observarunt, non valet argumentum, neque ad negandam fidem, neque ad auferendum ullum fiduciæ gradum, præter illum solum, qui magis in operibus ægri, quam in gratia Dei fundatus est.

8. Quæst. quarta: Sed quidni licet & dubitare de fide nostra, eamque nullam esse suspicari, quandocunque in nobis fructus fidei desideramus; & quotiescunque effecta & operationes Spiritus Sancti in nobis non sentimus, vel non observamus? siquidem fides, quæ destituitur operibus, mortua est, *Jac.* 2. 20. Et ver. 18. *Ostende mihi fidem tuam absque operibus tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex operibus meis:* quandocunque ergo fidem per opera non possum probare, fidem pro mortua habere vel suspicari teneor? *Resp.* 1. Injusta est exactio fructuum fidei quæ in quæstione proponitur, scilicet, ut fides eos fructus proferat quos exactor importunus designat, & eo ipso temporis articulo, quo eos requirit, & in ea mensura quam æger præscribit, & in ea varietate quam exactor postulat: injusta (inquam) est exactio & conclusio, si exactor in his non satis habeat vel fidem suam tanquam mortuam condemnet: nam, (*Isa.* 60. 17.) exactores fructuum à sanctis sunt *pax* & *justitia:* Sicut enim arbores neque mortuæ neque fertiles habentur, quæ suo tempore fructus ferunt, etiamsi hyeme non ferant; Sic neque fides mortua haberi debet, quæ, ubi datur occasio, nunc fert fructum misericordiæ, nunc justitiæ, nunc zeli, nunc dilectionis, & sic de cæteris virtutibus; etiamsi aliquando, ubi occasio non datur, hos vel illos fructus non edat. Fieri etiam potest, ut aliquando fides languida, morbida, & vulnerata decumbat; ita ut donec convaluerit, fructus evidentes edere non possit. Et sicut valetudinarii aliquando deliquiū animi patiuntur, & sensu motuq; destituuntur ad tempus, nec tamē vita in eis plane deficit; Sic etiā sanctorū fides in tentationibus & durioribus fidei probationibus interrumpi potest, ne se exerat; & tamen non deficere aut prorsus extingui, ut videmus in *Petro* à tentatione efficaci victo, & fidem in Christum abnegante: pro cujus tamen fide ne deficeret, Christus oraverat. Similiter in *Jona* & *Davide* idem videmus: hi enim, sub afflictione gravi, putabant actū esse de salute sua; sed post deliquiū fidei oculos aperuerunt, & ad Deum respexerunt, & se in fide vivos ostenderunt. *Resp.* 2. Si judicium fieret secundum veritatem, & Conscientia juste condemnaret, Non negandum est fidem eam mortuam esse quæ caret operibus: quia Deus major est Conscientia, & novit omnia. Verum quando judicium Conscientiæ non est secundum veritatem, sed secundum tentationem & fallaciam aliquam, quam adversarius pro veritate urget, occasione arrepta ex afflictione aut desertione aliqua, sententia Conscientiæ falsæ non admittenda est: licet enim e. g. absque scandalo æger vitam agat & privatim & publice; licet studium bonorum operum in corde foveat; licet cultum Dei, & exercitia Religionis frequentet, & in vocatione negligens non sit; licet aliis benefaciat, & porro benefacere paratus sit; consilio suo, opera, & opibus suis

juvare

juvare cupiat, prout offertur occasio: fieri tamen potest ut tentationi auscultans fidei fructus & hos & alios omnes in se vilipendat, & ad exactam Legis Normam examinatos rejiciat, aperteque dicat, *Nihil nisi peccatum in me perspicio, nullum fructum fidei in me observo, nullam Spiritus Sancti operationem in me sentio.* In quo Casu non est fides habenda ægro dicenti se nullam habere fidem: sed convincendus est erroris potius, quod nimium tribuerit suis operibus: id quod facile discerni potest ex hoc κριτηρίῳ; quando quis fiduciam suam in Christo collacatam tuetur & defendit tantum tum, & toties, & tamdiu, quando quoties, & quamdiu fructus novæ obedientiæ in se observat: quoties vero peccati inhabitantis vim in se experitur, & cursum bonorum operum impediri sentit, statim resilit, &, quasi fide destitueretur, tantum non à Christo se segregat, existimans quod jam amplius non deceat ipsum ad Christum accedere: & reipsa dicit (cum *Petro* necessitatis suæ & officii Mediatoris admodum ignaro) *Discede à me, Domine, homo peccator sum:* Næ ille, qui sic ratiocinatur, nimium tribuit operibus suis; & fœdus gratiæ, fideique fundamenta vel non satis intelligit, vel, non in usum, quando opus est maxime, trahit.

9. Quæst. quinta: Sed qua ratione potest quisquam fidei rationem sequi, qui, post examinationem conditionis suæ, non potest proferre ullum indicium fidei, aut Regenerationis suæ? *Resp.* Rationem fidei debet unusquisq; sequi, sive indicia Regenerationis in se comperiat, sive non: etiamsi enim aliquis nondum crediderit in Christum, credere tamen debet in Christum: differunt enim hæc duo, *credidi* & *credere debui*; item, *non credidi*, & *non credere debui*. Et hic distinguenda est disputatio, *An sim ex fidelibus qui sunt in Christo*, à disputatione, *An debeam cum fidelibus credere in Christum.* In prima enim disputatione, opera bona, ad probandum me fidem habere, afferri debent: in secunda vero, defectus bonorum operum & Conscientia malorum operum, probant me debere confugere ad Christum & credere in eum, ut justitiam & sanctitatem in & ab eo consequar nisi perire velim. Ad probandum me ex fidelium numero esse, signa gratiæ salvificæ producenda sunt: quando autem ea proferre non possum, tunc defectus signorum Regenerationis, & signa hominis irregeniti in me comperta, jubent me ocyus humiliari, & ad Christum Redemptorem confugere, in eumque credere: Atque ita fidei ratio semper tenenda & sequenda est, sive indicia Regenerationis in me observem, sive non.

10. Quæst. sexta: Quomodo dici potest carnalis fiducia, quæ ex parte nititur operibus, cum jubeat nos Apostolus vocationem & electionem nostram certam facere, in bonis operibus abundando: non enim aliter obtine-

tur hæc certitudo, quam arguendo ab effectis ad causam: tuncsolum enim certi reddimur, quod fidem habemus, quod vocati & electi sumus, quando fructus fidei in nobis sentimus? *Resp.* Fatemur quod certitudo de vocatione & electione confirmari debeat, & augeri possit, ex operibus bonis & fructibus fidei: & tamen carnalem fiduciam dicimus eam, quando quis Christum apprehendit, tunc tantum, quando fructus suos & opera sua observat: laxat vero manus suas à Christo, Christumque minus firmiter apprehendit, quando fructus suos & opera sua bona non observat: nam cum deberet cum *Paulo (Rom.* 7.) tanto magis confugere ad Christum quanto magis corpus peccati mortiferi sentit in se; Languescit, animum despondet, deficit in fide, & discessum à Christo meditatur. Hîc enim æger plane ostendit se facere opera sua rationem *cur credat*, non autem rationem *quod credat*; ostendit se sua opera æstimare causam credendi, non effectum fidei, seu signum tantum quod crediderit: imo vero ostendit æger iste, quod putet se admitti ad Christum propter aliquod in se ipso commendabile, non vero ex gratia mera, & propter promissiones Evangelii.

11. Quæst. septimà: Sed, cum impossibile sit, ut persuasum mihi sit de fidei meæ veritate, nisi fructus fidei in me perspexero; impossibile est ut mea persuasio de fidei meæ veritate non nitatur fructibus fidei: quia fructus observati, sunt medium illud unicum quo utor ad probandum me fidem vivam habere: quo medio deficiente, deficit probatio, & deficit de fide persuasio: atque ita fiducia niti potest operibus, & tamen propterea non esse carnalis? *Resp.* Fructus observati, non sunt solum medium probationis quod habeam fidem: quia ipse actus fidei luce sua clarus esse potest, quando Spiritus Sanctus aperit oculos ad reflectendum in opus Dei in me operantis & velle credere, & credere. Sed quod ad præsentem quæstionem attinet, tres distinctiones observandæ sunt. 1. Aliud est fiduciam meam niti operibus; aliud fiduciam meam niti fructibus fidei. 2. Aliud est persuaderi ut credam, vel, quod debeam credere in Christum; Aliud persuaderi quod crediderim in Christum, seu, quod fidem jam habeam, vel antehac habuerim. 3. Aliud est fidem meam probari posse ex fructibus quos fero; Aliud vero fructus fidei meæ perspicue observari, & agnosci à me.

12. Quod ad primam distinctionem attinet: *fiduciam niti operibus*, importat respectum animæ ad meritum operum; per quem respectum, fidei ratio eatenus evertitur: fiduciam vero *niti fructibus fidei*, tantum importat, quod anima jam credens respiciat fructus, ut effecta & signa fidei suæ, jam fundatæ & stabilitæ in gratia Dei sola. Et hîc, quod liceat fructus fidei respicere, ut signa fidei in Christi gratia prius fundatæ, concedimus: sed, quod

liceat

liceat fructibus fidei,ut operibus nostris, inniti, negamus. Accidit autem sæpe, ut quando fructus fidei *præsentes* præ nobis ferimus nos respicere tantum ut effecta fidei, comperiamur eosdem fructus fidei *absentes* respicere ut opera meritoria, absque quibus non audemus ad Christum accedere, e. g. quando dilectionem erga Deum, timorem, reverentiam, & similes affectus spirituales sentimus, jam in Christum credimus: quando vero contra, cordis duritiem, profanitatem & malitiam corruptæ naturæ perspicimus, tantum non fœdus gratiæ dissolvimus, & Christum aliquousque deserimus. Et quid hoc est aliud, quam operibus niti, primo loco, &,propter opera,niti Christo,secundo loco? Cum contra, destituti operibus bonis debeamus primo confugere ad Christum, & fidei in eum vinculum tenere firmiter, ut per eum fructus feramus, secundùm illud, (*Johan.*15.5.) *Qui manet in me, & Ego in illo, ille fructum feret.* Fateor equidem ægrum non hoc intendere; sed contra,fieri posse ut æger in judicio Conscientiæ practico statuat in Christum credere, secundùm tenorem fœderis gratiæ: Sed error hic in praxi, est, ex curvitate cordis, quod ut dolosus arcus decipit jaculantem. Adeo lata est differentia inter judicii nostri dictamen de officio præstando, & cordis nostri praxin in officio exequendo: speculatio mentis, spiritualis est; motus vero cordis & voluntatis in executione admodum est carnalis sæpissimè.

13. Quod ad secundam distinctionem attinet: persuasio, *quod jus habeam ad credendum in Christum*; & quod debeam idcirco ad Deum accedere, distinguenda est à persuasione,*quod jam crediderim,& in fidem vivam:* hæ enim persuasiones multis nominibus differunt. Persuasio, quod ex jure mihi facto debeam credere, servit ad gignendam fidem,ad consensum meum obtinendum in fœdus gratiæ; ad introducendum me in statum gratiæ. Persuasio vero quod jam crediderim, inservit ad confirmandum me in fœdere, & ad roborandam fidem salvificam jam infusam. 2. Persuasio quod debeam credere, viam sternit ad justificationem: persuasio vero quod crediderim, ad sensum consolationis percipiendum facit,propter salutem concessam. 3. Persuasio quod credere debeam, aperit ostium ad applicationem promissionum peccatoribus nondum credentibus factarum sub conditione fidei, & solvit omnes objectiones Satanæ sumptas ab indignitate peccatoris, & peccatorum multitudine, & à sensu iræ, quæ crediturum deterrere possunt à throno gratiæ: persuasio vero quod crediderim, solvit omnes objectiones quæ impedire possunt jam credentem in Christum ab applicatione promissionum specialium fidelibus factarum. 4. Persuasio quod debeam credere, potest esse in multis, in quibus persuasio quod prius crediderim minimè locum

 habet:

habet: persuasio vero quod crediderim,non potest esse in aliquo, in quo prior persuasio quod debeam credere in Christum non est fixa, 5. Ad persuasionem *quod debeam credere* gignendam, sufficiunt hæc tria. 1. Convictio de peccato & ira merita. 2. Christus in Evangelio oblatus,ut plenum remedium adversus peccatum & iram. Et 3. Mandatum Dei ut credamus in nomen Christi. Ad persuasionem vero quod crediderim, requiruntur præterea & præteriti & præsentes fructus Spiritus evidentes, & signa indubitata Regenerationis seu novæ creaturæ. 6. Persuasionis quod debeam credere ratio est, quia Deus dixit se recepturum in gratiam peccatores confugientes ad Christum : persuasionis vero quod crediderim ratio est, quia Deus jam operatus est in me fidem, jam adduxit me ad Christum, & fertilem bonorum operum me reddidit. 7. Cognitio veritatis in Evangelio propositæ,alit & auget persuasionem *quod debeam credere*: sed præter cognitionem Evangelii, etiam continuata fidei obedientia nova, & operationes Spiritus Sancti non tantum sæpius repetitæ,sed etiam à me observatæ & agnitæ, requiruntur ad persuasionem alendam & augendam *quod crediderim*. 8.Si persuasio,quod debeam credere,vel quod liceat mihi credere,debilitetur, cadit ultro persuasio de fide jam data : sed si suspicor quod non crediderim, tunc necessitas persuasionis quod debeam credere inducitur,fovetur & augetur,& jus meum ad fœdus gratiæ amplectendū magis manifestatur.Quo enim aliquis sentit se miseriorem,& à Deo propter peccata alieniorē, morti & perditioni propinquiorem,tanto magis manifestatur esse ex numero injustorum,seu,peccatorum,ad quos vocandos Christus venit, seu, ex numero perditorum, ad quos quærendos & salvandos Christus missus est. 9. Denique, persuasio quod credere debeam, animam fert primo ad actum directum credendi in Christum, & adhærendi ipsi : persuasio vero quod crediderim, non fert animam meam primo in Christum actu directo , sed primo in habitum & actum fidei jam datum,per actum reflexum;deinde in Christum,per actum directum.

14. Quod ad tertiam distinctionem attinet : fructus fidei feruntur , & abundant in multis sanctis sæpenumero, qui, dum tentatio durat, dum tenebræ mentem ipsorum occupant, difficulter agnoscunt ullum se fructum præter labruscas ferre : quia in oculis ipsorum versatur sola peccatorum suorum turpitudo; & justitia ipsorum, ut pannus pollutissimus, ipsis apparet: ita ut non audeant, opera sua imperfecta, fructus Spiritus appellare. In hac conditione constitutus *David*, precatur (*Psal*.51.12.) ut Deus creet in ipso cor novum. Et in simili conditione,*Væ mihi* (inquit *Isaias*, Cap.6.5.) *quia homo sum pollutus labiis*. Et *Jobus*,Cap.40.4.& 42.6. *Jam te video,*

& meipsum abominor: nihil jam videt in se præter peccatum. Aliquando vero lux Spiritus discretionis oritur in animo ad distinguendum inter opera bona, & operum imperfectiones; inter partes Spiritus Sancti in nobis agentis, & partes peccati inhabitantis.

15. His distinctionibus præmissis: Ad quæstionem respondemus. Quia fructus Spiritus, tempore tentationis, non semper observantur, licet præsentes se offerant observandos: & quia persuasio de fide data, & renovatione factâ, concuti potest, aut ad tempus infirmari, quandiu fructus Spiritus & signa Regenerationis non apparent, nisi æger, in hac conditione constitutus, confugiat ad Christum, sub sensu peccatorum suorum, sub sensu sterilitatis suæ, & impotentiæ ad ferendum fructus; convictus imprudentiæ tenetur, quod usus sit fructibus fidei olim editis, non tam ut signis Regenerationis, quam ut causis Reconciliationis; & quod innixus sit iis, ut operibus aliquo modo merentibus ut admitteretur ad Christum: seu, couvincitur quod opera sua fecerit causas accedendi ad Christum, & credendi in eum: & idcirco convincitur, quod ex parte saltem carnalis fuerit ipsius fiducia. Cum enim ratio adeundi Christum ex parte nostra, non sit dignitas & justitia personæ accedentis; Sed Conscientia indignitatis & peccatorum: quicunque in fructuum defectu & in Conscientia indignitatis suæ non tanto magis humiliat se, & ad Christum confugit, quanto magis Conscientia sterilitatis & indignitatis suæ premitur: Næ ille quærit aliquas virtutes in se, quas tanquam mediatrices faciat inter se & Deum, per quas & propter quas ad Christum adducatur & admittatur. Quoties igitur persuasio, de officio & jure credendi in Christum, debilitatur ex concussione, vel absentia persuasionis de fide jam data, toties dubitantis fiducia comperitur fuisse carnalis. A qua carnali fiducia, veri Israelitæ procul abesse debent, *Philip.* 3.3. *Nos* (inquit Apostolus) *sumus Circumcisio, qui colimus Deum in spiritu, & gloriamur in Christo Iesu, nec confidimus in carne.* Verumtamen hoc similiter semper tenendum est, quod qui carnalis fiduciæ convincitur, non debeat recedere à Christo; sed tanto magis humiliari in conspectu ejus; tanto magis confugere ad eum; tanto magis justitiam ejus imputatam magnificare; tanto magis per fidem ex Christo vires sugere, ad meliores fructus ferendum; & in ejus nomine officia omnia pro vocatione aggredi, & inchoare, & prosequi.

CAP. VII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ Regeniti in fascinatione sua sibi placentis.

UT hunc Casum facilius explicemus, Nonnihil de fascinatione præmittendum est. Βασκαίνω, fascino (qua voce utitur *Paulus*, *Gal.* 3 1.) plerique Grammatici dici volunt quasi φασκαίνω (παρὰ τὸ φάεσι καίνειν) oculis seu aspectu occido, vel lædo: unde βασκανία, fascinatio, & fascinum, quoddam incantationis genus, quo non tantum bestiæ, sed etiam homines ita ligantur, ut nec liberi nec mentis compotes sint, sed sæpè ad extremam maciem & mortem deveniant. Fit autem hæc incantatio non tantum oculis sed etiam linguâ, quæ locutione apertâ, vel murmuratione lædit. Est & Βασκαίνω, invideo: quia venefici & veneficæ, qui & quæ venena conficiunt, & incantationibus suis, nempe, veneficis oculis vel verbis, vel aliis malis artibus nocere student, ex invidia id faciunt, quasi fascinatio sit læsio cum quadam invidentia illata: & certè Diabolus (fascinationis primus author) ex invidentia semper lædit. Notat etiam hæc vox præstigias, quibus præstigiator solet oculos alterius ita perstringere, ut pro veris rerum speciebus falsas apprehendat. Ab oculis autem ad mentem, propter similitudinem, significationem vocis trahit Spiritus Sanctus, *Gal.* 3. 1. In fascinatione generaliter sumpta comprehenditur & fascinatio activa & passiva: in activa fascinatione comprehenditur & primus Author Diabolus, & ejus servus quicunque fascinationis præcipuus artifex est, nempe, veneficus vel præstigiator, & simul aliud quodvis hujus mali instrumentum. In fascinatione autem passiva, respicimus solum objectum fascinationis, quod, vel quatenus, nocumentum patitur. Quando autem fascinationem sumimus magis specialiter, prout ad mentem seu animam pertinet, vox transfertur per similitudinem à corpore, quando errore aliquo pernicioso contra Dei veritatem aliquis inficitur & pervertitur: & hic instrumenta Diaboli esse possunt, non tantum servi ejus ex pacto, (qualis videtur fuisse *Balaam*, & *Jezabel* pseudoprophetissa, *Apoc.* 2.) sed etiam quivis irregenitus, errore aliquo pernicioso irretitus & retentus, eique jam pertinaciter addictus. Imo vero Regeniti non eximuntur ab hoc periculo sive fascinationis activæ sive passivæ: siquidem etiam Regeniti, in errore aliquo pernicioso versantes, poterint facile negotium Diaboli in Ecclesia visibili promovere; aliiq; alios in errorem inducere, & in eo se mutuo obfirmare: Non enim frustra discipulis suis dixit Dominus,

nus, (*Johan.* 13. 40.) *Princeps hujus mundi venit, & nihil habet in me*, i. e. nullum peccatum originale, vel actuale inveniet in me; nullum opus aut instrumentum suum, quo uti possit ad nocendum mihi, vel per me aliis, inveniet in me, & proinde nihil potestatis aut juris in me habet: quo dicto, innuit non ita se rem habuisse in suis discipulis, eóque etiam admonuit eos, ut sibi magis à Diabolo caverent: quia Diabolus in sanctissimis discipulis aliquid habet quod suum est, nempe, vitiosam naturam, nondum plene mortuam; cupiditates carnales, vegetas nimium & valentes; ignorantiam, & errores, aliamque supellectilem multam, & instrumenta multa, quibus uti possit, ut & ipsis & aliis per eos noceat.

2. Verum ut ad rem propius accedamus: etiamsi fascinatio (prout à nobis hic sumitur) astringatur ad errores mentis, (in quibus omnibus, non negamus Diabolum versari posse & solere, ut per errorem aliquem mentis, voluntatem & vitæ actiones pervertat:) Non tamen in omni errore mentis fascinationem specialiter dictam ponimus. Alii enim sunt leviores & mentis & actionum errores multi, non diabolici, sed humani; omnibus etiam sanctissimis communes: à quibus Regenitus nunquam, dum in hac vita agit, liber erit. De quibus Psaltes, *Psal* 19. 12. *Errores quis intelligat? ab occultis innocentem me pronuncia*. Neque in genere fascinationis, de qua nobis inquirendum est, eas deceptiones ponimus quæ impiis & perversis hominibus propriæ sunt, quales sunt inventiones & fabricationes malæ, ex destinato consilio excogitatæ, quibus intenti sunt improbi & crassi hypocritæ, sibi ipsis conscii nequitiæ suæ: De quibus Parœmiastes, *Pro.* 14. 22. *Nonne errant* (inquit) *qui fabricant malum?* id est, non est dubium quin errent: sed tamen, quia Conscientia intus ipsos condemnat & sæpenumero mordet, usque dum desperatè peccando, cauterio inuratur; non referimus hoc genus deceptionis ad *fascinationem* de qua nunc acturi sumus. Nam fascinatio, quam nos inquirimus, est in eo deceptionis genere in quo aliquis decipitur, & decipi se nescit; in quo errans & deceptus errorem suum putat esse nullum errorem; imo vero putat esse veritatem perutilem, observatione & acceptatione insigniter dignam: qualis fuit deceptio quadringentorum pseudo-prophetarum *Achabi*, qui, à spiritu impostore seducti, consilium dabant *Achabo*, (quasi divinitus missi) ut in *Syriam* descenderet contra *Ramoth Gilead*, 1 *Reg.* 22. Neque fascinationem hoc in loco æstimamus omnes hujus generis præstigias Diaboli, sed illas præstigias tantum, quæ versantur circa Religionem; circa veritatem Ecclesiæ revelatam, & quæ tendunt ad perniciem Ecclesiæ, aut animarum perditionem. Denique, non veniunt nobis in fascinationis rationibus computandæ omnes tentationes ad errores

perniciosos, nisi efficaces fuerint & effectum sortiantur præstigiæ jam receptæ in animis hominum tanquam veræ, bonæ, & omni acceptatione dignæ. Quandiu enim Diabolus tentat tantùm Regenitorum animos, & præstigiarum suarum splendorem iis ostentat, & non obtinuit ut error oblatus imbibatur, non obtinuit ut pro veritate error habeatur, non obtinuit ut in corde retineatur & foveatur; Tandiu *tentatio* Diaboli, non autem *fascinatio*, dicenda est: Incepit quidem Satan per tentationes suas incantare ut fascinaret: sed Conscientia Regeniti non est fascinata dicenda, donec errorem imbiberit.

3. Pro instituto igitur nostro, suffecerit fascinationem sic describere. [*Fascinatio, est, Spiritus impostoris vehementior operatio, qua noxium aliquem errorem in dogmate vel praxi, (doctrinæ sanæ contrarium, sed sophisticis præstigiis depictum) pro veritate incautis hominibus obtrudit, iisq; efficaciter persuadet ut errorem eum confidenter amplectantur, strenue defendant; & zelo, non secundum Deum, propagent.*] Ad explicandam descriptionem hanc, dicimus, 1. Fascinationem esse *operationem Diaboli vehementiorem*, in qua Diabolus permittitur ingenium suum & vires suas exerere & liberius exercere. In omni ergo fascinatione prævalenti seu efficaci, concurrit judicium Dei, seu aliquid judiciale in laxandis Tentatoris habenis, ut per fascinationem unus gradus peccati per alium gradum subsequentem puniatur. Non mirùm igitur si Imposter intentius operetur, ubi per potentem Dei manum non restringitur. 2. Dicimus fascinationem intendere *errorem aliquem noxium*, nempe, ad perniciem Ecclesiæ, vel perditionem animarum tendentem: Non quod æstimemus ullum peccatum mortis meritum secum non trahere, (siquidem omnis peccati stipendium est mors;) sed quia non tam laborat Diabolus in erroribus minus noxiis seminandis & propagandis, quam in iis qui maxime ad Ecclesiam dissipandam, aut ad professores Religionis à veræ & salutiferæ Religionis semita divertendum faciunt. Et hunc in finem, nullum non movet lapidem, ut veritati tenebras offundat, & errores maxime perniciosos cudat & disseminet. Interim, non est ille otiosus etiam in minutioribus erroribus seminandis, ut rixas & contentiones in Ecclesia excitet, quibus tempus pretiosum & ædificationi in veritate debitum consumatur in frivolis nugis ad contentionem comparatis, ut ad errores crassiores viam sternat, & hominum animos præparet. 3. Distinguimus errorem in dogmate & in praxi: nam licet non poterit esse *error in praxi*, sive in externo cultu Dei, sive in regimine Ecclesiæ, sive in conversatione & vita communi, quem quis mordicus tenet & defendit, qui non etiam conjunctum habeat *errorem in dogmate*; alioqui enim non esset

sanæ

sanæ doctrinæ contrarius: error tamen in dogmate esse potest, ubi in praxi externa error non observatur, sed consensus & harmonia inter partes dissidentes manet. 4. Præsupponimus errorem noxium *sophisticis præstigiis depictum*: aliter enim decipi non posset discipulus Christi, si error propriis suis coloribus visendus exhiberetur; si, quam contrarius sit sanæ doctrinæ, veris rationibus ei demonstraretur; si quam perniciem Ecclesiæ & hominum animabus afferret ab eo perspiceretur: hic enim quivis sana mente præditus, ab errore, ut à profundo puteo, declinaret: sed Satan etiam proponit errorem quasi veritati divinæ & rationi sanæ maxime consentaneum; quasi credenti salutarem & Ecclesiæ utilem; & sub prætextu aliquo adeo amabilem, ut error ille dignus judicari debeat: in quo defendendo & propagando, omnes nervi intendi debeant. 5. In fascinatione præsupponitur *persuasio fascinati*, eaque supra omnem probationis allatæ vim firma: hic enim imprimis erroris efficacia apparet, quando Impostor ex conjecturis probabilibus, ex prætextu utilitatum, & sophisticis aliis ratiocinationibus, persuasit homini conclusionem de errore inferendo tam firmiter deductam esse, quam si oraculum divinum recte intellectum propositum fuisset. Quomodo Spiritus Impostor hanc persuasionem operatur, nihil attinet hic inquirere: habent enim Spiritus suam rationem & viam nobis incognitam, qua conceptus suos invicem communicent. Satis est quod Scriptura nos docuit Satanam objectiones suas adversus fidem nostram posse formare, easque tanquam ignita tela contra nos contorquere; & posse persuasiones falsas & erroneas imprimere, qualis erat illa persuasio Galatarum, (cap. 5. 8.) quæ non provenit ex eo qui vocavit eos. 6. In fascinatione notamus *ardorem zeli spurium* in fascinato, ad defendendum & promovendum errorem quem amplexus est: hoc enim studiose curat Satan, quando fermento suo fermentavit aliquam massæ partem, seu membrum aliquod visibilis Ecclesiæ, ut totam etiam Ecclesiam fermentet eodem errore.

4. Atque ut hæc adhuc clarius perspiciantur, inquirendum nobis, primo, An hujusmodi fascinatio acciderit, vel accidere possit Regenitis? nam, de irregenitis, de improbis, & de Diaboli mancipiis, nulla quæstio est. Secundo, quænam sunt effecta & indicia fascinationis? Et tertio, quænam sunt ejus causæ? quibus breviter nominatis ad curationem hujus mali veniemus.

5. Quod ad primam quæstionem attinet. *Resp.* Quod ejusmodi fascinatio accidere possit Ecclesiæ veræ membris etiam regenitis, apparet: quia ab hoc fascinationis genere Apostolus metuebat Corinthiis, 2 *Cor.* 11. 3. *Metuo* (inquit) *ne quo modo serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corrupta mentes vestræ degenerent à simplicitate quæ est in Christo.* Simi-

liter, metuit etiam Colossensibus ab hoc malo, *Col.* 2. 4. *Hoc autem dico* (inquit) *ne quis vobis imponat, probabilitate sermonis:* & ver. 8. *Videte ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum:* & ver. 18. *Nemo adversus vos Judicis partes sibi ultro sumat, in demissione animi, & cultu Angelorum, invadens in ea quæ non videt.* Unde, quod malum hoc invadere possit etiam Regenitos, perspicuum est. Quod autem Regenitis actu acciderit, testatur experientia: Christus enim (*Apoc.* 2. 20.) alloquens Ecclesiam Thyatirensem, dicit, *Habeo adversum te pauca,* nempe, *quod permittis mulierem* Jezabel, *quæ se dicit prophetissam, docere & seducere servos meos, ut scortentur, & edant ex iis quæ simulacris immolantur.* Et *Paulus* in Galatis rem totam apertissime explicat: primo enim, Spiritus Impostor, per pseudapostolos, seduxerat eos à doctrina gratiæ, & efficaciter fascinaverat eos, *Gal.* 3. 1. *O amentes Galatæ, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati?* Secundo, error quo irretiti sunt, fuit maximus, *Gal.* 1. 6. *Miror vos ita cito, deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium:* Et (*Gal.* 5. 2.) periculum erat ne Christus illis nihil prodesset: Et ver. 4. prope erant ne exciderent à gratia. Tertio, errabant & in dogmate & in praxi: in dogmate, quia per Legem justificari se posse putabant, *Gal.* 5. 4. In praxi autem taxat errorem Apostolus, *Gal.* 4. 10, 11. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos: metuo de vobis, ne frustra laboraverim apud vos.* Quarto, error eorum larva & fuco mentitæ veritatis incrustabatur, ita ut præcupide oblatum errorem arriperent: cap. enim, 4. 9. convertebant se, absque omni ratione, retrorsum ad impotentia & egena elementa Legis ceremonialis jam abolitæ, quibus jam, post tempus abolitionis constitutum, servire volebant: & ver. 21. volebant esse sub Lege, seu, fœdere legali, hoc est, reipsa sub maledictione Dei. Quinto, erat in iis perniciosi erroris hujus non *opinio* levis, sed *persuasio* plena: & persuasio hæc (ut habetur, cap. 5. 8.) non profecta est ex eo qui vocavit eos, hoc est, non à Christo; non à Spiritu ejus, qui est Spiritus veritatis. Unde igitur? Certe non nisi à Spiritu impostore. Sexto, spurius zelus hîc manifestus erat, & in pseudapostolis seductoribus à Diabolo prius fascinatis, & in ipsis Galatis, eorum opere fascinatis, cap. 4. 17. *Depereunt vos* (inquit) *non bene, imo excludere vos volunt, ut se depereatis,* hoc est, ac si dixisset, præpostero erga vos zelo feruntur; rationem salutis vestræ non habent; præ desiderio faciendi vos discipulos suos, excludere vos volunt, nempe, à societate Christi & Apostolorum, ut ipsos depereatis, & sequaces ipsorum discipuli fiatis. Quod

autem ad ipsos Galatas attinet, qui fascinati erant: desierant fere jam amare Apostolum *Paulum* absentem, per quem ad Christum adducti sunt, & quem, dum præsens esset, magni-faciebant; in cujus gratiam oculos (si fieri licitum fuisset) impendissent, ver. 15. Imo vero, ex spurio hoc zelo & studio erroris sui, amorem suum pristinum erga Apostolum, in odium fere converterant, sicut de iis conqueritur Apostolus, ver. 16. *Num inimicus factus sum vobis* (inquit) *dum vobis vera loquor?* Ex his satis constat Regenitos obnoxios esse huic malo, nisi vigilent, & sedulo orent Deum ut ipsos ab impostura custodiat: multi enim ex Regenitis, instar agnorum vel ovium, admodum simplices sunt; & jam recens ad Christum conversi plerique, omnem speciem pietatis in aliis reverentur; nec facile in seductoribus (qui pietatem præ se ferunt) dolum ullum suspicantur: unde incauti ab hominum blandiloquentia sæpe decipiuntur, & in errorem sæpe trahuntur, sicut innuit Apostolus, *Rom.* 16. 18.

6. Quod ad effecta & indicia fascinationis efficacis attinet: quia effecta fascinationis activæ, sunt indicia passivæ, utraque nos conjungemus: nam reipsa eadem sunt in subjecto fascinato, licet alia atque alia ratione dicenda sint & effecta fascinationis, & fascinationis indicia: Nam effecta Spiritus impostoris fascinantis in fascinato producta, sunt indicia fascinationis passivæ, seu hominis jam fascinati. Hæc autem effecta seu indicia fascinationis, licet multa sint, Nobis tamen suffecerit aliqua tantum notasse. Primum igitur & præcipuum esto, dogmatis alicujus veri rejectio, & contrarii dogmatis falsi, ex hallucinatione, apprehensio. Hoc voco primum & præcipuum indicium: nam, nisi hoc indicium adsit, reliqua indicia, licet periculosam conditionem illius in quo reperiuntur ostendant, non tamen, nisi cum hoc indicio conjuncta, fascinationem probant. Hoc indicium in Galatis notat Apostolus, cap. 3. 1. *O amentes Galatæ, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati?* ubi veritatem ab iis abjectam indigitat, & obedientiam negatam veritati reprehendit.

7. Secundum effectum & indicium, est, *spuria persuasio*, qua fascinatus fallissimum errorem pro firmissima veritate apprehendit & amplectitur, in eoque tanquam in veritate divina sine hæsitatione acquiescit. Voco autem fascinati *persuasionem spuriam.* 1. Quia non est à Spiritu Christi: & hoc nomine Apostolus, (*Gal.* 5. 8.) taxat persuasionem Galatarum ut spuriam. 2. Quia hæc persuasio nec nititur expresso Dei Verbo recte intellecto, nec ratione aliqua ex Verbo Dei rite deducta. 3. Quia persuasio de erroris veritate plenior & confirmatior videtur esse, quam persuasio illa quam fascinatus habet de manifesta veritate multorum articulorum fidei: Verumtamen

cum ad probationem ventum eſt, vera fides, licet infirma, fortior comperitur ad ſuſtinendum tentationum impetum & perſecutionis onus, quam illa ſpuria perſuaſio. Qua de cauſa, Apoſtolus non dubitat, quin Galatæ renunciaturi fuerint errori, licet de ejus veritate perſuaſiſſimi videbantur. Denique *ſpuriam* voco hanc perſuaſionem: quia ortum ſuum & robur ſumit, non à conſenſu cum veritate, ſed à ſymphonia cum carnali aliquo affectu, cui error adblanditur. Propter cujus blanditias & lenocinium, carnalis & corrupta ratio facile in partes trahitur, ut pertinaciter errori adhæreat, eumque ſtrenuè defendat.

8. Tertium indicium, eſt, ſchiſma ſeu diviſio in Eccleſia viſibili, ab hac faſcinatione ortum habens: atque hoc effectum facilè comitatur vel ſequitur priora duo: ubi enim error in dogmate, vel agendi regula, ſemel obtinuit, & pro veritate ſe venditavit, ſtatim oriri diſſidia & contentiones inter eos qui veritati adhærent, & eos qui errorem defendunt, neceſſe eſt. Et in hoc Caſu Autorum ſchiſmatis culpa eſt maxima, ſicut innuit Apoſtolus, diſtinguens diviſionum Autores & ſeductores, ab iis qui dividebantur & decipiebantur, & qui diviſionis & ſeductionis, non autores, ſed fautores erant, *Rom.* 16.17. *Precor vos, fratres,* (inquit) *ut obſervetis diſſidiorum & offendiculorum auctores, contra doctrinam quam vos didiciſtis: & declinetis ab eis: qui enim tales ſunt, non ſerviunt Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſed ſuis ventribus.*

9. Quartum effectum, ſeu indicium, eſt, ſtultitia & quaſi *amentia* faſcinati, quæ apparet partim in errore recipiendo, partim in eo defendendo & promovendo: ſive enim error receptus conſideretur, falſitas eſt & deceptio, ſive ſubita ejus receptio abſque probatione, ſtultitia eſt; ſive reſpiciamus damnum ex ejus propagatione fluens, à faſcinato minimè penſitatum, amentia eſt: neque ſecus ſe res habere poteſt: Nam dogma erroneum, etiamſi prima facie ſpeciem aliquam habeat pietatis vel prudentiæ, comparatum tamen ad Scripturæ & rectæ rationis regulam, vanitas, falſitas, & mera impoſtura eſt, ſicut de erroribus ſuo tempore gliſcentibus in Eccleſia Apoſtolus obſervat *Col.* 2.23. *Speciem* (inquit) *ſeu prætextum habent ſapientiæ in cultu voluntario, & ſubmiſſione animi: non tamen ullius ſunt pretii:* & v. 18. loquens de erroris autoribus, dicit eos turgere carnis ſuæ ſenſu, temerè ingerentes ſe in ea quæ non vident. Et *Gal.* 3. 1. Apoſtolus vocat Galatas *amentes:* quia errorem prædictum admiſerant. Quod vero ad ſubitam erroris receptionem attinet, apparet ſtultitia, quia error propter ſpeciem quam præ ſe fert ſanctitatis & veritatis, temerè ſine diſputatione & ſine diſquiſitione arripitur. Hanc ſtultitiam admirabundus reſpicit Apoſtolus, *Gal.* 1.6. *Miror*

ror vos ita cito, deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium. Cum enim vix obtineri possit à multis, ut aliquam partem sanæ doctrinæ capiant, etiam post aliquot annorum labores fidelium Pastorum: usu tamen venit, si offeratur ipsis error, ut subito videantur eum satis intelligere: & certe nimis cito errorem intelligunt, & paucis diebus in hoc argumento adeo periti evadunt, ut quemvis ad disputationem hac de re parati sint lacessere: in quo argumento tamen, quanto sibi videntur disertiores, tanto comperiuntur amentiores. Deniq; stultitia & amentia apparet in eo quod damnum ab errore suo productum non considerant: schisma enim illis nihil est; lacerationem corporis Christi non curant. Atq; hoc nomine Apostolus taxat Corinthios; quod de re levi contendentes inter se, (utpote, de Doctorum suorum excellentia) Christi corpus lacerarint, Christi Dominium discerpserint, gloriamque ejus hominibus communicare non dubitaverint; aliaque multa incommoda Ecclesiæ intulisse non curaverint: quæ mala, Corinthii minime considerabant; nec demonstrata, æstimabant prout oportuisset.

10. Quintum indicium seu effectum fascinationis, est, fascinatorum superbia & inanis gloriatio in errore suo, 1. *Cor*. 3.21. gloriabantur Corinthii in hominibus & in suæ sectæ ducibus: eoque nomine, alii alios præ se despiciebant & contemnebant. Et hanc notam Sectariorum designat Apostolus, 2. *Tim*. 3.2. quod fuerint jactabundi, gloriosi, superbi: Et ex hoc fonte, *Col*. 4.18. Judicis partes assumebant Sectarii, adversum eos qui suæ ipsorum sententiæ, non subscribebant & temere turgebant in carnis suæ sensu. Sic, *Apoc*. 2.24. Sectatores *Jezabelis* pseudoprophetissæ, Orthodoxos tanquam rudiores & ignaros despiciebant; quasi alta mysteria & spirituales profunditates, veræ Religionis, scilicet, (ut putabant Sectarii) non potuerint capere. Quæ tamen mysteria erant meræ præstigiæ & profunditates, non Dei, sed Satanæ. Verũ hujusmodi fascinatis vera dogmata minoris sunt momenti, quam ipsorum dilectus error; & omnes, qui idem cum ipsis non sentiunt, exiguæ sunt apud eos æstimationis, etiamsi in reliqua omni veritate consentiant.

11. Sextum effectum seu indicium fascinationis efficacis, est, zelus immoderatus, præposterus, & spurius. Hoc indicium in genere observavit Apostolus in Israelitis infidelibus, *Rom*. 10.2. *Zelum* (inquit) *habent Dei, sed non secundum cognitionem.* In specie autem, zelus hic spurius, 1. vehementior est & ardentior quam zelus secundum Deum solet esse in Regenitis. Error enim ille, pro quo contenditur, naturæ corruptæ fœtus est: & propterea naturam corruptam amicam habet, & in omnibus sequacem, sine oppositione & contradictione. Conscientiâ enim in hoc Casu errante, & non tantum non reclamante, sed per deceptionem consentiente & instigante

ad

ad errorem defendendum, Non mirum est propensissime ferri naturæ corruptionem ad fœtum suum erroneum quaqua potest ratione alendum, augendum & confirmandum. Zelus autem secundum Deum solet esse remissior: quia non tantum habet conjunctum timorem Dei moderatorem, qui temperet & frænet ejus ardorem ne excedat, sed etiam habet conjunctam corruptam naturam, & affectus carnales nondum satis mortificatos, cum quibus luctari necesse est novam creaturam, ne ab iis plane extinguatur. Cujus rei testimonium, est, experientia omnium Regenitorum, qui, in omni re bona, zelum suum remissiorem, frigidiorem, & obtusiorem quam par esset, observant. 2. Zelus hic spurius aut reperit aut reddit fascinatum adeo tenacem erroris, ut paratior sit ad recipiendum alium errorem quam ad eum errorem dimittendum pro quo dimicat: idq; evenit partim ex necessitate, partim ex prava voluntate. Dico *necessitate:* quia uno dato absurdo multa sequuntur: & impossibile est errorem ullum defendere, nisi per errores alios. Dico *prava voluntate:* quia, quando fascinatus in disputatione ita irretitum se videt, ut necesse habeat, vel illum dimittere errorem, vel alium errorem admittere, eligit potius alium errorem admittere & defendere, quam receptum errorem rejicere. Zelus autem secundùm Deum, studiosus est omnis veritatis, ut alia dogmata vera non minus diligit, quam illud quod adversus erroris impetum defendit; nec sinit Orthodoxum pro defensione ullius dogmatis, veritatem ullam vendere. Contra, se habet zelus spurius: nam, si in comparationem veniant plura dogmata vera cum errore quem fascinatus imbibit; fascinatus multo acrius propugnabit errorem suum, quam veritatem quam novit, & agnoscit maximè esse necessariam: ut apparet in Pharisæis, qui misericordiam, justitiam & fidem, reliquaque mandata Dei irrita reddebant præ studio traditionum suarum, (*Matth.* 15.6.) Id quod etiam observare poteramus nos, (non multis retro annis) in pontificiarum cæremoniarum Patronis, qui graviora peccata impunita permisissent potius, quam meram omissionem cæremoniæ leviusculæ tolerassent. 3. Zelus spurius nimium diligens est ad communicandum & disseminandum, quaqua ratione potest, errorem suum, per modum doctrinæ. Et certè hujusmodi hominum sermo serpit ut gangræna, 2. *Tim.* 2.17. Et paulum fermenti corrumpit totam massam, *Gal.* 5.9. In quo Casu Christus monebat discipulos suos, ut caverent sibi à fermento Pharisæorum, quo illi operam dabant, ut totam Ecclesiam fermentarent. Et efficit hic zelus (sicut experientiâ notum est) ut fascinati nulli parcant labori, quo alios in erroris sui communionem trahant: ut videre est etiam in Pharisæis, qui circumibant mare & terras, ut proselytos facerent, *Matth.* 23.15. 4. Zelus spurius in fascinatis nimium propendet

in æstimationem & curam eorum, qui erroris sui sequaces sunt; & simul affectat amorem & æstimationem apud eos,qui eodem cum ipsis errore implicantur. Id videre licet in schismate Corinthiorum, quorum alii hujus Doctoris discipuli dici volebant, alii vero illius discipuli audire malebant: & singuli in suis Antesignanis gloriabantur, 1.*Cor*.3.5.21. Sic etiam sectarum duces in suorum discipulorum multitudine,aut carnali aliquâ excellentiâ vicissim gloriabantur. Quod autem ad verum zelum attinet, raro & in paucis vehemens comperitur: nam,in dilectionis officiis, Orthodoxi frigidiores solent esse, & opus habent frequentioribus hortationibus & excitationibus, ut idem sentiant & se mutuo diligant. Hunc spurium zelum observabat Apostolus in Galatarum seductoribus,& in Galatis seductis,*Gal*.4.17. *Depereunt vos sed non bene,etiam vos excludere volunt,* (scilicet à Dei & nostro consortio) *ut se depereatis.* 5. Denique,spurius zelus in fascinatis nimium propendet in contemptum & odium eorum qui errorem suum oppugnant: Simul enim ac schismata orta sunt inter Corinthios,orta sunt etiam dissidia,1.*Cor*.3.3. & 2.*Cor*. 12.20: Et de eo in Galatis conqueritur Apostolus,*Gal*.4.16. *Num vero factus sum vobis inimicus, quia veritatem vobis dico?* Atque hæc de effectis & indiciis fascinationis sufficiant pro instituto nostro.

12. Quod ad causas attinet: variæ illæ quidem sunt, & ex his aliæ efficientes principales; aliæ administræ, aliæ meritoriæ & adjuvantes: quas causas omnes & instrumenta, Deus, pro sua justitia, potentia, sapientia & bonitate regit & moderatur ad gloriam suam & Ecclesiæ bonum. Huc pertinent ea quæ Apostolus, 1.*Tim*.4. 1,2. *discedent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus,& doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauterio inustam habentium suam Conscientiam.* Ubi,1 prædicit *discessionem* futuram à doctrina Apostolorum, seu,à fide circa usum rerum licitarum; & admissionem futuram contrariæ doctrinæ falsæ: cujus autores designat *Spiritus impostores*,seu,homines Diaboli spiritu actos. 2. Modum seducendi notat fore per *mendacium* in crassa hypocrisi prolatum. 3. Ne quis miretur quin fieri posset, ut audeant aliqui mendacium contra Conscientiam proferre,causam observat, nempe,*Conscientiam cauterio inustam.* Et 2.*Cor*.13.14,15. de præstigiatoribus loquens;*Operarii* (inquit) *sunt subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo mirum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ.* Ubi observat Apostolus, inter varios modos quibus solet Diabolus hominibus imponere,unum genus stratagematis esse *mentiri pietatem*,simulare zelum Dei,

& autoritatem à Deo prætendere, ut incautos capiat. Quâ fallaciâ quicunq;, decepti sunt, facilè & ipsi induunt similem tunicam: nam decepti decipiunt alios, prætendentes Scripturas, ut contra Scripturam dimicent; & sanctitatis speciem præ se ferentes, ut officia sancta impediant.

13. Quod autem ad receptionem errorum attinet: satis est propensionis in nativa cordis nequitia, & imperscrutabili ejus perversitate, de qua Deus agit, *Jer.* 17. 9. Et causam unam inter multas assignat Christus, nempe, ignorantiam veritatis revelatæ, *Matth.* 22. 29. *Erratis* (inquit) *nescientes Scripturas, & virtutem Dei.* Et Apostolus (*Gal.* 5. 20.) enumerat contentiones, æmulationes, hæreses, seu, sectas, inter opera carnis. In specie autem, (1 *Tim.* 6. 10.) φιλαργυρίαν seu, concupiscentiam pecuniæ, notat causam esse aberrationis à fide, & multiplicis maledictionis Dei insequentis. Idem judicium est Apostoli de *autore* divisionis in Ecclesia, nempe, quod quisquis autor est schismatis servus sit (in hoc opere saltem) ventris sui, seu cupiditatis alicujus carnalis, etiamsi sibi & aliis videatur sanctissimus: stat enim sententia Spiritus Sancti qui corda hominum explorata habet, *Rom.* 16, 18. *Ejusmodi homines* (inquit) *Christo Domino non serviunt, sed suo ventri; & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Et de his testatur *Judas*, 16. 19. quod sint murmurationibus & querelis dediti, & cupiditates pro regula habeant: *Hi sunt murmuratores, queruli, secundum desideria sua ambulantes: & os eorum loquitur superba, admirantes personas quæstus gratia. Hi sunt qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes:* carnem maculant, dominationem spernunt, majestatem blasphemant. De his Prophetavit *Paulus*, 2 *Tim.* 4. 3, 4. *Erit* (inquit) *tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt: sed, ad sua desideria coacervabunt sibi Doctores prurientes auribus: & à veritate quidem aures avertent, ad fabulas vero divertent:* Quo in loco causam meritoriam & adjutricem fascinationis receptæ statuit Apostolus, nempe, *cupiditates pravas:* unde sequuntur *aversio* à sana doctrina, & *pruritus* audiendi nova dogmata quæ consentiant ipsorum cupiditatibus, & electio ministrorum quorum doctrina respondeat ipsorum affectibus. A quibus doctoribus monet Christus discipulos ut sibi caveant: *Cavete* (inquit) *à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:* qui pseudoprophetæ non discernuntur per *externam conversationem:* quia hic agni innocentes videntur, sed per *doctrinas falsas* quæ sunt propria ministerii opera, ex quo fonte pessimi fructus sequuntur, & per eos doctrinæ suæ fructus, lupi rapaces esse dignoscuntur, quamcunque larvam pietatis & sanctimoniæ induerint. Causa autem hujus mali meritoria apertissime

exprimi-

exprimitur, 2 Theſſ. 10. 11. *Quia amorem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent:* ideo mittet illis Deus efficaciam erroris, ut credant medacio. Quod Dei judicium etiamſi ad perditionem uſque proſequatur ſolos reprobos; aliquouſque tamen attingit etiam Regenitos: quia aliqui ex iis pravis cupiditatibus ad tempus nimium indulgere comperiuntur: nam veritatem quæ poſſet iſtas cupiditates jugulare, non recipiunt cum dilectione ut par eſſet: idcirco Deus ſinit eos errore contrario infici, & acerbos ejus fructus comedere, ut caſtigati, reſipiſcant, & amarum errorem una cum cupiditate illa prava, quæ errorem genuit & nutrivit, abjiciant. Totam autem hanc rem Deus in ſapientia ſua, & judicio juſtiſſimo, ſanctiſſime ſimul & potentiſſime ita regit & gubernat, ut veritati ſuæ nihil decedat; nec jactura fiat ullius animæ electæ: ſicut certos nos reddit Chriſtus, loquens de efficacia errorum in pſeudochriſtorum ore, *Matth.* 24. 24. *Edent* (inquit) *pſeudochriſti & pſeudoprophetæ ſigna magna & prodigia, ut decipiantur (ſi fieri poſſit) etiam electi.* Idem manifeſtum eſt ex Apoſtoli verbis, 1. *Cor.* 11. 18, 19. *Audio ſchiſmata eſſe inter vos, & ex parte credo: nam oportet ut hæreſes oriantur inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant:* Ubi decretum eſſe à Deo oſtendit Apoſtolus permittere ut hæreſes oriantur, & non ſchiſmata tantum: ut ſic magis manifeſtet veritatis ſuæ ſplendorem, aliorum cupiditates in apertum producat: alios caſtiget, alios perdat, & fidem ſuorum exerceat & probet; ut manifeſtum faciat (ad occludendum os calumniatoribus) veritatem in majori eſſe pretio apud verè fideles, quam bona terrena, vel vitam hanc mortalem, quæ in diſcrimen venire ſolent in defenſione veritatis, & contentione pro fide contra Hæreticos eorumque fautores.

14 Malum hoc in quibuſdam incurabile eſt, nec facilè curatur in Regenitis: idque quatuor ob cauſas. 1. Propter radices altas cupiditatis carnalis, unde error oritur & alitur; cujus radicis fibræ adeo multæ ſunt, & aliæ aliis implicatæ, ut non niſi ſpeciali Dei potentiâ evelli poſſint. 2. Propter præſtigias ſophiſmatum, quæ oculos mentis ita perſtringunt, & perſuaſionem falſam confirmant, ut non poſſint facilè veritatem oblatam diſcernere. 3. Propter novas & repetitas ſubinde tentationes Diaboli, qui ut opus ſuum tueatur nullum non movet lapidem; & nova ſophiſmata ſuggerit faſcinato, quibus ſolida argumenta ad refutationem allata eludit; ſuſpiciones de oppoſita veritate, & de Orthodoxis adverſus errorem diſputantibus gignit & fovet, ne ex poſſeſſione ejiciatur. 4. Propter judicialem plagam, quam Deus inflixit faſcinato, ob alia ipſius peccata quæ faſcinationem attraxerunt, aut ei viam aperuerunt. Non tamen hìc deſperandum eſt de faſcinatis, ſed ma-

jori studio laborandum est, ut ab errore revocentur: sicut exemplo nobis est Apostolus. *Gal*. 5. 10. *Confido* (inquit) *de vobis in Domino, quod non aliter sentietis*. Et cap. 4, 19. *Filioli mei*, (inquit) *quos iterum parturio, donec Christus in vobis formetur*.

15. Primo igitur orthodoxi Pastores, sicut decet Christi ministros, sanam doctrinam frequenter proponere debent fratribus. Hoc jubet Apostolus (1. *Tim*. 4 6. & 2. *Tim*. 4. 1, 2.) prævidens has fascinationes venturas; & gravissimâ hortatione excitat Pastores, ut prædicent verbum, instent tempestivè, intempestivè, obsecrent & increpent cum omni patientia & doctrina. 2. Disputandum est cum fascinatis de errore illo quo inficiuntur, ut argumentis ex Scriptura deductis, erroris sui convincantur; sicut docemur exemplo *Pauli*, cui cum negantibus Resurrectionem res fuit, 1. *Cor*. 15. & cum quærentibus justitiam ex Lege, Epist. tota ad *Gal*. 3. Hortandus est fascinatus, ut accuratè se examinet de cordis sui conditione, scilicet, quomodo afficiatur, & erga veritatem agnitam, & erga cupiditates carnales: Si quis enim, despectâ veritate revelatâ, superbit in opinione suæ virtutis vel excellentia, sive in cognitione, sive in alio quovis dono; vel, si quis indulget cupiditati alicui carnali, idolumque erigit in corde suo, quando Deum consulit de dubii alicujus solutione; Non mirum est si responsionem capiat, qualem accepit *Balaam*, secundùm Idolum in corde suo erectum. 4. Rogandus est æger ut studeat humilitati; suspicetur cordis sui nequitiam, observet lenocinium pravorum affectuum, qui Conscientiæ fucum faciunt facile, & ostium aperiunt Diabolo, efficiuntque ut Conscientia, quæ gravis consiliarii officia præstare parata erat, adulatoris consilium suggerat. 5. Monendus est æger, ut Christi gratiam frequenter & serio imploret, ut fidei & resipiscentiæ actus edat sedulò; ut officiorum Christi rationem habeat specialem, ne sinat ea ociosa esse aut infrugifera versus se: nam quisquis non sequitur Christum, ambulabit in tenebris. 6. Hortandus est æger, ut caveat ne sermonibus corruptis, aut impuritate aliquâ pollutis, Spiritum Dei Sanctum contristet, qui ipsum in omni veritate alioquì deduceret: sed studeat in tota conversatione sua se sanctè gerere, & Deo se probare, Scripturas scrutari, & media omnia adhibere ad Scripturæ genuinum sensum inveniendum, in omnibus attentus, ne sapiat supra id quod scriptum est. 7. Inquirat accuratè Pastor ab orthodoxis ægri amicis, quam affinitatem habeant affectus & mores fascinati cum errore illo quo irretitur. Cujus consilii ratio est; quia omnes errores, & hæreses omnes, & omnia falsa dogmata quibus turbatur Ecclesia, in hominum affectibus, & praxi locum habent, priusquam in apertam professionem prodeant. Et hi affectus corrupti & praxes vitiosæ, (nisi à fide-

delibus

delibus observentur, condemnentur, & maturè corrigantur) statim invalescunt, & vires colligunt per negligentiam & tolerantiam Gubernatorum, & mores hominum magis magisque polluunt & corrumpunt. Tandem in Ecclesia, corruptelæ Patronos aliquos inveniunt, qui vitiosas illas praxes excusent & defendant : imo & specie aliquâ veritatis & sanctitatis eas incrustent, profitentes palam dogma erroneum, quod aliis propinent & obtrudant. Et hi patroni errorum vocantur à *Paulo*, *Ministri Satanæ*, & *falsi fratres*, 2. *Cor*. 11.16. & *impuri spiritus, impostores*, 1. *Tim*. 4.1. Et à Juda v. 4. dicuntur *homines olim destinati ad hanc condemnationem*. Et 2. *Tim*. 2.20. vocantur *vasa dedecoris*, in quæ stercus hoc errorum conjicitur, ad aliorum peccatum puniendum, & aliorum peccatum purgandum in familia Dei: Fideles enim qui errore practico inficiebantur, statim ac praxeos suæ turpitudinem depictam vident in erroris dogmatici examinatione & refutatione, eam cum abominatione rejiciunt, renunciantes & errori dogmatico & suo pristino errori practico: Atque ita domus Dei purgatur.

16. Quæ res tota ut melius dignoscatur, respiciamus repullulationem errorum, qui nostris temporibus in Orthodoxorum vexationem longè latèq; jam serpunt & Ecclesias Dei infestant: in quorum resuscitatione & propagatione legere licet Dei manifestum judicium adversus pravos affectus & corruptos mores eorum qui profitentur fidem Christianam. Notum est, (ah nimis notum est) plerosque Evangelicos secundum cupiditates suas incedere, & ut ad normam Legis divinæ vitam suam conforment minimè studere. Quid mirum ergo quod Deus aliquos ex his tradiderit in manus impuri & impudentis spiritus, qui ipsis persuadeat apertè sine rubore profiteri se postquam ad Christum venerunt à Dei Lege liberos factos esse, nec posse peccare quicquid patraverint? Sed Deus hac ratione reliquos omnes Christianos admonet cum fidei professione, novam Legis obedientiam & sanctè vivendi studium conjungere, nisi velint cum Antinomis Antichristiani esse & haberi. Quo enim alio nomine quam *Antichristianorum* vocemus eos qui Legem quam Christus venit ut stabiliret (*Matth*. 5.17.) ex professo student abolere, nec ipsius violationem pro peccato volunt haberi? Similiter, Nonne jure meritissimo per Anabaptistarum errorem Dominus exprobrat Orthodoxis neglectum & despectum usum Baptismi? Quotusquisque enim est qui beneficium quærit Baptismi sui, quem infans accepit, ut inde vel fœderis initi cum Deo, vel fidei suæ confirmationem petat? Quotusquisque est qui obligationem suam ad moriendum peccato & vivendum Deo, per Baptismum obsignatum sentit, aut cordi suo applicat? Quotusquisque est qui virtutem à Christo moriente ad mortificandum peccatum

trahit, aut virtutem Christi, promissam credenti, & Sacramento obstrictam serio implorat? Et quid est hoc aliud, quam Baptismum irritum, vanum, cassum, nullumque reipsa habere? Quidni ergo Deus in judicio suo justo permittat Diabolo tentare homines ad Baptismum iterandum, quasi non prius baptizati fuissent? ut, hoc errore admoniti baptizati omnes, Baptismatis sui semel in infantia sibi à Deo dati, usum petant legitimum, fructumque ferant debitum, nisi tentationi succumbere & Anabaptistæ fieri velint. Sic etiam, quum certum sit paucos esse qui recte didicerunt se nihil seorsum à Christo posse facere; & paucos esse qui viribus suis non confidunt plus satis, & qui opera quævis sacra vel communia non temerè aggrediuntur Deo inconsulto, & ipsius auxilio neglecto. Quid mirum est tot esse Arminianos & Pelagianos? Quando videmus tot homines in aliorum peccatis scrutandis & pensitandis oculatiores esse quam in suis observandis, deflendis & mortificandis, Non est mirandum tot esse Pharisæorum successores Separatistas. Quando videmus tot animas ventris sui, vanitatis suæ, & Mammonæ cultui se subjecisse; tot nomine-tenus Christianos Christum tanquam inane nomen respicere; opemque ejus secundùm officia Mediatoris minimè implorare; Scripturas negligere & despicere; alium spiritum quam illum qui in Scriptura loquitur appetere; Non est mirandum tot hominum millia, animas suas simul & corpora sua lignis lapidibusque pictis, & fictis Imaginibus & Idolis prostituere: Non est mirandum tot esse Arminianos, tot Socinianos, tot Antiscripturistas, tot Enthusiastas, & tot Scepticos esse. Idem judicium de omnibus aliis Sectariis, qui ex vitæ suæ practicis erroribus, seipsos fascinationi Diaboli velut extensis ulnis obtulerunt. Hîc ergo à Pastore vel amico orthodoxo; imo & ab ipso fascinato, si timore aliquo Dei imbutus comperiatur, inquisitio fiat, quis error practicus errorem dogmaticum quo inficitur induxerit: vel, quodnam aliud vitium in vita judicium mentis & professionem ejus vitiaverit: ut fascinatus revocatus ad resipiscentiam, & adductus ad Christum, qui solus est Redemptor & liberator animarum, liberetur ex laqueis Diaboli, & ab errore dogmatico sanetur: nam de Regenitis vel Electis spes est, quod remedium prædictum tempore opportuno in illis certum fructum sit habiturum.

CAP. VIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ hallucinantis, & vitium pro virtute amplectentis, in eaque conditione sibi placentis.

HAllucinatio propriè est morbus oculorum, quo illi circa objectum falluntur, alterumque pro altero conspicere sibi videntur. Transfertur autem ad mentis errorem exprimendum per similitudinem. Nos vero *hallucinationem* hoc loco, doctrinæ causa, vocamus eam Conscientiæ deceptionem, qua vitium morale in secunda Decalogi tabula prohibitum, sub specie & nomine virtutis moralis, vel actionis saltem licitæ, Conscientiæ repræsentatum admittitur & fovetur ab ea in praxi quotidiana, vel saltem prout occasio agendi offertur. Distinguimus autem hallucinationem à *fascinatione*, de qua in Casu proximè præcedenti: quod *fascinatio* fit in Religionis negotio, id est, in doctrina vel praxi quæ pertinent ad primam Decalogi tabulam: *hallucinatio* vero fit in negotio conversationis humanæ, & obedientiæ in rebus quæ pertinent ad secundam Decalogi tabulam. Deinde, quod hallucinatio magis sit humana, & frequentius accidat: fascinatio autem magis sit diabolica, & Diaboli artibus obducta. Dicimus *magis*: quia non negamus præstigias Diaboli in hallucinatione locum frequenter habere, vel habere posse, præsertim quando vitia crassiora thronum habent, & regnant in mortali corpore peccatoris: in quo Casu Scriptura eodem nomine & vitium nominat, & Spiritum impurum detinentem mancipium suum in servitute vitii alicujus, eumque ab eo vitio denominat, ut cum *Spiritus impurus*, *Spiritus mendacii*, *invidiæ*, *zelotypiæ*, *fornicationis*, *ebrietatis*, &c. vocatur. Sed quod ad hallucinationem eam cui obnoxii sunt Regeniti, in quibus non regnat peccatum, nec dominatur Spiritus impurus, sufficit cordis humani innata fallacia, & cupiditatum carnalium lenocinium & solicitatio. Hujus generis tot sunt species quot sunt vitia seu peccata contra secundam Decalogi tabulam, quæ speciem aliquam virtutis ethicæ induere, & fuco aliquo incrustatam virtutem mentiri possunt: sed sufficiet pro instituto nostro aliquas tantum species nominare, ex quibus judicium potest fieri de reliquis.

2. Una igitur species esto, quando quis sibi placet in nimia parsimonia & tenacitate, seu, quando quis ad rem familiarem nimium attentus est, & in lucrandi artibus nimium sibi indulget; studiumque hoc sordidum, frugalitatis, diligentiæ, & sedulitatis in vocatione sua, vel aliquo simili nomine, palliat;

præ

præ se ferens, & sibi etiam tacitè persuadens, quod hæc sua praxis non tantum longè absit à peccato, Sed etiam quod laude & imitatione digna sit, & quod ipse, sicut Dei Verbum præcipit, non segnis sit in opere vocationis suæ, sed *Spiritu fervens*, Deo *serviens*, *Rom.* 12. 11. quod *operetur manibus suis id quod bonum est*, *Ephes.* 4. 28; quod prospiciat necessitati familiæ suæ, & domesticorum suorum rationem habeat, curamque gerat eorum commendabilem, cujus curæ nisi satageret, deterior futurus esset quovis infideli, 1. *Tim.* 5. 8. Hîc quidem satis est prætextuum ad fucum faciendum hallucinanti. Nam verum quidem est, si, post examinationem viarum suarum, compertum habeat Regenitus aliquis, frugalis & fidelis in operibus suis, ita se rem habere, prout ipse de se judicabit, non condemnandam esse diligentiam in vocatione, non contemnendam frugalitatem, non vituperandam prudentem parsimoniam. Sed hîc latet cordis deceptio, quando *anxietas* reipsa esse comperitur, quæ *cura* vocatur, quando quæ *festinatio* mera est ad divitias, *diligentia* dicitur, quando *amor* pecuniæ & *avaritia* judicatur eadem virtus esse, cum honesta rei familiaris acquisitione. Fatemur etiam malum hoc non tam facile discerni posse ab inspectantibus, quam ab ipso Regenito, qui deceptionem cordis sui non aliter deprehendit, quam ex effectis & comitantibus malis, seu, morbi hujus symptomatibus; qualia sunt quæ sequuntur conditionis spiritualis laudandæ impedimenta & nocumenta. Concupiscentia enim hæc terrenarum rerum, de qua nos hic agimus, minuit studium rerum spiritualium; minuit metum peccandi in lucri negotio; tempus melioribus exercitiis debitum, occupat, concessum invadit, abripit, aut laceratum inutile reddit. In hoc Casu, gaudium in lucro oblato & lucro facto, notabile est indicium deceptionis: & similiter, dolor nimius in damno accepto, hallucinationem probat.

3. Hujus mali causæ, sunt, metus paupertatis nimius, æstimatio divitiarum nimia, diffidentia de Dei providentia; & dubitatio de promissionum certitudine, quæ de victu & amictu, rebusque ad vitam hanc præsentem necessariis suppeditandis factæ sunt: quam diffidentiam sedulo vetat Dominus noster, *Matth.* 6. 24, 25. Cujus mali remedium nec desiderabitur, nec oblatum admittetur ab ægro, nisi prius convincatur peccati hujus reus, partim ex Lege Dei ἀνομίαν mali hujus ingravescentis detegente; partim ex observatione malorum quæ peccatum hoc sequuntur, vel cum ipso connectuntur. Quapropter, quicunque seipsum diligenter observare vult in lucro captando, observet etiam num cor suum subinde curis & cogitationibus mundanis, (etiam cum minime vellet) gravetur, ineptum ad precationem & sanctum exercitium reddatur, intempestivè vel immoderatè lætetur, vel doleat de rebus munda-

mundanis; num audeat aut soleat (lucri captandi, aut damni vitandi gratia) mentiri, adulari, aut alio quovis modo peccare? num tardus sit ad exercitia Religionis, & promptus pronusque ad exercitia secularia? & an in his placidè tempus terat, in illis vero languescat cito, & tædio afficiatur? Quæ symptomata si appareant, vel alia ulla similia, humilietur in conspectu Dei, confugiat ad Christum, confirmet fidem de hæreditate æterna possidenda, diligentiam & fidelitatem in vocatione sua ne abjiciat: sed religiosâ animi dispositione, & Religionis exercitio diligentiam suam in rebus secularibus condiat & temperet; de successu laborum à Deo magis pendeat; æquo animo damnum & lucrum ferat; ad res prosperas ferendas in timore, & adversas in patientia semper promptus & paratus, & ad charitatis & beneficentiæ officia (prout occasio offertur) propensus esse studeat.

4. Hujus generis etiam est hallucinatio, quando quis sibi placet in studio vindictæ privatæ persequendæ, ut ulciscatur injuriam sibi factam, sive in famæ suæ, sive facultatum suarum, sive corporis sui vel suorum læsione. Hujus mali prætextus, sunt, 1. Studium justitiæ retributivæ: cui promovendæ deesse sibi sæpe videretur æger, nisi vindictam meditaretur, eamque studeret prosequi. 2. Studium pacis publicæ promovendæ, & utilitatis Reipub. in qua degit conservandæ: cui paci & utilitati obstruendæ occasionem se daturum autumat, si sineret eum, qui injuriam intulit, impunè evadere. 3. Tutela suiipsius, & quies propria in posterum; ad quam obtinendam videtur magnoperè conferre sententiæ proverbialis executio, *Nemo me impunè lacesset.* 4. Gloria Dei quæ requirit, ut peccata puniantur: quorum ultio, si diutius differretur quam occasio ulciscendi offerretur (ut placet ægro) frigesceret zelus, & si expectandus semper esset Magistratus qui ulcisceretur, vel levis vel nulla vindicta futura esset. 5. Denique bonum lædentis, seu, injuriam inferentis, qui, per ultionem & vindictam edoctus, discere poterit juste magis se gerere erga vicinos & concives suos: & sapere postea, sicut piscator ictus sapit. Hi sunt, inter alios, prætextus præcipui.

5. Symptomata hujus mali, sunt, 1. Recrudescens ira, quotiescunque refricatur injuriæ illatæ memoria, sive ex conspectione, sive ex mentione personæ offendentis facta. 2. Dissimulatio & injuriæ illatæ occultatio ab aliis quantum fieri potest, donec opportuna occasio ulciscendi se offerat. 3. Ardoris in precando aut precationis ad Deum diminutio, quæ potissimum apparet ubi ventum est ad petendum Remissionem peccatorum: hic enim ubi memoria subit conditionis illius in Oratione Dominica positæ,

Sicut nos remittimus debitoribus nostris: hic (inquam) oranti ægro hæret aqua.

6. Causæ hujus mali, sunt, 1. φιλαυτία, seu, nimius amor sui. 2. Superbia, seu, nimia æstimatio propriæ dignitatis, propter quam levissima quæque injuria ad proportionem superbiæ exaggeratur. 3. Defectus dilectionis Christianæ, defectus mansuetudinis, longanimitatis, & mortificationis pravorum affectuum. 4 Denique oblivio mandatorum divinorum & peccatorum propriorum adversus Deum quotidie admissorum: quorum si justa ratio haberetur vindictæ privatæ & prohibitæ, vel fons obstrueretur, vel cursus impediretur.

7. Remedium hujus mali, jam ab ægro deprehensi, petendum est in Christo & à Christo, qui pro nobis mortuus est, quando inimici ejus eramus: propter quem quotidie nobis remittuntur injuriæ graviores adversus Deum factæ à nobis, quam illæ sunt quæ nos ad vindictam illicitam stimulant. Deinde, meminerimus admonitionis gravissimæ, quam offert nobis Apostolus, *Ephes.* 4 26, 27. *Ne descendat sol super iram vestram, nec date locum Diabolo.* Hinc innuens certum esse periculum, si ira (quæ vindictæ cupiditatem secum facile trahit) pernoctaverit in irato, ne apud iratum pernoctet etiam Diabolus, ad odii & vindictæ executionem ipsum excitans.

8. Hujus etiam generis hallucinatio est, quando quis in carnis suæ cura in victu, amictu, & recreationibus nimium sibi indulget, & indulgendo sibi perplacet & benedicit. Ad hanc rem prætextus varios habet æger in promptu, qui, pro consilii sui rationibus, satis validi videntur: quales sunt, 1. Quod de suo edit, bibit, & vestitur. 2. Quod licita sunt exercitia recreationis omnia, quæ ipse frequentat. 3. Quod valetudinis suæ rationem habet in omnibus. 4. Quod sumptus nullos facit in victu, & amictu, & recreationibus, quibus ferendis non sufficiat vel par sit. 5. Dixit Deus, *Eccles.* 5. 19. *Donum esse Dei, potestatem habere comedendi & bibendi de suo, & lætandi de labore suo.* 6. Quod quicunque beneficia sibi data inutilia reddit, videatur secus quam Deus probat, facere. 7. Quod alioqui jure merito avaritiæ insimulandus esset, cum illis quibus datum est habere, sed non uti iis quæ habent, nisi hanc vivendi rationem sequeretur: & certe prætextuum hîc satis.

9. Symptomata vero hujus mali facile arguunt ægrum impotentiæ & intemperantiæ in appetitu & creaturarum usu, simul & ignorantiæ in viis Dei: quando enim affluentia rerum terrestrium, minuit desiderium rerum cœlestium; quando sensus innatæ corruptionis per res prosperas sopitur; quando

caro

caro lascivit adversus spiritum; quando compassio erga inopes & afflictos frigescit, & delectatio in rebus spiritualibus languescit; (qui defectus semper comitantur nimiam delectationem in rebus quæ ad victum & amictum, & carnis cupiditatem faciunt) quando temporis nimis magna portio impenditur in corporis cura, in cultu vero animæ rariores horæ aut horarum partes impenduntur, facile observabit vigilans Conscientia non tam recte se habere omnia apud ægrum quam putabat.

10. Hujus mali remedium non est, ut quis in contrarium extremum, & sic in aliud vitium transeat, quasi modus hic nullus teneri posset, aut quasi liberalior usus creaturarum aliquando non esset licitus, aut si spiritualis animæ dispositio non posset hic & nunc consistere cum convivio & festivitate aliqua: patet enim ex Scriptura, tempus esse ad convivandũ, & tempus ad jejunandum; tempus esse ad laborandum, & tempus esse ad recreandum corpus pariter & animum à laboribus. In qua prudentia Apostolus probè doctus erat, *Philip.* 4.12,13. *Novi deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritionem, tum ad abundantiam, tum ad inopiam. Omnia valeo per eum qui me corroborat*; nempe *Christum*. Sed hoc est remedium, ut diffidentes nobis ipsis, & metuentes nobis à retibus & laqueis, quibus nos captare studet adversarius noster, conversemur cum Christo, & affectus nostros dirigamus versus res cœlestes & supernas, sicuti (*Col.* 3.1,2.) monet Apostolus. 2. Ut excubias agamus adversus appetitus carnis, ne quando cibo aut potu, vel ullâ re quæ carni grata est, inebrientur corda nostra, *Luc.* 21.24. 3. Ut carnis curam non habeamus ad explendas cupiditates ejus, *Rom.* 13.14. Non enim debitores sumus carnis, *Rom.* 8.12. Sed ut ita nos geramus in corporis cura & cultu, ne quid discedat animæ: & ut fugiamus à carnalibus cupiditatibus quæ militant adversus animas nostras, 1. *Pet.* 2.11. Denique, ut ita rebus omnibus utamur, ut in cursu nostro ad Regnum cœlorum juvemur: quæ Apostoli est admonitio, 1. *Cor.* 7. 29,30,31. *Hoc autem moneo, fratres, quoniam tempus contractum est in posterum: ut & qui habent uxores, sint ut non habentes: & qui flent, ut non flentes: & qui gaudent, ut non gaudentes: & qui emunt, ut non obtinentes & qui utuntur mundo, ut non abutentes. Præterit enim species hujus mundi.* Sunt etiam & aliæ similes hallucinationis species: sed hæ ad specimen & institutum nostrum sufficiunt, quippe, qui non statuimus omnes Casus in medium producere, sed aliquos tantum, qui aliis Casibus similibus lucem præferre poterint.

CAP. IX.

In quo tractatur Casus Conscientiæ prævaricantis.

PRævaricari dicitur, qui quocunque modo à præscripto officio deflectit. In litibus vero forensibus prævaricari dicitur, qui prodita causa sua, causam adversarii adjuvat: & in utroque sensu, potissimum vero in posteriori, Conscientia dicitur prævaricari, quando corrupta ab affectibus, & à ratione jam perversa per affectus, patrocinatur causæ tanquam bonæ, quam vel scivit, vel suspicata est esse malam. Et in hoc Casu totum causæ patrocinium consistit in eo, quod prævaricans prætendat se lumen ductumque Conscientiæ suæ sequi: quod Conscientiæ dictamen non audeat violare, vel quicquam contrarium ei facere. Cui fallaciæ si quis se opponat, sive imperando, sive suadendo, ut secus faciat, statim exclamat prævaricans, vim fieri Conscientiæ hominum, Conscientiæ libertatem auferri. Atque ita erroribus perniciosissimis, imo & facinoribus turpissimis aperitur janua.

2. Causa unica hujus mali, est, depravatio affectuum, qui jam corrupti, rationem recta dictantem corrumpunt; & rationi obtrudunt bonum utile, jucundum & in hominum æstimatione honestum, loco moralis boni, liciti & apud Deum accepti. Oblata bona utilia, jucunda, & apud homines honesta, ratio quidem probat & commendat, si licita sint: sed quia licita non sunt, & tamen affectibus grata sunt, offeruntur Conscientiæ aliquot fallaciæ, quæ speciem aliquam habent veritatis: & coacervantur prætextus multi, ut pondus addant levitati rationum. Atque ita pervertitur judicium rationis, & corrumpitur prima operatio Conscientiæ, quæ respicit majorem propositionem syllogismi practici, quæ constat ex regula faciendi seu agendi, statim autem quando falsa regula agendi ponitur in majori, fit assumptio seu applicatio falsæ regulæ ad praxin controversam, affectibus gratam & desideratam: Atque ita sequitur conclusio, seu corruptum dictamen Conscientiæ de facto vel faciendo quod aliquando Conscientia vel condemnavit, vel suspicata est esse damnandum. Exemplis res erit manifestior: Rex *Saul* in mandatis habuit ut occideret Amalekitas omnes, & perderet armenta, & greges bestiarum: ad honorem *Saulis* videtur facere, si Rex *Agag* reservaretur ad triumphum, & pinguiores bestiæ ad usum populi destinarentur: hinc lucrum, illinc honor allicit: accedit populi voluntas & consensus, ut Rex *Agag* & pinguiores bestiæ conservarentur: unde additur metus si aliud facerer

faceret *Saul*, quam quod populo placeret: disputatur quid statuendum; ab altera ponitur Dei *mandatum*, ab altera vero *honor* triumphi & *gloria* ob misericordiam erga *Agag* Regem præstitam: additur *utilitas* ex bestiis reservatis in prædam aut in sacrificium. Vincunt rationes ab affectibus, & mandatum Dei in alienum sensum trahitur: sequitur decretum Conscientiæ, & peccatum admittitur. Hîc Rex sibi placet, & paratam habere se putat excusationem contra accusationem Prophetæ: Atque ita Conscientia Regis prævaricatur, & contra officium suum, & contra propositum suum.

3. Similiter factum in causa Gibeonitarum: vivebant Gibeonitæ & numero crescebant in detrimentum Israelitarum à diebus *Joshua*, quibus Seniores Israel fœdus inierunt cum ipsis, & juramento fœdus consignârunt se non occisuros Gibeonitas: invidebat iis *Saul* agros, & domicilia, & victum & vitam, quia videbantur vivere in damnum populi Israelitici: zelo autem Israelitarum inductus, statuit Rex *Saul* eos occidere: obstat juramenti prædecessorum Religio: Sed corruptâ jam ratione per affectus, existimatur jusjurandum non obligare: partim, quia pactum cum Gibeonitis initum fuit, Deo non consulto, imo contra Dei mandatum positivum; partim, quia error fuit in contrahentibus fœdus: Gibeonitæ enim simulârunt se non esse Canaanitas, sed cives fictæ alicujus Reipublicæ longè à Canaan remotæ: partim, quia jam præterierunt multi anni à diebus *Joshua*, & videbatur iniquū ad tot secula obligationem temerariam extendere: partim denique, quia jam mutata fuit politia civilis: nam gubernatio populi per Judices non amplius futura, jam cessaverat; creatus fuerat *Saul* Rex & Monarcha, instar Regum in aliis Nationibus: idcirco cum videbat *Saul* se non succedere Judicibus, sed Monarcham esse à Deo constitutum, liberum se putavit à prædecessorum juramento; nec teneri se ad fœdus Judicum præstandum: hîc rationum satis habetur, ut existimabat prævaricator, quæ Conscientiæ lumen obfuscarent, & *Saulem* in peccatum traherent.

4. Unicum hîc remedium quærendum est, scilicet, ut Christus prævaricatori errorem suum aperiat, eumque in viam revocet. Quod autem ad media attinet, quibus prævaricator convinci potest peccati, & ad Christum adduci ut eum sanet, 1. est, ut Pastor vel fidus aliquis & prudens amicus cum prævaricatore agat, signa decepti cordis sui ei ostendat, & fontem prævaricationis ex indiciis corruptorum affectuum aperiat, & illecebras & motiva quibus à via recta abductus est, quantum poterit, quasi digito ei demonstret planè, nempe, commodum aliquod civile, quod peccando prævaricator acquisivit; vel, incommodum aliquod civile, quod per prævaricationem declinavit;

vit; non tanti facienda fuerint, ut propter ea de via deflexisset, seu, ut prævaricans egisset quod egit. 2. Ostendantur ægro acerbi fructus, seu, mala effecta prævaricationis suæ, si forte ex fructu arborem dignoscere poterit; & scandalum non tantum acceptum fuisse ab aliis ex ipsius facto aut factis, dicto aut dictis, sed etiam datum fuisse ab ægro demonstretur. 3. Adhibeantur censuræ ecclesiasticæ; si cum scandalo publico conjuncta fuerit prævaricatio. 4. Denique pœnæ vel mulctæ civiles à Magistratu infligantur pro merito & natura scandali, seu prævaricationis, si opus fuerit. Verum hîc insurgunt libertatis Conscientiæ Patroni, seu licentiæ errandi defensores potius: quorum objectionibus æquum est ut satisfaciamus:

5. *Obj.* 1. Necessarium est mihi facere quod facio, & sentire quod sentio, inquiat ex his aliquis: ratione ducor, & mihi persuadeo hoc esse licitum quod ago; illud vero quod me sentire aut facere vellent alii, esse illicitum. *Resp.* Necessitas omnis quæ in rebus agendis cernitur, vel est physica, vel civilis, vel moralis: sed nulla ex his peccatum excusat; nulla ex his peccatum tollit. Primo enim, nulla naturalis necessitas allegari potest, propter quam erroneũ dictamen Conscientiæ aliquis sequi teneatur: (& necessitas ab impotentia spirituali, seu ab originali peccato non excusat, sed exaggerat peccatum, quando ad defensionem peccati actualis affertur) quia satis notum est plerosque homines, contra hoc dictamen Conscientiæ, multa quotidie & dicere & facere, eaque ex consilio. Secundo, necessitas civilis, quæ est ex hypothesi, ut evitetur scilicet damnum, aut incommodum aliquod civile, non est digna quæ veniat in comparationem cum officio morali: in quo genere non est peccandum ut quis lucretur etiam totum mundum: imo vero in quo genere non est peccandum ad vitam hanc mortalem conservandam. Quod autem attinet ad necessitatem moralem, nulla est peccandi necessitas: sed contra, ex Dei mandato, necessitas una est Christianis non peccandi: Tantumque abest ut hîc sit necessitas peccandi, ut contra per Dei mandatum & autoritatem semper liceat rectè sentire & facere, & à peccato abstinere: nam etiam quando potentia spiritualis deest ad rectè agendum, officium & mandatum & necessitas obligationis ad non peccandum manent.

6. *Obj*, 2. At, nisi obedivero Conscientiæ, pecco. *Resp.* At, nisi obedivveris Dei mandato, peccas. Instat objiciens: Sed cum mihi non constet de Dei mandato, sed constet potius quod Deus contrarium mandaverit, nisi obedivero Conscientiæ dictanti, quod hoc sit Dei mandatum quod facio, non possum non peccare semel saltem. *Resp.* Et nisi Conscientiæ erranti renunciaveris, & secundum Dei mandatum feceris, peccabis bis proculdubio: quia Dei mandatum utrumque officium requirit.

7. *Obj.* 3.

7. *Obj.* 3. Hoc si ita sit, teneor utrinque constrictus necessitate peccandi: Nam, sive obedivero Conscientiæ erranti, pecco, sive contra eam fecero, pecco: in quas angustias puto Deum neminem conjicere. *Resp.* Verum quidem est teneri eum peccati reum necessariò qui mandato Dei non obedit, & voluntati ejus non obtemperat: sed hæc necessitas tantum est ex hypothesi peccati jam admissi & propugnati, non necessitas propriè dicta: nam est necessitas quam æger peccato suo sibi attraxit, in quam se conjecit: nam si auscultaret Dei Verbo, non peccaret: jam vero peccatum unum alterum trahit, & peccatorem in angustias seu necessitatem porro peccandi conjicit, quoquo se vertat. Et hæc necessitas porro peccandi, justa pœna est præcedentis peccati: nec ullo modo excusat peccantem, sed peccati malum, & peccandi periculum ostendit. Interim Deus, ex illa necessitate emergendi rationem offert, in viæ rectæ per verbum demonstratione: quam viam peccator (propter mentis cæcitatem affectatam & caliginem ab affectibus excitatam) non potest videre, vel, propter voluntatis perversitatem non vult videre: atque ita excusari nequit. Si quis enim jam obligatus ad officium faciendum per Dei mandatum, peccando ita implicuit se peccati nexu & compedibus voluntariis, ut non possit non peccare quandiu implicitus jacet in vinculis, iniquum est ut propter nexum hunc & nodum à se factum eximi se velit obligationis vinculo, vel unum peccatum excusare per aliud: Nam, næ inter homines quidem hæc excusatio admitteretur: si quis enim æs alienum contraxerit, & summam mutuo acceptam profusè decoxerit; si judicio absolutum vel absolvendum ab ære alieno se defenderet, quia necesse est non habentem in bonis non posse debitum dissolvere, quis sic se excusantem sustineret?

8. *Obj.* 4. Verum nonne Conscientia regula est actionum, quam si quis violet, pacem & apud Deum & in se interrumpit: cui si auscultet, pacem retinet & quietem & apud Deum & in se? *Resp.* Conscientiæ dictamen non est regula regulans, sed regula regulata, (ut loquuntur) hoc est, regula subordinata Dei Verbo: à quo Verbo nisi dirigatur Conscientia, non est audienda. Quod axioma nisi concedatur, absolvendi sunt à peccato omnes servorum Dei persecutores, quorum Conscientia dictat servos Christi occidendos esse. Præmonuit enim Christus (*Joh.* 16. 2.) tempus fore quando qui discipulos ejus occiderent, se Deo obsequium præstare putarent. Quod autem ad pacem apud Deum attinet: non est ea æstimanda ex quiete sensibili, sed ex Verbo Dei quod dicit justificatum per fidem pacem habere apud Deum, seu, resipiscentem & credentem in Christum habere Remissionem peccatorum, & per consequens pacem. Fieri enim potest, ut qui pacem

cem in se habet, Deum habeat iratum; & rursum, qui pacem non sentit in se, Deum habeat placatum, ut in *Davide* videmus, cujus conditio Deo displicuit quandiu in peccatis suis securus dormiebat; & rursum, aliquantisper non habebat pacem in se, jam excitatus de securitatis somno, licet *Nathan* ipsum post peccati sui agnitionem absolutum à peccato pronunciaverit. Pax ergo æstimanda est ex Verbo Dei: & sensus iræ vel pacis, per Verbum Dei examinandus est, ut beneficium ratum habeatur, si pax per Dei Verbum approbetur; vel, ut judicetur securitas carnalis esse, si quieta sit Conscientia sine approbatione Dei in Verbo suo loquentis.

9. *Obj.* 5. Si res ita se habet, conclamatum est de Conscientiæ libertate: sic enim quisquis est sub imperio aut regimine civili vel Ecclesiastico, tenebitur Conscientiæ suæ libertati renunciare, & hominum dictatis obtemperare. *Resp.* Minime gentium: Nam, primo, vera est libertas Deo servire; & libertas peccandi, miserrima est servitus, in ea enim regnat impurus Spiritus, & mancipiis suis imperitat pro lubitu suo. In quo Casu, nemo per admonitiones vel hortationes conservo suo opem ferre permittitur à Libertinismi patronis, nisi quantum ægro placet suasionem audire vel admittere. Deinde, per nostram doctrinam, nemo tenetur Conscientiæ suæ libertati renunciare, sed libidini suæ & errori suo renunciare; & veram Conscientiæ libertatem meditari & vendicare, ne, & ipse pereat, & societas in qua degit inficiatur.

10. *Obj.* 6. At cogi nec potest Conscientia nec voluntas: ea enim est utriusque natura, ut libere decernant facienda: & Scriptura dicit quod populus Dei debet esse populus voluntarius, *Psal.* 110. *Resp.* Etiamsi nec cogi possit Conscientia nec voluntas: media tamen adhiberi possunt quibus Conscientia errans in ordinem revocetur; & ut qui non vult officium præstare, ex nolente reddatur volens, & spontaneus fiat Dei servus, qui non ita pridem, erro & exlex vivebat.

11. *Obj.* 7. At solus Deus est Dominus Conscientiæ: qui fit igitur ut audeant homines aliorum Conscientiis imperare, vel mandata cum imperio dare? *Resp.* Solus Deus est Dominus Conscientiæ, Ille solus docet & ducit eam, solus Conscientiam flectit ad voluntatem suam: sed utitur mediis tamen, nempe, Administris suis Gubernatoribus Ecclesiasticis & Politicis, qui in muneribus suis Deo & proximis suis operam præstent, ut fiat voluntas Dei in terra sicut in cœlo; & ut in eum finem Conscientiæ hominum erudiantur, & ipsorum facta seu actiones corrigantur per censuras & mulctas secundum præscriptum Dei: ut ita Deo soli Domino Conscientiæ obedientia procuretur & præstetur. In quo Casu, licet voluntatis & Conscientiæ

entiæ actus imperati cohibeantur, non cogitur conſcientia, non cogitur voluntas, ſed informatur & eruditur, quoad actus elicitos rectius producendos.

12. *Obj.* 8. Religio non eſt propaganda per vim, ſed per Verbum Dei prædicatum; & extirpandæ ſunt hæreſes, non ferro, ſed veritatis demonſtratæ vi. *Reſp.* Differunt propagatio Religionis & conſervatio Religionis: Nam, licet nec ferro nec flammis propaganda ſit Religio inter Ethnicos à fœdere Dei alienos & extra dominium Chriſtianorum degentes, ſed inſtruendi ſint primo per Verbi Dei prædicationem, ut ſciant quis ſit Deus & quæ ſit veræ Religionis ratio, ut eam ſponte recipiant; aliter tamen agendum cum iis Ethnicis qui ſub Chriſtianorum dominio & imperio degunt: eorum enim Idola confringi debent, & ipſi à contemptu Religionis veræ cohiberi poſſunt, & ad media eruditionis & inſtitutionis in vera Religione cogi. Aliter etiam agendum eſt cum iis, qui nomen ſuum in Chriſti album retulerunt, qui fœdus Dei admiſerunt, ſacro Baptiſmate Deo conſecrati ſunt, legibus Chriſti ſe ſubjecerunt, in ejus voluntatem jurarunt, & Religionem Chriſtianam profitentur, & interea tamen Religionem veram Chriſtianam corrumpere aut evertere conantur. In hoc enim Caſu non tantum inſtruendi ſunt errantes, ſed coercendi ſunt etiam omnes qui alios decipiunt, ne vineam Dei ſpolient, aut ovile Chriſti deprædentur: æquum enim eſt ut Eccleſiaſticis cenſuris & civilibus mulctis plectantur à veræ Religionis defenſoribus, quicunque Religionem Dei invaſerunt vel violarunt, *Deut.* 13. *Rom.* 13. 4. Imo vero in hoc Caſu, ſi quis advena aut à fœdere Dei alienus, dum peregrinatur & per Chriſtianorum regiones tranſit, ſtatuta Dei profanare conetur, coercendus eſt; & ut ſe à violatione Religionis contineat, cogendus eſt: ſic enim præcepit Deus præcepto quarto decalogi, ne quis advena diem Sabathi temeraret intra portas populi ſui.

13. *Obj.* 9. At cenſuræ Eccleſiaſticæ & mulctæ civiles reddunt profeſſores hypocritas: quo malo nihil pejus in conſpectu Dei. *Reſp.* 1. Unuſquiſq; hypocrita judicium feret ſuum: cenſuræ Eccleſiaſticæ & mulctæ civiles ad hominis externi dicta & facta externa ſpectant, ut ea in ordinem redigantur, ne quid detrimenti capiat Reſpublica Chriſtiana. Si quis quod rectum eſt dixerit & fecerit diſſimulato ſtudio & hypocriticè, ipſe ſolus præſtabit diſſimulationem & hypocriſin ſuam. 2. Eccleſiaſticæ cenſuræ & mulctæ civiles, media ſunt à Deo inſtituta, ut peccator cohibeatur vel revocetur à viis ſuis malis: nam per cenſuras & mulctas amputantur & auferuntur illecebræ peccatorum, quibus allectus & captus ſervus peccati ſecurè volutabat in peccato ſuo, e. g. inanis gloria, lucrum mundanum, & voluptas ſenſualis, retia ſunt capiendis & retinendis miſeris hominibus idonea: hæc ubi

O o per

per censuras & mulctas rumpuntur & damnosa præmia peccandi (quæ miseri peccatores nimium affectant) auferuntur, Medium est à Deo sanctificatum ad liberandum peccatorem à servitute cupiditatum suarum à qua detinebatur: Atque ita metus vel sensus acerbus censuræ vel supplicii, utilis est & necessarius ad movendum erronem ut cogitet de via sua quam tenebat, ut accuratius eam examinet quam prius, ut ad regulam verbi divini & ad rectam viam redeat: nam ubi viam suam ad amores suos prosequendos obstructam & sæpius impeditam observat peccator, necesse est (si sibi consultum velit) viam aliam ingrediatur. 3. Quod autem censuræ & mulctæ medium esse possint ad Conversionem vel morum emendationem patet ex *Zach.* 13. 6. *Si dixerit ei quisquam, quid plagæ istæ in manibus tuis? dicet, plagæ sunt quibus percussus fui in domo amantium me.* Sed, sive per censuras & mulctas ad rectam viam redeat peccator in suo corde sive non, sive quod bonum est dicat, & operetur sincerè an hypocritice, ratio semper potissimum habenda est gloriæ Dei inter homines, ne nomen ejus apertè in vanum sumatur; & opera danda, ut contemptus Authoritatis divinæ tollatur per eos in quorum potestate est apertam profanationem nominis divini prohibere: adde quod ratio etiam habenda sit populi Dei, ut unusquisque ex aliorum pœna discat peccata evitare: & non tantum conservetur à peccati contagione & ira Dei, quæ peccata grassantia in populo persequuntur; sed etiam incitetur ad studium veritatis & justitiæ revelatæ, & alliciatur ad voluntatis divinæ obedientiam per præmia virtutum à Gubernatoribus proposita, *Rom.* 13. 3.

14. *Obj.* 10. At non minus obnoxius est monitor errori quam admonitus; Gubernatores Ecclesiastici & Civiles, non magis immunes sunt ab errore quam privati: imo vero & Synodorum decisiones seu sententiæ non sunt infallibiles: unde fit ut non poterit constare Gubernatoribus Ecclesiasticis vel Civilibus, utrum illi, qui confidenter Conscientiæ suæ lumen sequuntur, sint in errore vel non; vel, utrum censura, vel mulcta inflicta illis justa sit necne: sed contra persuasum est patienti & dictamen Conscientiæ suæ sequenti de veritate sententiæ suæ & de justitia facti sui. *Resp.* Per hujus Objectionis vim, veritas & justitia indubitatè residebunt apud solos Libertinos: Ecclesiæ vero & Gubernatoribus Ecclesiasticis & Politicis relinquetur incertitudo sola; periculum errandi & scepticismus apud Gubernatores solos residebunt, ut illis solis non liceat animadvertere in delinquentes contra veritatem & justitiam, quandiu delinquentes præ se ferunt persuasionem de veritate & justitia factorum suorum, & quamdiu objiciunt Gubernatoribus errandi possibilitatem & spiritus fallibilitatem. Verum

cum inter se longè differant *errare posse* indefinitè, & de *facto errare* in hoc vel illo definitè; & cum libertini non negent se errare posse, etiam quando maxime negant se in particulari controversia, de facto errare: Quidni etiam liceat Ecclesiæ Magistratui & Synodis idem majori cum ratione affirmare se non errare in hac vel illa particulari controversia, quia veritatem ex Scriptura determinatam habent? Quam vim quæso in hoc casu habitura est objectio Libertinorum ad censuras vel mulctas evitandas, quam Responsio Ecclesiæ & Magistratus non est habitura ad censuras & mulctas infligendas? 2. Commisit Deus Doctoribus & Pastoribus judicium ministeriale ad declarandum voluntatem ejus revelatam, & ad decidendum quæstiones & controversias de fide & observantia: quia Ecclesiæ seu cætui Gubernatorum Ecclesiasticorum dedit Christus claves Regni Cœlorum; & Ecclesiæ sententiam jussit privatos audire, nisi vellent pro Ethnicis & Publicanis haberi, *Mat.* 18.17. Similiter, in rebus civilibus & in pœnis corporalibus infligendis, potestatem vult Deus esse penes Magistratum: ille enim est Minister Dei ex officio, & non frustra gestat gladium, *Rom.* 13. Faciant ergo Gubernatores Ecclesiastici & Civiles, prout muneris & Authoritatis suæ ratio postulat, in castigandis iis qui scandalum populo Dei objiciunt, fidemq; vel mores fidelium corrumpunt; & cessent etiam libertini cum scandalo peccare; ut de monitoribus & Gubernatoribus conqueri desinant.

15. *Obj.* 11. Interim cogitur Christianus per censuras & mulctas peccare contra Conscientiam. *Resp.* Minime cogitur Libertinus peccare, sed tantum dicere vel facere quod rectum est, & Dei Verbo obedire in factis & dictis, potius quam Conscientiæ prævaricanti obtemperare. Bis enim peccabat Libertinus, semel intus in spiritu, rursum extra in homine externo: jam, cum per censuram vel mulctam, factum externum vel dictum corrigitur, peccatum externè se exerens amputatur: Atque ita Libertinus non cogitur peccare, sed urgetur aliquousque cessare à peccato & facere bonum. Peccatum enim non est transgressio dictaminis Conscientiæ simpliciter, sed transgressio Legis divinæ, & dictaminis Conscientiæ, secundum Dei Legem, præcipientis. Interpretativè quidem reus est peccati, quicunque putat dictamen Conscientiæ esse dictamen Legis divinæ, & tamen contra illud facit: quia, qui vel metu vel spe movetur ad faciendum contra dictamen Conscientiæ errantis, idem profitetur se moveri posse spe vel metu facere contra dictamen Conscientiæ non errantis, seu, quod rectum est, jubentis: interea tamen in hoc Casu etiam prævaricanti expedit ut metu cohibeatur, ne impleat peccati mensuram quam implere statuerat: Sed quicquid accidat prævaricanti, non tam habenda est ratio Libertini, quam populi Dei, ne quid ei accidat ma-

li, & ne Ecclesia Dei detrimentum capiat ab infectione Libertini aut ab externo scandalo à Prævaricante dato.

CAP. X.

In quo tractatur Casus Conscientiæ se decipientis sub prætextu παῤῥησίας *in precationibus.*

PUtant aliqui prosperè agere animas suas, & vias suas omnes Deo placere, quando liberius ad Deum fluunt preces suæ; quando sibi in precationibus datur παῤῥησία; quando sibi aperiri sentiunt aditum ad Thronum gratiæ, quoties oraturi accedunt ad Deum: interim tamen conditio in qua sunt fortè Deo minime placet.

2. Morbus hic, familiaris est hypocritis, qui quoddam genus meriti ponunt in precationibus suis aliisque exercitiis Religionis, ut videre licet in Israelitis, (*Isa.* 58.) qui se numerabant inter eos qui Deum quærunt quotidie, & qui delectantur in viis ejus, & in appropinquatione ad Deum, v.2. Et quia Deus non annuebat ipsorum votis, cum Deo litigabant, v. 3. dicentes, *Quare jejunamus, & tu non respicis? quare animas nostras afflximus, & tu non agnoscis?* Nota etiam satis est historia *Korachi Dathanis* & *Abirami*, qui, in opinione sanctitatis suæ, & fiducia in suis religiosis exercitiis, non tantum *Mosi* & *Aaroni* se æquiparabant, sed etiam præferebant; & de familiaritate sua cum Deo ita gloriabantur, ut persuasum haberent se digniores fuisse Sacerdotio, quam fuit *Aaron*: imo vero suam affectationem Sacerdotii putabant Deo ita placuisse, ut, si controversia decidenda fuerit à Deo utrum *Aaron* an illi Deo magis placerent, utrum *Aaron* an illi Deo familiarius uterentur, utrum *Aaron* an illi potius ad Sacerdotium admitti deberent, vitæ suæ pignore cum *Aarone* & *Mose* certare non dubitarent. Similis est deceptio, & delusio Phanaticorum Enthusiastarum, & multorum Hæreticorum, qui suos errores justificant, nullo argumento validiori nixi quam hoc, quod acceptari putent preces suas à Deo; & quod ipsis precandi libertatem non daret Deus, nisi ipsorum viæ & doctrinæ ab eo approbarentur.

3. Sed huic morbo etiam Regeniti obnoxii sunt, & aliquando decipiuntur, sicuti ex historia conspirationis adversus *Aaronem* & *Mosen* (*Num.* 16.) colligere licet. Nam etiamsi *Moses* conjurationis autores & factionis duces, improbos declaravit: discedere tamen jussit ab ipsorum tentoriis alios

culpæ

culpæ hujus affines: de quibus ex charitate aliter judicabat. Et certum est Filios *Korachi* aliquos resipuisse admonitos à *Mose*, *Num.* 16. 26. Nec Patri suo pertinaciter adhæsisse in confidenti illa sua fiducia, quod Deus approbaturus esset Conspiratorum viam, quia precandi donum & exercitium cum παῤῥησία illis concesserat, *Num* 16. 26. Nam, (*Num.* 26. 11.) expressè dicitur, quod *omnes filii* Korachi *non perierunt*. Et posterorum *Korachi*, ex filiis resipiscentibus oriundorum frequens fit mentio in *Chronicorum* & *Psalmorum* libris. Quod autem hi filii *Korachi*, vel non comparuerint, vel, post mandatum Dei, non manserint cum Patre suo in die illo, quo ipse periit cum uxore & liberis & bonis, apparet, *Num.* 16. ubi dicitur, uxores & filios & parvulos *Dathanis* & *Abirami*, post aliorum discessionem à tentoriis ipsorum, stetisse in ostio tentoriorum suorum, v. 27. Et omnes homines qui pertinebant ad *Korachum*, periisse cum illo, v. 32, 33. Filii ergo, qui discesserant à Patre obstinato in peccato suo, quia non pertinebant jam ad eum, sed ad Deum confugerant, in vivis conservati sunt. *Num.* 26. 11. Sed non opus hîc est diutius insistere, quum experientia nimis frequens probet multos in schismate & errore suo confidenter pergere hoc argumento maxime fultos & inflatos, quia, in precationibus suis pro animi sententia fluentibus, de viæ suæ sanctitate magis magisque indies confirmantur: imo vero certum est multos persuadere sibi, non tantum quod desideria sua licita sint & sancta, sed etiam quod certo sint eventura & perficienda, quoties παῤῥησίαν in precando pro donis aliquibus particularibus in se sentiunt: & contra, quoties non sentiunt παῤῥησίαν in precibus pro bonis, licet spiritualibus & in Dei Verbo promissis, suspicantur se non potituros illis, quia inter precandum pro illis bonis spiritum suum comprimi & angustari sentiunt.

4. Causæ hujus deceptionis variæ esse possunt. 1. Quia precandi officium à Deo præscriptum, & precatio pro rebus licitis & necessariis à Deo probatur, idcirco putant se precantes, & conditionem animarum suarum, quando precantur, similiter à Deo approbari: sed hanc fallaciam refutat Deus: fieri enim potest ut via & vita supplicantium Deo valde displiceant, ut *Isa.* 1. 15. *Propterea expandentibus vobis manus vestras, occulto oculos meos à vobis; etiam quum utimini multa oratione non exaudio: manus vestræ cædibus plenæ sunt.* 2. Quia (*Joh.* 9. 31.) dicitur, Deum *non audire peccatores*, sed tantum eos qui *ipsum colunt & voluntatem ejus faciunt*, Idcirco putant se non esse peccatores, quibus Deus dedit παῤῥησίαν in precando: quam παῤῥησίαν illi indubitatum indicium exauditionis esse existimant. Sed aliud est precari multum: aliud vero audiri. Judæi multas orationes fundebant ad Deum & manus expandebant ad eum, *Isa.* 1. 15.

quos tamen Deus non audiebat. 3. Decipiuntur multi, putantes omnem suam precationem ad Deum, esse ex speciali instinctu Spiritus Sancti: certum enim est misceri sæpe etiam in precibus Sanctorum carnales affectus, & *Idolum* in corde sæpe gestari, quando petitio ad Deum in spiritu fundi videtur. Quod enim de crassioribus Idololatris dicitur, *Ezech.* 14. 3,4,5. verum est de aliquibus sanctis subtilioris Idololatriæ reis, *Jac.*4.3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in voluptates vestras insumatis.* 4. Non considerant multi, quod Deo placere possit orantis persona, & oratio etiam à Deo approbari; & tamen petitum posse negari, 1 *Sam.* 16. 1. Orabat *Samuel* serio cum lachrymis pro *Saule*, & perseverabat in supplicatione, idque ex officio subditi erga Regem suum, secundum præceptum Dei; & tamen petitum non concedebatur à Deo: *Nam dixit Jehovah* Samueli, *quousq; lugeres de* Saule, *cum ego spreverim eum, ne regnet super Israelem?* Similiter, orabat *David* ut filius *Bathshebæ* viveret; nec tamen obtinuit quod petebat. 5. Zelus Dei, absque cognitione, inflammare poterit affectus aliquorum, & orationes eorum ad Deum fervidiores reddere, & precantes decipere, *Luc.* 9. 54. Ex zelo Dei, *Johannes* & *Jacobus* solicitabant Christum, ut fineret igne consumi Samaritanos, morosos & inhumanos erga ipsum: *sed (v. 55.) conversus Jesus objurgavit eos, dicens, Nescitis qualis spiritus vos sitis.* 6. Novitas opinionum, species sanctitatis, & species sublimitatis scientiæ mysteriorum Dei, facile decipere poterint incautos, eosq; impellere non tantum ad patrocinium Dei petendum & expectandum in erroribus suis defendendis & propagandis, sed etiam ad contemnendum omnes, qui non eunt pedibus in ipsorum sententiam, uti videmus in discipulis *Jezabelis* pseudoprophetissæ, docentis licentiam scortandi & Idola honorandi, sub prætextu profundæ cognitionis mysteriorum Dei, qui *Jezabelis* discipuli contemnebant Sanctos turpitudinem & pollutionem eam corporis & animæ aversantes: quos tamen sanctos Christus consolatur & confirmat in sanæ fidei & sanctitatis cursu, *Apoc.* 2. 24, 25. *Vobis autem dico & reliquis Thyatirensibus, quicunque non tenetis doctrinam hanc, & qui non approbastis profunditates Satanæ, ut aiunt: non imponam vobis aliud onus. Tamen id quod habetis, retinete quousq; veniam.* 7. Multi Schismatici putant se servire Domino nostro Iesu Christo, dum serviunt tantum ventri suo, & carnalibus desideriis suis, præ se ferentes, quod magis soliciti sint de utilitate sanctorum, quam de suis commodis, *Rom.*16.17. 18. Et multi sunt Hæretici, qui quia amorem veritatis non susceperunt ut salvi fierent, perituri sunt; quibus propterea quia veritatem non amaverunt Deus immittet efficaciam erroris, ut credant mendacio: de quibus non est dubitandum,

dum, quin sibi valde placeant in precationibus suis,& familiari usu Dei: hi tamen omnes tanto magis se decipiunt, quanto suam παῤῥησίαν in precationibus suis,ad confirmationem errorum & conditionis suæ approbationem trahunt.

6. Sed ut sibi caveant Sancti ab hac deceptione: Tenendum est non minus placere posse Deo conditionem Sanctorum quando angustantur ipsorum spiritus in precationibus, quam quando dilatari maximè videntur. Quoties enim de profundis clamabat Psaltes ad Deum, quando tenebris & funiculis mortis constringebatur? Et etiam cum in terræ extremitatibus jacens obruebatur animus ejus, *Psal.* 61. 2? Et docet Apostolus ita coarctari posse spiritum Sanctorum in afflictionibus, ut quid orent (sicut oportet) ignorent; & non aliter precari poterint, quam suspiria inenarrabilia à Spiritu Sancto Intercessore excitata emittendo, *Rom.* 18.26. Quandiu igitur Sancti fructibus fidei, seu fructibus Spiritus ferendis student, & orant secundùm Dei voluntatem, petentes id quod Deus promisit, in fide animique submissione (quod ad tempus & mensuram doni attinet) expectantes responsionem à Deo, Tandiu preces ipsorum & viæ ipsorum Deo placent, sive angustentur, sive dilatentur ipsorum spiritus in precatione. Id enim docemur, 1. *Joh.*5.14,15. *Et hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundum voluntatem ejus, nos audire. Quod si scimus eum audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petiimus.*

CAP. XI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ censentis pacem Dei esse securitatem carnalem.

FUerunt exempla aliquot primi ordinis Casuum ad conditionem Regeniti spectantium, Conscientiæ, scilicet, errantis in discernenda conditione mala,& putantis conditionem malam, bonam esse. Sequuntur exempla Casuum Secundi ordinis, nempe, Conscientiæ errantis circa conditionem bonam, & judicantis bonam conditionem esse malam.

Nonnunquam Regeniti aliqui ægrè ferunt pacem & quietem Conscientiæ suæ, existimantes eam nihil aliud esse quam socordiam carnalem & vitiosam. Et hîc non imus inficias, quin multi sint, qui securitatem carnalem amplectuntur, & eam fovent sub nomine pacis & quietis benedictæ: sed illi minime dubitant de conditione sua an bona sit; non examinant eam ad regulam

lam Verbi divini, sed in socordia & negligentia sua suaviter dormiunt cum tepidis illis Laodicæis, *Apoc.*3. Neque negamus periculum esse Regenitis, ne ipsorum pax à Deo data, aliquando degeneret in securitatem carnalem: facilis enim est lapsus in somnum, postquam anima Regeniti aliquantisper refocillata est consolationibus divinis, ut in Sponsa videre est, *Cant.*5.2. Sed nobis jam res est cum vigilantibus & diligentibus, qui, post molestias exantlatas in conflictu cum tentationibus Diaboli, cum terroribus Legis, & cum sensu iræ divinæ, victoriam reportârunt per fidem in Christum, & vera pace ditati sunt ex benignitate Dei, qui precationibus ipsorum, serio petentium ab eo pacem, annuit. Quæstio est de iis (inquam) qui postquam pax data est ipsis, non audent eâ frui; sed suspicantur primo pacem eam non esse genuinam, & postea eam planè condemnant: Atque ita novas sibi molestias creant. Prætextus autem quo se decipiunt, hic est: quod, quando hærebant dubitantes an misericordiam essent consequuturi, quando Deus se iratum ostentabat, quando pacem in se nullam sentiebant, Tum ardentius precabantur, de nocte vigilabant, lectioni & auditioni Verbi, reliquisque Religionis exercitiis studiosè incumbebant: nunc autem observant se remissius & languidius multo, omnibus his officiis defungi, unde concludunt pacem illam quam sentiunt, meram esse carnalem securitatem. Hinc extinguitur ferè in illis gratiarum actio, pro data illis à Deo pace; præsenti conditioni præfertur pristina; optatur ut redeant terrores pristini, potius quam permittatur hæc securitas pristinas lachrymas exsiccare, & pristinos labores depasci & devorare; hinc etiam erumpunt ad familiares suos Christianos ab iis querelæ de Dei dispensatione erga se, scilicet, quod Deus abstulerit ab ipsis spiritum timoris & reverentiæ erga se, quod spiritum gratiæ & supplicationis multum imminuerit: per quas querimonias non sibi solum ægritudinem novam creant, sed etiam contristant fideles amicos, & commilitones suos, scabiemque suam ipsis affricant, & Spiritum Dei (quantum in ipsis est) etiam exacerbant.

Deceptio hæc oritur, partim ex iniqua doni dati æstimatione, partim ex iniqua conditionis mutatæ comparatione. Primo enim non considerat æger indicia novæ creaturæ in se, vel quantum sit beneficium Dei sibi datum, nempe, timere ne ipse Deum offendat; & non timere, ne Deus ipsum abjiciat; pacem habere apud Deum, & simul contra peccatum bellum gerere; liberari à cruciatibus Conscientiæ condemnantis secundùm Legem, & simul delectari in obedientia divinæ Legis secundùm Evangelium, quæ est queritantis ægri conditio. Deinde, perperam exigitur à Conscientia eadem dispositio animæ, ante pacem datam, & post pacem à Deo concessam; perperam exi-

exiguntur iidem affectus in utraque conditione. Nam ante pacem datam, impossibile est ut in sensu iræ divinæ non sit tristitia, inquietudo, metus & similes affectus tristiores: & hi affectus quando excitantur, vel præcipitant hominem in desperationem, vel eum incitant ad Dei faciem in Christo quærendam cum jejunio & precibus, cum ejulatu & lachrymis, idque omnibus ferè aliis officiis posthabitis, quæ sanitatem corporis, stationem civilem, & conversationem cum proximis spectant. Postquam autem pax data est, affectus hi sedantur, cessant metus, ejulatus & planctus cohibentur, lachrymæ absterguntur, succedunt laudes Dei & gratiarum actiones; & officia singula, in pacato jam animo locum suum quærunt, ut corporis sanitati prospiciatur, ut familia curetur, & quod justum est proximo præstetur: mutatur enim jam conditio, & quidni etiam mutentur affectus, & effectus ab iis dependentes? Quis exigat eadem officia à pugnante & victore, ab ægro & sano, à tristi & læto? Nonne dicit *Jacobus* 5.13. *Si quis affligitur, precetur; lætatur aliquis, psalmos canat*? Ad mali igitur hujus remedium, 1. Examinandus est æger, an ex antecedente Conscientiæ conflictu cum Lege & sensu iræ meritæ sequuta sit hæc pax, quam suspicatur non esse solidam? an, per fidem in Christum (quem æger respexit, & cui adhæsit in lucta) comparata sit pax? an data sit post petitiones quas ad Deum in anxietate fudit, ut liberatus ab hostibus quiescere posset sub alis Dei, & sine metu hostium ei servire? Et denique, an jam, post pacem datam, officiis religiosis, & studio obedientiæ præstandæ mandatis Dei sincerè pro modulo virium incumbat? Si ista concurrunt, pax solida est, & non carnalis securitas. 2. Æger informandus est, de jure quod habet in pacem Dei, cum jam justificatus sit per fidem in Christum, ex natura fœderis gratuiti, secundùm promissionum Evangelicarum tenorem. 3. Confirmandus est æger in possessione pacis quam habet; & convincendus, quod illa sit vera Dei pax ex effectis, ex antecedentibus connexis & consequentibus virtutibus; & rogandus est, ne suspicetur Spiritus Sancti donum. Deus enim, petenti pacem spiritualem, non solet dare securitatem carnalem; petenti piscem, non dat scorpionem aut serpentem. 4. Aperienda est impostura Diaboli, qui victoriam reportantibus de seipso invidet omnem pacem; & simul ostendendum, quanta hæc sit, non solum ingratitudo (ad quam tentator ipsum instigat) sed etiam contumelia, pro tanto beneficio Deo datori gratiam hujusmodi referre. 5. Hortandus est æger, ut benè utatur pace datâ, nempe, ut pergat hilariter in obsequio mandatorum Dei, paratus ad novas pugnas, & certamina majora contra Diabolum; nec vereatur pacem Dei à se auferri, quandiu cum fide in Christum, bellum gerit adversus peccatum, quod in se & in mundo est, pro vocatione sua quotidiè pugnans pro virili.

CAP. XII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ æstimantis multos actus fidei justificantis esse præsumptionem.

SImilis superiori Casui est conditio eorum Regenitorum , qui, quando contenderunt ut obedirent Evangelio jubenti credere in Iesum Christum, & jam pedem fixerunt in Dei via, & gloriari inceperunt in Deo adversus hostem, sibique applicari præclara privilegia filiorum Dei & cohæredum cum Christo, statim (quasi angue presso) resilire incipiunt, & hunc ultimum actum fidei præsumptionem ducere : idque ex Conscientia suæ indignitatis,& ex consideratione excellentiæ privilegiorum, quæ sibi applicare & aptare conabantur.

2. Neque quis miretur fidelem animam sic exerceri posse,& simul Christo per fidem salvificam adhærere : sed perpendat, quod metus perditionis meritæ,ortus ex sensu peccatorum, cogere quasi poterit peccatorem ad Christum amplectendum ne pereat. Et hîc tamen licet fidelis non audeat discedere á Christo, ne in barathrum descendat : satis tamen habere sibi videtur, si consistere in limine domus Dei ipsi liceat , etiamsi se non associet ut convivam in jure felicitatis & gloriæ cum *Abrahamo* & Patriarchis. In hac enim conditione cum *Mephibosheto*, clementiæ satis se assequutum esse judicat, quod vivere datum sit ipsi; tremit autem, cum se mortuum canem in oculis suis vocari audit ad regalem mensam ; nam cum prodigo pœnitente satis habet cibario pane vesci inter servos familiæ, nec audet se filiis aggregare. Et certè magnitudo promissorum bonorum, quæ Deus præparavit diligentibus se,tanta est,ut attoniti stent filii Dei sæpè & præ gaudio non credant,quando de sessione sua in throno cum Christo audiunt : neque audent tantum gaudere gaudium, quantum Scriptura ipsis offert : imo vero cum se attollere vellent , non magis capere possunt immensam Dei dilectionem & gratiam quam ipse coram iis proponit in verbo suo, quam quis spithamâ suâ poterit cœlum mensurare, & gloriam quæ in eo splendet in pugnum contrahere, vel, in sinum suum complicare. Ex hujusmodi cogitatione erat quod *Petrus* non ferebat Christum demittentem se ad lavandos pedes suos , & quod *Martha* in colloquii sui initio cum Christo, non admittebat fore ut *Lazarus* jam mortuus & sepultus ante diem novissimum resurgeret.

3. Verum hic plurimum sibi nocet æger, plurimum veritati, gratiæ & liberalitati Dei detrahit: hunc enim morbum quandiu fovet,non tantum amputat

putat sibi gaudii plenitudinem quam offert Deus, sed etiam Diabolo occasionem, ansam & auxilium præbet, ut in quæstionem vocet etiam primum actum illum fidei, quo fugiens ad Christum jus ad justificationem & vitam æternam apprehendit. Nam, si præsumptio sit, beneficia per Christum parta, promissa & oblata, per fidem accipere & nobis applicare, (quia beneficia magna sunt, & nos parvi & indigni sumus.) Quidni etiam præsumptio merito vocaretur, propter eandem rationem (si vim aliquam haberet) Christum, qui major est omnibus suis beneficiis, nostrum esse audere profiteri?

4. Periculosa est præsumptio, & jure quidem metuitur & cavetur tantum malum: sed tamen non minus iniquum est, fidem sinceram & probatam, vel virtutem aliam aliquam alienis nominibus denigratam aversari, quam vitia virtutum nominibus vestita amplecti. Quare, 1. Examinet æger tentationem, & consideret quod præsumptio longè distet à fidei natura, sicut supra notatum est. Præsumptio enim non modo secura est ab hoste, & negligens operum bonorum, sed etiam felicitatem pollicetur ambulanti in viis suis malis: comminanti Deo minimè credit, & promittenti Deo fidem quam non requirit, obtrudit. Quæ enim Deus dicit lugentibus peccatum suum, præsumptio lascivientibus applicat: fides vero humilis & laboriosa est, peccatum odit, & sanctitatem sectatur. Ubi igitur fides in Christum viget, & peccatum vitatur, & comminatio terret, & via ad promissa bona placet, eligitur, & tenetur: hîc (inquam) credere & apprehendere bona promissa etiam maxima, non est præsumere. 2. Armet se æger adversus tentationes gladio & clypeo fabricatis ex Dei Verbo, quod non solum promittit bona salutaria, sed etiam connectit bona alia omnia optima & excellentissima cum Christo, & imperat ut credamus in eum, & vetat ne credentes in ipsum dubitemus, (quia qui dedit nobis Christum, daturus est nobis omnia reliqua cum Christo) & urget ut fortiter apprehendentes vitam æternam, in via sanctificationis pergamus, & pugnam fidei depugnemus. 3. Consideret etiam æger quantum sit peccatum adversus Deum, & quam nobis ipsis noxium & periculosum, bona quæ Deus conjunxit separare; Deum in una aliqua promissione loquentem veracem & bonum æstimare, & non in omni ipsius ad nos sermone eandem ei gloriam dare. 4. Denique perpendat æger hanc iniquam suspicionem præsumptionis in Casu prædicto, nimium sapere errorem Papistarum, qui dona Dei metiuntur personæ accipientis dignitate, & non sola Dei gratia. Cui errori nisi obviam iverit æger, comperiet tandem in omnibus Evangelii promissionibus recipiendis, se versari in eodem periculo ab eodem errore. Nam, si præsumptio est attingere

promissiones maximas de communione cum Deo & sanctis præcipuis; de privilegiis cohæredum cum Christo; de gloria futura & similibus donis: sequetur ægrum confidentiorem futurum, si se digniorem perspiceret. Quo posito, ratio fiduciæ ipsius non erit gratia promittentis, sed dignitas accipientis: Atque ita tota ratio salutis gratuitæ everteretur, quod est absurdum. Ne igitur existimet humilis æger præsumptionem esse, si promissam & porrectam Dei gratiam in Christo quantam quantam apprehendit & amplectatur.

CAP. XIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ putantis gaudium Spiritus jam præteritum, vel esse gaudium speculationis tantum temporariis commune, vel delusionem.

HUjus generis etiam est ille Casus, in quo Regenitus suspicatur gaudium Spiritus quod semel sensit, speculativum tantum fuisse, vel delusionem. Accidere autem potest hic Casus potissimum desertionis tempore, quando scilicet consolatio non tantum non sentitur, sed etiam dolor tantum sentitur & tristitia, & quando acerbitas afflictionum totum occupat animi sensum. Tunc enim memoria gaudii præteriti magnopere obscuratur, & sensus præsentis mœroris totum hominem inflammat: sicut enim in passionibus corporis, jucunda simul etiam & amara, tum tantum cum aliquo vigore sensum corporeum afficiunt cum præsentia sunt; ubi autem præterierunt, eorum memoria leviter afficere solet imaginationem nostram, si comparatio fiat præteritorum cum præsentibus (nam longè aliter nos movet sensus ignis jam ustulantis nos, quam memoria prætetitæ ustulationis:) Sic se res habet in affectibus animæ. Gaudia aliquantisper splendent, cum primo in anima excitantur, sed duratione minuuntur, & minus delectant; præterita exolescunt, & aliqua ex parte obliterantur, in mœrore absorbentur, oblivioni ferè traduntur, vana judicantur & rejiciuntur: *anima mea consolationem respuit*, inquit Psaltes, *Psal.* 77. 2. Simile quid passus videtur etiam *David*, (*Psal.* 116. 11.) cum in festinatione dixit, *Omnes homines mendaces sunt.* Tunc enim quicquid gaudii unquam senserat ex fide promissionum sibi factarum, per *Samuelem*, vel alias Prophetas, æstimabat deceptionem & delusionem fuisse. Hunc errorem augere solet tentatio Diaboli,

boli, qui & Verba & Operationes Dei, quandocunque offertur occasio, traducit & calumniatur. Hanc Satanæ malitiam sapit querela *Jeremiæ*, cap. 20. 7. *Decepisti me & deceptus sum.* Et certe calumniatori sæpenumero, succenturiatus à tergo succinit vetus noster homo, qui facile cum occasio datur ludibrio habet omnes sanctas novi hominis passiones, sicut *Ishmael* irrisit *Isaacum*.

2. Morbus hic admodum periculosus est: nisi enim cito & solidè curetur, non tantum conditionem bonam perturbat, miseramque ægro superinducit, sed etiam (quasi ariete) pulsat ipsum Statum Regenerationis, ipsum Statum gratiæ & Reconciliationis, eumque funditùs evertere conatur. Nam si gaudium Spiritus Sancti, datum supplici dubitanti in fidei confirmationem, & datum lachrymanti in consolationem, habeatur pro deceptione aut delusione: vel, si effectus meræ speculationis seu contemplationis æstimetur, actum erit de Spiritus arrhabone; actum erit de fidei per gaudium datum confirmatione; in quæstionem vocabitur ipsa fides; & per consequens etiam Regeneratio, Reconciliatio, & Status gratiæ: & jam corruent omnia quæ prius ædificata videbantur in petra; revocabuntur gratiarum actiones olim oblatæ pro consolationibus datis; testimonia repetitæ experientiæ rescindentur: Atque ita æger sibi ipsi pejus habere videbitur, quam cum in peccatis jacebat: quia jam operam & oleum se perdidisse putabit ab eo tempore quo peccatis renunciaverat, & sibi Regenitus visus erat: quapropter necesse est ut huic malo cito occurratur, ne invalescat.

3. In morbi igitur hujus curatione, hæc methodus observetur. Primo, ne statim disputet æger quæstionem, an gaudium illud de quo suspicio orta est fuerit solida necne, sed examen aliquantisper differat, & oculos convertat in præsentem suam conditionem confusam, perplexam, & miseram; respiciat peccata sua & indignitatem suam; observet Tentatoris malitiam, potentiam, vafritiem; & suam ipsius stultiam, infirmitatem, impotentiam, eo fine, ut agnoscat se jam opus habere Mediatore, Redemptore, Sponsore & Medico. Deinde, respiciat gratiam in Evangelio oblatam omnibus qui in simili conditione misera versantur. Denique, amplectatur oblatam gratiam, nullus disputans utrum prius apprehenderit eam necne: tantum hoc apud se statuat, nullum tempus elapsum esse in quo magis necessarium sibi Christum Servatorem & Redemptorem perspexerit; nunquam fuisse tempus in quo gratior ipsi esse poterat gratiæ in Christo oblatio: & tandem dicat Domino, *Ecce ad te confugio, oblatum Christum, oblatum fœdus gratiæ in eo, oblatam Remissionem peccatorum per eum, & imputationem justitiæ ipsius gratis oblatam accipio, arripio, amplector, periturus nisi facerem.* Hac ratione

tione fœderis gratuiti acceptilatio solidè firmabitur & rata habebitur; & arx fidei quam obsidebat Satan (& per hanc tentationem expugnare & demoliri statuerat) inexpugnabilis consistet.

4. Secundo loco examinentur objectiones adversus soliditatem consolationum præteritarum, & gaudiorum in quæstionem vocatorum. Objiciet forte æger; Gaudium quod putabam esse gaudium Spiritus, brevissimæ erat durationis: & propterea suspicor non fuisse solidum. *Resp.* Non sequitur gaudium quia breve fuit ideo falsum fuisse: nam, ad consolationem animi metuentis, & tristitiâ dejecti, sufficit causas metus & tristitiæ removere; placatum Deum per renovatum Spiritus arrhabonem manifestare, etiamsi gaudium illud non diu manserit: sicut enim non sufficit ad probandum salubrem aquæ potum non fuisse datum febricitanti, quia statim post breve tempus morbus referbuit; & sitis paululum sedata, inflammata est: Sic neque sufficit ad probandum gaudium Spiritus solidum non fuisse, quia breviusculum erat, &, quia sedata semel tristitia, cito rediit. 2. Satis est quod tamdiu duraverit gaudium, quamdiu opus erat; & quod memoriam sui post se reliquerit: nam missum erat gaudium à Deo, ut dolorem ægri & tristitiam tunc præsentem removeret: ubi opus jam peregit, quidni ad datorem rediret? sicut in visione *Petri*, *Act.* 10. linteum de cœlo demissum, (peracto negotio, & *Petro* jam de voluntate Dei edocto) rursus in cœlum receptum est. Sponsa in *Cantico* sciebat gaudium spirituale non diu permansurum fuisse; & idcirco agit cum filiabus Hierosolymæ, tantum ne excitent Dominum prius quam vellet.

5. *Obj.* 2. At si solidum fuisset gaudium meum, meliores fructus protulisset quam protulit: degeneravit enim gaudium meum in securitatem quandam carnalem, & ego nihilo sanctior factus sum. *Resp.* Non imputandum est gaudio spirituali, quod fructus meliores non protulerit æger: nullum enim est donum Dei, quo aliquis abuti non potest. Aliæ causæ quærendæ sunt non productorum fructuum, quales sunt ægri ingratitudo, negligentia, securitas, somnolentia, & nova peccata. Inter quæ, hoc unum esse potuit, quod statim post gaudii ablationem, æger suspicatus fuerit gaudium illud non fuisse Dei opus: quæ suspicio non potuit non contristare Dei Spiritum, & fructum gratitudinis impedire.

6. Tertio loco afferantur argumenta, quæ probent gaudium fuisse genuinum. In quem finem revocet æger in memoriam, in qua conditione constitutus, consolationem à Deo adeptus sit, & quibus mediis eam comparaverit; & quantoperè fidem confirmaverit gaudium datum dum præsens erat, quantum studium Deo placendi (dum sensus illius manebat) excitaverit,

quas cantiones & quam gratiarum actionem erga Deum produxerit. Et hinc argumenta petantur ad gaudii justificationem: nam, si sensu peccati & metu iræ divinæ affecto datum est; si confugienti ad Deum per Iesum Christum; si veniam & misericordiam petenti datum est; si studenti sanctimoniæ datum est; si pro tempore fidem in Deum auxit, & studium Deo placendi renovavit; si ad gratias Deo tunc agendum impulit; maxime vero si æger adhuc pergit in Christum credere & sanctitati studere, etiam dum dubitat an gaudium solidum fuerit, Non debet præteritum gaudium in dubium vocare. Nam his argumentis, Psaltes (*Psal.* 77. 6.) in gravissima tentatione fidem suam confirmabat, & cantionem suam quam noctu aliquando Deo cecinerat, in memoriam revocabat.

CAP. XIV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ suspicantis suum zelum, rigorem carnalem tantum fuisse.

USU venire solet, ut, qui sincerè Deum diligunt, nec ferre possunt malorum improbitatem, aliquando transgrediantur zeli moderati terminos; & deprehensi in aliquo errore, acriusque quam par esset, vel ab amicis correpti, vel à potentioribus mulctati, cum zelum tantum corrigere deberent, de zelo bono remittunt, suspicantes zelum suum, injustum rigorem fuisse, vel præcipitem temeritatem, vel odium adversus homines carnale, vel similem aliquam intemperiem fuisse. 2. Huc accedit Conscientia nativæ corruptionis & communis hominum infirmitatis, una cum suspicione actionum suarum, quando præstantissimæ sunt: quæ suspicio confirmatur per censuram amicorum rigidiorem. 3. Denique, subsequitur tentatio Diaboli studentis omnem veri zeli fervorem, frigida quacunque suffusa, extinguere. Et hîc quidem periculum est, ne probatus zelus defervescat; & æger non tantum languescat in suppressione mali, sed etiam in prosecutione boni de pristina diligentia remittat, & remittens de zelo Dei deferatur à Deo: Atque ita incidat in tepiditatem Deo maximè exosam: In quo morbo, tanto sibi placebit magis & tanto confirmatior in hoc malo evadet, quanto sibi & amicis & mundo prudentior videbitur esse nunc quam olim fuerat.

Quod ad mali hujus remedium attinet: extra controversiam esse debet, idem bono zelo accidere, quod aliis virtutibus accidit: inter quas nulla adeo est perfecta in subjecto suo, quin defectus aliqui & excessus admisti in

ea comperiantur. Et propterea ficut iniquum eft ab alicujus virtutis ftudio retrocedere, quia imperfectiones in illius virtutis exercitio obfervantur: Sic iniquum eft ut quis de zelo remittat, quia in eo imperfectiones obfervatæ funt, maximè quando confideramus quam ægre ferat Chriftus zeli refrigerationem, eamque interpretetur defectionem effe à priftina dilectione erga fe; & quod tepidos ex ore fuo evomere minetur, *Apoc*, 2. 3. Quapropter examinet fe æger, & actiones fuas ad Regulam Verbi divini comparet, ut, quod in eis confentaneum eft regulæ, accuratè teneat. 2. Diftinguat inter actionum fuarum materiam & modum agendi: fieri enim poteft, ut, in actionis laudabilis producendæ modo, imprudentia aliqua fuerit: Revocetur igitur in memoriam, an aliquid indecorum acciderit in verbis, vultu, vel geftu, unde fufpicio oriri potuerit, quod zelus carnalis fuerit: & fi inveniet quicquam, candide id confiteatur apud Deum & homines, quantum ad ædificationem infervire poterit: factum interim fuum bonum (licet non tam bene factum quam oportuit) defendat; confoletur fe in Deo, & confirmet fe in ftudio placendi Deo,ne fimul actiones bonas cum imperfectionibus condemnet & abjiciat. 3. Adhibeat poftea majorem in agendo cautionem, prudentiam, & circumfpectionem quam prius; & zeli intus ferventis expreffiones ita temperet & moderetur, ut, quæ maximo cum zelo dicere vel facere ftatuit, ea cum maxima animæ manfuetudine emittat. 4. In hunc finem ftudiofè foveat tres zeli laudabilis individuos comites, fcilicet, timorem Dei, dilectionem proximi, & humilitatem cordis proprii; curetque in omnibus, ut conjunctio harum virtutum in exercitio omnium officiorum erga homines firma retineatur: *Timor* enim Dei non patietur fidelem à Dei mandatis difcedere; *Humilitas* modeftum reddet agentem; & *Dilectio proximi* manfuetum efficiet ægrum in hujus officii præftatione. Atq; hoc eft zeli temperamentum quod requirit Deus; hic eft zelus Dei cum fapientia

---

CAP. XV.

In quo tractatur Cafus Confcientiæ fufpicantis ἀκρίβειαν in converfatione fua effe fcrupulofitatem.

NOnnunquam accidit, ut, Regenitus poftquam totam Dei armaturam induit, & ἀκριβείας feu accurationis in converfatione experimentum cepit, aliquantifper poftea gravitate oneris aliquantum prematur, & jugum relaxare vel folvere conetur, laboris fcilicet tædio affectus, quafi pro ἀκριβείᾳ

fcrupu-

scrupulositatem sequutus fuisset: Atque ita de diligentia & vigilantia remittat, sicut *David* deposuit armaturam *Saulis*, cui gestandæ non erat assuetus.

2. Rationes autem deceptionis prætexere solet æger tres. Prima est, quia omnino impossibilis est hæc accuratio in conversatione: tendit enim ad perfectam moralis Legis obedientiam: de qua ipse Spiritus Dei pronunciavit, quod *impossibilis* sit propter carnis infirmitatem, *Rom.* 8.3. Ratio secunda est, quia Conscientiam inquietam reddit: impeditque ne pace Dei per Evangelium concessa fruatur. Tertius prætextus est, quia libertati Christianæ in multis rebus licitis ita obstat, ut, nec creaturis à Deo sanctificatis, nec exercitiis corporeis ad sanitatem tendentibus, nec recreationibus ad animi relaxationem necessariis, sine scrupulo liceat uti. Et hîc quidem periculum est ex altera parte, ne æger pedibus eat in sententiam Antinomorum, vel saltem, ne dissolvat aliqua ex parte doctrinam Legis de officiis nostris in Deum & proximum, & doceat alios idem facere, cum salutis suæ dispendio: ex altera vero partè, periculum est, ne laqueos injiciamus Conscientiis Regenitorum in rebus licitis, & ne sanctis in via objiciamus scrupulos, qui ipsos in via sanctitatis ambulantes remorentur.

3. Ut solidum remedium huic malo afferatur, ante omnia danda est opera, ne quicquam de ἀκριβείας seu accurationis studio remittatur: nam, si vel rima hic aperiatur, periculum est ne aquæ penetrent in interiora & totam navem impleant, eamque submergant: Stat enim immobile illud præceptum cum comminatione adjuncta, *Heb.* 12. 14. *Sectamini pacem cum omnibus & sanctimoniam, absque qua nemo videbit faciem Dei.* Similiter & præceptum illud, 1 *Pet.* 1. 15. *Estote sancti, sicut qui vocavit vos sanctus est.* Et illud Christi, *Matth.* 5.48. *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est.*

4. In hunc finem solvendæ sunt objectiones & tollendæ rationes deceptionis, præcipuè tres illæ de quibus jam facta est mentio: quarum prima nullam habet vim: licet enim observatio Legis perfecta in hac mortali vita sit impossibilis, studium tamen ad perfecte observandum Dei mandata, nec est impossibile, nec inutile: adde hoc, quod in hac vita imperfectum est, tandem in vita futura perficietur. Aliud autem est Legem præstare perfecte, aliud vero studere pro viribus datis ut perfecte observetur: Deus enim qui solvit vinculum fœderale Legis, non solvit authoritatem legis-latoris in subditos suos; non antiquavit mandata Legis, non solvit officia Redemptorum, vel eorum obligationem ad obediendum mandatis: sed, recipiendo Regenitos in gratiam per fidem, auget ipsorum obligationem ad serviendum Deo liberatori tanto alacrius, tanto studiosius & perfectius, quanto gratiæ copia

major facta est iis in Remissione peccatorum, & in translatione ipsorum in Regnum Christi.

5. Studii autem, ut accuratè ambulemus in conspectu Dei, & ut nos ab omni spurcitie carnis & spiritus custodiamus, multipelx est utilitas: primo enim glorificat Patrem nostrum cœlestem, sanctum Deum Israelis, cui nos conformes esse contendimus. 2. Ornat doctrinam Evangelii, & professionem sanctissimæ fidei nostræ, per quam Dei gratiam apprehendimus ad justitiam, ut justitiæ serviamus. 3. Indicat hoc studium sinceritatem voluntatis nostræ ad Deo serviendum, etiamsi mensuram perfectionis ad quam aspiramus non assequamur. 4. Suppeditat materiam humiliationis quotidie, quando collimantes ad scopum perfectæ obedientiæ perspicimus quam longè à meta absimus. 5. Efficit ut desperemus de justificatione ex operibus coram Deo, quando videmus nos nulla ex parte præstare posse quod lex requirit: sed in omni opere nostro, nos adeo impuros & pollutos esse, ut necesse sit cum Israele pænitentiam agente exclamare, *justitia nostra est ut pannus conspurcatissimus.* 6. Studium hoc, charissimam nobis & maximè necessariam reddit quotidie justitiam illam Christi imputatam: absque qua, nuditas nostra coram Deo non cooperiretur. 7. Palæstra denique est, in qua exerceantur omnes virtutes & gratiæ à Deo datæ; in qua sancti cum sanctis & sancti singuli cum seipsis contendant ut Deo obedientia præstetur, & ut fiat voluntas ejus in terra, sicut in cœlo, donec ad cœlum perveniamus, in quo felicitas nostra cum sanctitate perficietur.

6. Quod ad secundum prætextum seu secundam objectionem attinet: tantum abest ut studium accurate incedendi secundum præceptum Apostoli (*Ephes.* 5. 15.) Conscientiam inquietam reddat, vel impediat quo minus pace Dei per Evangelium fruamur, ut contra, pacem apud Deum in Conscientiis nostris confirmet & stabiliat maxime. Ex studio enim accurate incedendi, cognoscunt credentes in Christum se esse extra periculum condemnationis, quia non sequuntur carnem, sed spiritum ducem, *Rom.* 8. 1. Secundo, hoc studium, index est bonæ Conscientiæ, quæ fidem sinceram comitatur, eamque aliquo modo munit. Tertio, per studium hoc, sancta quadam necessitate cogitur fidelis Christo adhærere, & cum eo in cœlis conversari; partim, ut peccati labem continuò lavet Christus per novam expiationis à se semel factæ applicationem; partim, ut Christus vires novas suppeditet ad accuratius ambulandum in via mandatorum Dei; partim denique, efficit hoc studium ne Regenitus unquam discedat ab integumento justitiæ imputatæ, qua sola omnes imperfectiones sanctorum teguntur & Regeniti in gratia apud Deum stant: Atque ita pax Dei per Evangelium oblata, sarta, tecta

con-

conservatur, quandiu studium accurate incedendi viget.

7. Quod ad tertiam objectionem spectat: libertas Christiana per studium accurate incedendi minime læditur, sed juvatur & conservatur potius. Vera enim libertas Christiana, est, ut in usu beneficiorum Dei liberemur à peccatis, & ita bonitatem in rebus licitis oblatam percipiamus; ut earum utilitatem per intemperantiam non corrumpamus, nec in detrimentum nobis convertamus. Esto igitur cor nostrum toto die in timore Dei, ac ita rebus licitis modo licito utamur: sanctimoniæ enim studium, non illicitas reddit recreationes corporis vel animi licitas refocillationes, sed corrigit nimiam nostram licentiam in rerum licitarum usu. Quantum igitur hîc in usu rerum licitarum juvari poterit corpus nostrum aut animus noster ad Deo serviendum in vocatione nostra, tantum nobis concedit Christiana libertas: nec quicquam requirit à nobis,nisi ut sive edamus, sive bibamus,sive aliud quidpiam licitum faciamus, omnia ad Dei gloriam agamus, h. e. quatenus ea faciunt ad nos juvandum ut Deum in Christo glorificemus in officiis necessariis: modum autem & mensuram in his, sic docebit nos Deus, sicut ipse nos docet reliqua officia Christiana.

CAP. XVI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ suspicantis teneritatem cordis sui in Religionis exercitiis, esse naturalem corporis mollitiem.

QUando Deus cor lapideum jam abstulit Regenito, eique cor carneum indidit, ut jam non amplius audeat seipsum indurare adversus comminationes Dei, sed tremit audiens Dei Verbum, *Isa.* 66. 2. nec potest genua flectere coram Deo, & orationem suam ipsi offerre, quin statim cor liquescat & in lachrymas resolvatur: quando (inquam) cor tenerum datum est, oritur nonnunquam in Regenito suspicio, eaque non levis, quod hæc teneritudo cordis & hæ lachrymæ non sint genuinæ, sed naturalis tantum pusillanimitas, & corporis ad temperiem fæmineam compositi indicium. Ratio autem suspicionis est, quia Regenitus sæpenumero in se sentit motus hos leviores esse, nempe, eos qui neque secum afferunt doloris acrimoniam, nec post se relinquunt Resipiscentiæ effecta, iram scilicet, & odium, & vigilantiam adversus peccatum. Quapropter metuit ne teneritas hæc non sit illa cordis contritio, quam in Regenitis commendat Scriptura. Et hic quidem nisi morbus recte curetur, ex altera parte, periculum est ne despiciatur ope-

ratio Spiritus Sancti, & cor redeat aliquousque ad pristinam suam duritiem: ex altera vero parte, periculum est ne æger seipsum imprudenter sanet, & nimium tribuat lachrymis suis,non satis ad normam verbi divini examinatis, quasi nullus in eis dolus esset, & quasi operæ-pretium aliquod in lachrymis non leve esset.

2. Quod autem utrinque periculum sit, experientia comprobavit: Quidam Regeniti enim, post suspicionem fixam, ita restiterunt lachrymationi in precibus suis, ut per multos menses negligentius oraverint: & tandem etiam quando valde lachrymabilis reddita erat ipsorum conditio, non potuerint (licet maxime voluissent) unam lachrymulam exprimere. Aliqui etiam,ex altera parte, ita lachrymis indulserunt ut eas maximum statuerint indicium suæ sinceritatis, & eas certissimum testimonium putaverint acceptatæ orationis suæ apud Deum; colligentes ad confirmationem erroris sui,omnia loca Scripturæ quæ de lachrymis loquuntur: adeo ut quotidie in oratione sua ad Deum, singulas guttas de genis suis cadentes observaverint, & in numerato habuerint: indéque conditionis suæ spiritualis de die in diem in melius aut pejus commutatæ, comparationem faciebant, secundum mensuram lachrymarum majorem vel minorem: verbis interim negantes se quicquam lachrymis suis tribuisse, plus quam æquum erat indiciis contriti cordis tribuere: in quo tamen cordis sui fallacia ipsos insigniter decipiebat.

3. Rarior quidem est hic morbus: pauci enim admodum sunt, qui peccatorum suorum quotidianorum actualium, & constanter adhærentis ipsis originalis peccati sensum ita fovent, ut quotidie defleant suam iniquitatem & pollutionem cum *Paulo* Apostolo, *Rom*.7.4. Pauci qui sensu indigentiæ & indignitatis suæ ita pungantur, ut lachrymæ ipsis erumpant quoties adoraturi ad Deum in precibus accedunt cum *Timotheo*, 2. Epist. 1. 4. Pauci etiam sunt, qui tam exactè histrionicam didicerunt, ut artem lachrymandi percalleant, & lachrymis dare Leges sciant, ut illæ pro imperio exeant, & quacunque jubentur ire, eant.

4. Interea nec negamus aliquos adeo contriti esse cordis, ut ad omnem seriam de Deo rebusque adversis in Ecclesia cogitationem liquescant,qui nec loqui nec scribere possunt de rebus, quæ vel hominum salutem, vel Dei gloriam vel Ecclesiæ pacem impediunt, quin dicta & scripta sua lachrymis perfundant. Cum enim id factitatum fuisse videmus à Dei servo, *Act*. 20. 19. 21, &, 2 *Cor*. 2.4. Non negandum est Spiritum Dei,qui potenter operabatur in *Paulo* in *Timotheo*, adhuc etiam operari similiter in aliquot selectis tabellis, & in iis de ætate in ætatem, potentis sui amoris effecta, & imaginem describere, pro donationis suæ sapientissimæ mensura. Nec negamus

gamus aliquos adeo insignes esse, vel hypocritas, vel saltem adeo insigniter à spiritu delusionis correptos, ut licet in secreto non lugeant peccata sua sicut Deus requirit; in propatulo tamen & coram testibus obsequentissimas habeant lachrymas, easque frequentissimas, quando (ut loquuntur Historici) crocodilum agere ipsis est propositum maximè: illi enim simulare solent se Dei causam agere, quando suam tantum agunt. Et sicut Sathan se transformat ad mentiendum Angelum lucis: sic illi ejus servi mentiuntur servos Christi, sicut *Paulus* Apostolus observavit tempore suo, 2. *Cor.* 11.14,15. Denique non inficias imus, quin in multitudine lachrymarum aliquid subesse poterit, quod à corporis temperamento fluit, vel à consuetudine, vel à delectatione in earum copia, ita ut non immerito suspicari poterit æger lachrymarum suarum sinceritatem, maximè quando in lachrymis fundendis cor suum leviter affectum sæpiusculè observat.

5. Quapropter, primo, examinet se æger, An ex naturali vel corrupto aliquo principio fluant ipsius lachrymæ; an facile ad lachrymas moveatur ob res minutas & leviores & quæ ad vitam hanc præsentem spectant. Hinc enim facilius judicabit de spirituali fonte lachrymarum: nam qui ad lachrymas difficulter movetur à damno civili aut jactura rei terrenæ, liquescit autem in sensu peccati, in cultu Dei, ejusque causa qualibet, quæ ad luctum vocat, causam suspicionis minorem habet, quam si rem aliter se habere apud seipsum comperiat.

6. Secundo, observet affectus suos præteritos, An, nimis ægrè tulerit defectum lachrymarum in cultu suo secreto, etiam quando in fide, humilitate, & sinceritate se Deum alloquutum fuisse, conscius sibi erat: & similiter, An sibi tanto placuerit magis, quanto in precibus lachrymosior fuerit: quod si compertum habuerit, indicium est nimii pretii in lachrymis positi ab ægri corde, quicquid responderit ipsius Conscientia de officio debito interrogata.

7. Tertio, in posterum nec despiciat æger cordis teneritatem, vel lachrymas fluentes pro data causa in Dei cultu: nec ita affectet lachrymas, quasi insulsus esset omnis cultus, hoc sale non salitus: sed studeat in oratione sua ad Deum, veritatem ex animo serio loqui; & fidei, dilectionis, spei, resipiscentiæ sinceritatem sectari maximè: sic enim nec deerunt lachrymæ, nec desiderabuntur absentes, nec delectabunt nimium quando adsunt. Quandiu enim Regenitus sinceritati studet in exercitiis salvificorum habituum, non quiescit in verbis, in fletu, vel ullis exercitiis corporalibus: sed in Christo, & conformitate cum ipso, aspirans ad arctiorem indies communionem cum eo; & contendens per virtutem Spiritus ejus ad fidem; per dilectionem operantem & laboriosam, ut Deo (non sibi) in omnibus placeat.

In quo studio non est dubium, quin ob defectum officii sui sæpenumero lachrymaturus sit; sed luctum suum tamen & lachrymas fluentes non acceptabit pro satisfactione: Non enim quærit Regenitus sapiens lachrymas, sed odium & fugam,& mortificationem peccati.

8. Neque ista dicimus,ut fontem lachrymarum in quoquam obstruamus, aut Resipiscentiæ cursum in quoquam impediamus, aut ut lachrymas sinceras è numero signorum contritionis animi excludamus: sed eó dicta hæc volumus, ut qui lachrymas contritionis aut teneritatis indicia vel suspicantur præsentes, vel desiderant absentes, Caveant ne vel earum fontem exsiccent, vel eis nimium tribuant; sed in sensu peccatorum suorum & indigentiæ suæ,Christi justitiam,& virtutem Spiritus ejus esuriant & sitiant, easque studiosè persequantur, sive cordis mollitiem, sive cordis duritiem permanentiorem, vel alternis vicibus, nunc hanc, nunc illam in se sentiant redeuntem. Monemus interim, non leve argumentum suspicionis esse, quod cor valde alienum sit à timore Dei & sensu peccati, si in confessione peccatorum quotidianorum, & precatione secretâ ad Deum, Conscientiæ morsus,vel nullas,vel admodum raras eliciunt lachrymas: maximè quando certum est ægro examinanti seipsum, non deesse sibi lachrymas ob causas leviores.

CAP. XVII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ æstimantis omnem suam orationem ad Deum, quæ non est conjuncta cum sensu divinæ approbationis, opus esse labiorum tantum.

IN confesso est apud omnes Regenitos, Deum colendum esse in spiritu & veritate; & cultum spiritualem Deo gratum & acceptum non consistere in appropinquatione ad Deum,cum oratione labiorum externorum, quando cor appropinquantis ab ipso longè alienatur. Unusquisque igitur Regenitus, (quandiu officii sui memor est) studet Deum in spiritu colere, h. e. cum intelligentia & affectu cordis interno confiteri peccata,deprecari iram, petere à Deo necessaria, intercedere pro aliis, gratias Deo agere pro beneficiis acceptis,eumque laudare propter opera ipsius observata, ita ut orationi respondeat affectus, & affectum sequatur approbatio Conscientiæ, & sensus pacis à Deo approbante. Quidam autem sunt Regeniti, qui, licet sobriè & sincerè, ex fide Deum colant, nisi etiam sentiant affectus suos cieri, & virtutem & vigorem vitæ spiritualis in se observent,& sensum divinæ appro-

bationis percipiant, Indicant totum hunc suum cultum, nihil aliud esse quam opus labiorum. Hinc oritur suspicio injusta desertionis à Deo, & alienati ejus ab ipsis animi; hinc etiam querimoniæ, & remissio manuum in precatione animique dejectio sequuntur: quam injustam suspicionem, & iniquam æstimationem spiritualis doni in ipsos collati inter precandum, Deus sanctè & sapienter sæpenumero castigat, per realem desertionem, eamque multiplicem: abstrahit enim, primo, spiritualem consolationem, & lucem, & ordinem in precationibus. Deinde, ad probationem & exercitium fidei, aufert donum suum despectui habitum, ut ne verba quidem suppetant precanti seu precaturo. Fatemur interim hoc fidei exercitium non semper imponi à Deo ut castigationem, sed sequi posse tanquam effectum afflictionis perturbantis animum & impedientis eum ne possit cogitationes perplexas in ordinem revocare, & explicatas in precatione apud Deum proponere. De quo Casu animi loquitur Apostolus, *Rom.* 8.26. *Quid enim oremus ut oportet, non novimus, sed ipse Spiritus intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus.* Verum, quando sequitur ex suspicione voluntatis Dei erga queritantem: quod precatio sua (quantumvis seria) sit tantum opus labiorum, nisi condiatur oratio (prout vellet æger noster) sensu approbationis Dei, Castigatio est paterna, quâ castigatione admonitus æger, nisi resipiscat & redeat ad Deum, stultitiam suam agnoscendo, sinit eum Deus in graviores tentationes incidere; permittit statum ejus in gratia in quæstionem vocari, & fidem ipsius vulnerari, aliaque multa mala in ipsum per apertam desertionis realis portam incurrere.

2. Unde apparet, quam periculosus sit hic morbus, & quantâ cautione & diligentiâ curandus sit: quod eò dictum est, ut æger, (ex altera parte) nec sibi placeat in opere labiorum; nec limitet (ex altera parte) Dei Spiritum in dispensatione donorum suorum: sed se prudenter gerat erga Deum suum in quacunque præsentiæ mensura ipsi visum fuerit se ægro manifestare. Ut ergo malum hoc curetur, distinguenda sunt hæc quinque. 1. Opus labiorum. 2. Precatio ex fide. 3. Precatio cum affectu observabili. 4. Precatio cum approbatione divina. Et, 5. Precatio cum sensu approbationis divinæ.

3. Quod ad primum attinet: Opus labiorum in sensu Scripturæ, est, quando quis, operi Religionis externo tantum intentus, loquitur in precatione quidem ea quæ recta sunt; sed fide caret, & affectu caret in loquendo: quo externo officio cum defunctus est Orator, satis habet, & sibi placet quasi re benè gestâ, & in tabulas expensi refert id quod fecit in Dei cultu externo, sicut videre est, *Isa.* 58.1,2,3. Hunc superficialem colendi modum rejicit Deus, *Isa.* 1.14,15.

4. Quod ad secundum attinet: Precatio ex fide, est, quando quis observat se inopem verborum, vel, cum verborum copia in precatione sua ad Deum, inopem se esse affectuum percipit: interim confitetur quod verum est de se, & dicit id quod rectum est: intercedit pro aliis ex officio, deprecatur Dei iram, & Deum laudat secundum regulam mandatorum & promissionum Dei; & sibiipsi valde displicet, quia cordis sui affectus non moventur, prout sermonis & rerum in oratione prolatarum natura exigit. Et in hoc Casu licet affectus non desit omnino, quoniam Conscientia dictis subscribit, & cor in sensu defectus officii sui dolore afficitur: æger tamen precans, videtur sibi sine affectu precari, quia sine ea affectus mensura quam affectat, precatur: & hæc precatio nihilominus est in fide.

5. Quod ad tertium attinet: precatio cum affectu observabili, est, quando Regenitus in precatione sentit orationem suam liberius fluxisse, & affectus orationi respondisse; & Dei hoc beneficium esse agnoscit: sed non satis habet tamen, quia consolatio non sequitur.

6. Quod ad quartum attinet: precatio cum approbatione divina, est, quando quis in fide & sinceritate orat & petit ea quæ Deo placent, quæ Deus in Verbo peti voluit, & concessurum se promisit, sive orans sibi placeat in affectus sui mensura, sive non: precatio enim hujusmodi Deo grata est, ut testatur Apostolus, 1. *Joh.* 5.14,15.

7. Quod ad ultimum membrum attinet: precatio cum sensu approbationis divinæ, est, quando Deus non tantum approbat orationem per Verbum suum in Scriptura; Sed etiam per Spiritum suum consolatur cor precantis, & lætum dimittit, sicut dimisisse *Davidem* sæpius in Psalmis perspicimus, & sicut consolatus est Matrem *Samuelis* in precibus suis.

8. Hoc ultimum genus precationis, etiamsi suavissimum sit, & propterea desiderari maximè soleat à Regenitis, qui vel sæpenumero, vel saltem aliquando suavitatem consolationum divinarum in precibus gustârunt: (& certè optandum est maximè; sed cum animi submissione, si Deo placeat concedere) non tamen est hoc unicum vel solum genus precationis in quo Deus delectatur, vel quod oranti gratum esse debet: Nam oratio in fide & sinceritate ad Deum habita, sive affectus observabiles sint in oratione, sive non, sive sensus approbationis divinæ observetur, sive non, Non est opus labiorum, sed precatio quam Deus acceptat, & quam tempore idoneo perficiet, sicut testatur Apostolus, 1. *Joh.* 5. 14,15. *Hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundum voluntatem ejus, nos audire. Quod si scimus eum audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petiimus.* Idem probant *Davidis* approbatæ à Deo petitiones: qui, licet se quasi mortuum observaverit,

precatus est tamen sæpius, & fidem suam professus est: *Psal.* enim 119. septies vel octies repetit *vivifica me secundum verbum tuum.*

9. Quapropter studeat æger orare in fide & sinceritate & affectu, quantum assequi potest; & quandiu ipsi displicent orationis suæ defectus, non est quod metuat ne Deus habeat orationem ejus pro opere labiorum, maximè quandiu studet in spiritu Deum colere, simul & in conversatione sua sobriè & justè se gerere. Secundo, distinguat æger dona Spiritus Sancti, & donorum mensuram variam: aliquando enim dat Deus *velle* bonum & non perficere, e. g. *velle* precari, sed non *posse*, *Rom.* 7.18. Aliquando dat suspirare ad Deum tantum, & non dat posse gemitus suos explicare, *Rom.* 8. 26, 27. Aliquando dat verba ex fide apud Deum in sinceritate proferre, *Hos.* 14.1,2. Aliquando dat multam disputationem in precibus, sine consolatione, aut affectu approbato observabili, *Psal.* 77, & aliis plerisque. Aliquando dat uberiores lachrymas in precatione, sed sine consolatione ad tempus: quæ conditio describitur in Psalmi sexti priori parte, & pluribus aliis Psalmis. Aliquando dat precari cum fiducia & consolatione: quæ conditio describitur Psalmi sexti parte posteriori, & in aliis Psalmis multis. Neque numerari possunt omnes gradus præsentiæ Spiritus, vel genera dispensationis ejus sapientissimæ, quibus ille pios exercere solet in cultu Dei, & in communione cum eo colenda. Verum in omnibus conditionibus requirit Deus à suis, ut in seipsis humilientur, ut fidem retineant, ut intercessionem Mediatoris magni-faciant; maximè, quando in oratione sua ad Deum quovis modo coarctantur; & ut se submissè gerant in omni dispensationis genere, nec despiciant ullam mensuram doni cœlestis: nam nisi boni consuluerint mensuram datam, facile fieri potest ut ea mensura, vel auferatur, vel diminuatur, v.g. Si quis orationem in fide & sinceritate habitam, opus labiorum esse existimaverit, quia deerat illa affectus mensura quam appetebat: non mirum si Deus mensuram despectam subducat, ut æger non possit jam verba proferre vel concipere quæ Deo offerat, sed tantum possit oculos vel manus ad Deum attollere, vel in animi confusione ad Deum suspirare. Quod si & hic gradus præsentiæ despiciatur, vel pro nihilo habeatur; Non mirum si Deus abstulerit, & hanc doni sui mensuram, & permittat ut tentationes ægrum aggrediantur, quibus solicitetur ad cessandum omnino à precibus, & ad vocandum in quæstionem ea de quibus æger ante non dubitabat: imo, non mirum si ægrum castigare perrexerit, donec ille humiliatus in se errorem suum agnoscat, & ad Deum per Mediatorem redeat.

10. Quapropter quandocunque æger sibi displicet propter defectum ali-

quem in cultu Dei, agnoscat peccatum suum, humilietur coram Deo, confugiat ad Mediatorem, intercessionem Christi majoris-æstimet quam prius, & justitiam ejus imputatam arctiori amplexu apprehendat; ad ejus plenitudinem se conferat, unde gratiam pro gratia hauriat: Interim dolere licet ei ob defectus suos, & ob peccata sua (æquum enim est) sed boni-consulat tamen æger castigationes Dei, quibus anima ipsius visitatur; & studeat in fide & sinceritate Deum adorare, & simul sanctis affectibus & vitæ sanctitati incumbere, pergens in via ad salutem cum timore & tremore ne Deum ullâ ratione ad iram provocet.

CAP. XVIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ judicantis luctam fidei esse labem fidei.

SPeciale Dei donum & Electis solis datum, est sincera fides in Deum, quam quoties & quanto magis exercemus, toties & tanto magis Deo placemus: nam absque fide impossibile est Deo placere, *Heb.* 11.6. Hoc suum donum in Regenitis solet Deus crebris exercitiis probare, exercere, augere, & in lucem proferre, in gloriam non tantum suam, sed etiam filiorum suorum, sicut docemur, 1. *Pet.* 1.7.

2. Hujus autem exercitii rationes seu causæ reddi possunt quinque, 1. Omnium Regenitorum fides imperfecta est, & fidei admixta est luminis ex parte obscuratio, & in applicatione promissionum multa est infirmitas: idcirco quando novæ suboriuntur tenebræ, à Tentatoris astu excitatæ, multi putant se occœcari, quia objectum creditum obscuratum est, & ab eis non tam clarè perspicitur, quam prius perspiciebatur. 2. Omnium sincerè credentium prudentia suspicax est: metuunt enim ne decipiantur, & ne cor suum dolosum fidem historicam aut temporariam pro vera & salvifica supponat; Atque ita sibiipsis imponant: & idcirco, quando in conflictu sese experiuntur infirmiores, facile suspicionem & dubitationem injectam de fidei suæ sinceritate admittunt & fovent. 3. In conflictu aliquando cadunt Regeniti, & temere cedunt tentationi ad fidei suæ labefactationem tendenti: quod accidit *Davidi*, quando in festinatione sua dixit *omnes homines mendaces esse*; & se (à *Samuele* Propheta qui ipsi regnum promiserat) deceptum fuisse putabat, *Psal.* 116.11. Et similiter quando *Psal.* 21, 22, dixit se à Dei facie abjectum fuisse. 4. Quia in fidei lucta semper se manifestat aliqua

fidei

fidei infirmitas: & perspicit Regenitus in lucta, fidem suam non tam robustam esse quam putabat: idcirco facile suspicatur luctantem fidem suam labentem fidem esse: & facile inducitur ad metuendum ne fides sua in luctando labens, tandem labefactetur & deficiat. Et in hac suspicione confirmatur, quia multi, postquam fidei suæ experimenta plura dederunt, tandem naufragium fidei fecerunt. 5. Aliquando Regeniti aliquo suo peccato fortasse Dei Spiritum contristârunt & provocârunt, ut Testimonii sui dictionem in corde ipsorum ad confirmationem fidei necessariam in tentationis hora suspenderet, & consolationem subtraheret: idcirco putant se in lucta fidei Spiritu Dei destitutos, & fidem quam profitebantur & habere videbantur tantum non amisisse: interim huic suspicioni non audent subscribere, sed obluctantur quantum possunt tentationi, & argumenta petunt ex Verbo & operationibus Dei ad se fulciendos in fide.

3. Hic morbus quidem periculosus est, & fideli animæ valde molestus: imo vero quandiu non curatur, instar invalescentis & æstuantis febris est ægri conditio, in qua suspirat moribundus ad Liberatorem Christum, donec auxilium ei afferatur. Et morbus hic vel respicit aliquod dogma fidei Christianæ ab Hæretico, aut veritatis adversario aliquo oppugnatum, vel respicit Evangelii de justitia & vita per Christum habenda ad cor Regeniti applicationem, quam Satanas labefactare nititur, ut vel fidei salvificæ nervos succidat, vel ejus exercitium aliquo modo impediat. Nos remedium contra posterius malum potissimum præscribemus: partim, quia hac ex parte morbus maxime est periculosus; partim, quia hoc posteriori malo remoto, facilior erit curatio prioris.

4. Primo igitur consideret æger distinguendum necessariò esse inter fidem infirmam, & fidem luctantem: Nam, licet in lucta adversus tentationem æger infirmitatem fidei suæ perspiciat, non debet tamen admittere fidem ideo infirmam esse, quia in lucta infirmitas apparet: nam quanto magis luctatur fides, tanto magis robusta est. Secundo, consideret æger, Deum, eo ipso fine, fidei tentationem permittere, ut infirmus in fide humilietur magis, & resipiscat; luctetur adversus tentationem magis, & vires colligat ad resistendum tentationibus, partim orando ad Deum, partim argumenta ex Scriptura & experientia colligendo, ut in pugna validior evadat: quod fecerunt fideles illi, de quibus agitur, *Heb.* 11.34. Non debet igitur æger fatiscere in pugna, sed potius tanto animosius jus suum in Christo asserere, quanto violentius ab Adversario oppugnatur; & serio renovare suam resipiscentiam, ut objectiones adversus fidem suam facilius solvere possit, & per tentationem proficere in fide valeat. Tertio, distinguat æger inter fidem & persuasionem:

Nam etiamsi, ubi est solida persuasio seu πληροφορία, ibi etiam est fides: non tamen contra, ubi est fides, ibi semper ilico est persuasio. Persuasio enim excludit omnem dubitationem, quandiu locum obtinet: fides vero (propter ignorantiam Regeniti & infirmitatem adjunctam) fœdus gratiæ oblatum, & Christum in promissione Evangelii exhibitum, non sine formidine apprehendit sæpenumero; non sine tentatione ad dubitationem, An tam indigno peccatori fas sit tam excellens donum attingere. Quarto, distinguat æger inter dubitationem & luctam adversus dubitationem: dubitatio enim infirmitatem arguit; Sed lucta adversus dubitationem, virtutem & robur adesse probat. Dubitare de opere Dei in nobis post multiplicem fidei confirmationem, peccatum est; Sed luctari adversus tentationem ad dubitandum, virtus est, & opus Deo acceptum. Quinto, distinguat æger inter dubitationem Regeniti, seu hæsitationem de fidei suæ sinceritate & dubitationem infidelis: infidelis enim dubitat de Evangelii veritate, & eam non admittit, non applicat, non amat, sed pro stultitia habet: Regenitus vero, dubitans de fidei suæ sinceritate, non dubitat de veracitate Dei in promulgatione gratiæ in Evangelio oblatæ; non dubitat de officio suo, quin in sensu & agnitione peccati sui & miseriæ suæ ad Redemptorem Christum fugere debeat: sed dubitat tantum, an fides sua (quam in lucta infirmam perspicit) sincera fides sit, seu, an sincerè illam gratiam amplexus sit: interim, fidem sinceram reipsa exercet: nam metuit ne à Christo divellatur, metuit ne fides sua deficiat; vehementer amat Christum, & cupit vehementer cum eo communionem colere: & in hac sua ægritudine, tanto magis accenditur luctantis amor erga Christum, quanto ipsius fides oppugnatur magis. Unde perspicere licet ægrum nostrum non minus charum esse Christo Domino Deo nostro, quam filius familiæ ægrotus Patri suo, dum decumbit, curæ est, ut in vivis conservetur & convalescat. Sexto, distinguat æger inter tentationem ad dubitationem, violenter (instar teli igniti) in se conjectam, & tentationem receptam admissamque sine oppositione, vel lucta fidei se opponentis tentationi: Distinguat etiam inter tentationem temerè admissam ad breve tempus, & tentationem admissam & permanentem, seu dubitationem fixam: Nam robustissimi Athletæ senserunt sæpè impressionem tentationis vehementem, & aliquando temerè ad tempus breve tentationi (quasi victi) cesserunt; & statim se collegerunt, & prælium redintegrârunt, ut videmus in exemplo *Davidis*, qui statim, postquam tentationis vocem emisisset, temeritatis se condemnat, *Psal.* 116. 11. *Ego dixi in festinatione mea* (inquit *David*) *omnis homo est mendax.* Et *Psal.* 31. 22. *Ego dixi in trepidatione mea, excisus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen audivisti*

vocem

vocem deprecationum mearum. Sic *Jonas* temeritatem suam uno quasi continuato spiritu corrigit, *Jonæ* 2. 3,4. *Fluctus tui super me transibant, adeo ut ego dicerem, ejectus sum à conspectu oculorum tuorum; verumtamen pergam intueri in Templum sanctum tuum.* Consideret ergo æger, adeo longè abesse ab infidelitate & fidei labe, *luctam fidei* adversus hæc mala, ut nulla sinceræ & vivacis fidei demonstratio clarior dari possit, quam est ipsa illa *lucta*: eo enim ipso quod Regenitus (convictus peccati & indignitatis suæ) fœderi gratiæ adhæret, ad Christum oculos conjicit; promissiones Evangelii apprehendit, & pro jure suo disputat, fidem reipsa exercet. Imo vero dolor ille, quem ob defectum fidei observatum sentit æger, actus est fidei: qui enim dolet, quia fidem suam infirmari observat; næ ille non solum fidem habet, sed etiam ad fidei incrementum aspirat, & divinæ veritati, simul & gratiæ subscribere studet: hoc unum ægre ferens, quod non possit Deum in hoc glorificare sicut vellet. Idcirco corrigat æger (luctans adversus hanc tentationem) judicium suum de conditione sua, & faciat quod Apostolus suadet, *Jac.* 1. 2. *Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis, scientes explorationem fidei vestræ parere tolerantiam.*

CAP. XIX.

In quo tractatur Casus Conscientiæ existimantis judicium suum de aliis, secundum Charitatem, esse stultitiam.

PRæcepit Christus omnibus discipulis suis, ut alii alios diligant, & ut tanquam tesseram professionis suæ gestent *Charitatem* erga proximos, maximè vero erga fideles, per quam tesseram à mundo possint dignosci quod sint ejus discipuli, ut habetur *Joh.* 13. 35. *Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.* Nemo igitur de officio suo dubitat in genere: Sed, quia multi sunt hypocritæ, qui fidem Christi profitentur, Dubium est, quomodo exerceri debeat hoc officium. Multi enim malè collocatam putant suam charitatem, quam antea exercuerunt erga indignos, & hoc sibi imputant tanquam stultitiam: & jam putant se debere charitatem suam magis prudenter dispensare; eamq; non nisi secundum exploratam hominum dignitatem ad ullum extendere. Rationes autem opinionis & propensionis suæ prætendunt duas: prior est, quia se deceptos sæpenumero experti sunt ab iis, erga quos tanquam sanctos chari-

tatem exercebant maxime. Altera eſt, quia perſpiciunt eos qui omnium hominum ſanctiſſimi videntur, ex numero fidelium, ſeu diſcipulorum Chriſti, excludere omnes in quibus Regenerationis ſigna evidentia perſpici non poſſunt; Atque ita circulum charitatis ſuæ tam arctum exiguumque reddere, ut quam pauciſſimos complectatur. Et quia hanc opinionem obtinere perſpiciunt apud pleroſque qui in numero ſanctorum cenſeri debent: idcirco ſuſpicantur ſe ſtolidè feciſſe, charitatem ſuam nimium extendendo. His & ſimilibus rationibus permotus æger, paratus eſt in caſtra eorum tranſire, qui ſeparant ſeipſos à licita & laudabili ſocietate Chriſtianorum Eccleſiaſtica, in qua ſecundum Dei voluntatem poſſent vitam ſuam ſanctè & inculpatè degere, & in ſacris ſanctè cum aliis communicare.

Ut hic caſus facilius explicetur, diſtinguendi ſunt duo prætextus, quos æger nobis proponit pro rationibus judicii ſui corrupti: Ea enim, quæ pro ratione opinionis poſteriori ab ægro afferuntur, pertinent ad quæſtionem de conſtitutione viſibilis Eccleſiæ, Utrum ea fundetur in viſibili ſanctitate, ſeu, obſervabili Regeneratione? an vero in viſibili fœderatione membrorum, doctrinæ & diſciplinæ Chriſti mancipatorum? De qua quæſtione ſatis diſputatum eſt à viris eruditis. Ad noſtrum vero inſtitutum attinet tantum ea dicere quæ ab ægro removeant errorem & cauſam ſiniſtrè judicandi de liberaliori extenſione charitatis ſuæ, ſuamque hoc nomine conditionem ſtultitiæ inſimulandi, ut in viam redeat, & adverſus regulam charitatis non peccet.

Agnoſcimus quidem multos eſſe hypocritas, qui ſe pro ſanctis venditant; eoſque dignos eſſe odio qua tales. Neque miramur frigeſcere charitatem multorum, quando *vanitatem loquuntur quiſque ad proximum*, *Pſa.* 12. 2. Id enim prædixit Dominus noſter, *Mat.* 24. 12. *Et quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Sed non eſt probanda tamen charitatis diminutio propter hominum indignitatem, ſed per ſuſpiria & lamentationes & preces pro iis ad Deum, qui poterit errantes in viam reducere, charitatem noſtram erga eos probatam dare debemus: Hoc faciebat Pſaltes, *Pſal.* 119. 136. Similiter, in deploranda populi conditione ſe gerebant ſancti quibus Deus pepercit, *Ezech.* 9. 4.

Obj. 1. At idem Pſaltes (inquiet aliquis) odio habebat impios & apertè profanos, *Pſal.* 139. 22. *Reſp.* Verum eſt quidem: ſed odium illud non erat carnale & corruptum, quod fertur in hominum perſonas; ſed odium ſpirituale & defæcatum, quod tendit ad abolendum hominum vitia deteſtabilia, & ut perſonæ (ſi fieri poſſit) ſalvarentur. Quod ſi per Spiritum extraordinariè revelabatur Prophetæ aliquorum reprobatio, quorum perſonas

puni-

puniendas & perdendas in bonum Ecclesiæ & justitiæ divinæ manifestationem prædicebat, ex instinctu Spiritus speciali, Non est hoc trahendum in patrocinium carnalis & crudelis odii, quo turgent *illi*, qui nesciunt quo spiritu feruntur, nec possunt jure cordis Scrutatorem sinceritatis suæ testem advocare, sicut Psaltes eo loco fecit.

Obj. 2. At Judex sum, dices; An charitas impediret quo minus perdam improbum & maleficum, secundum Legem? *Resp.* Minime: nam amor Dei præcipientis ut capite plectatur homicida secundum Legem, & amor justitiæ, & charitas erga societatem hominum, & charitas erga maleficum quacunque mulcta mulctatum & quocunque supplicio secundum Legem affectum, consistere possunt. Nam quando *Joshua* animadvertebat in *Achanem* & igne combusturus erat eum, ex præcepto Dei; interea temporis studebat ipsum ad resipiscentiam ducere, ut salvaretur anima ejus in die Domini, *Josh.* 7. 19. Prophetarum viscera (*Isa.* 16. 11. *Jer.* 48. 36.) resonabant planctu, non tantum quando judicia Dei prædicebant ventura in populares suos; sed etiam quando prævidebant ea infligenda in Gentes inimicas. Et Dominus noster (qui est ipsissima charitas in se, charitatis & exemplar & author nobis) perditionem Hierosolymæ, ex sanctissimo affectu humano in homines miseros, deflevit, *Mat.* 23. 37.

Obj. 3. Sed specialis ratio habenda est fidelium in exercitio charitatis, ut præcipit Apostolus, *Gal.* 6. 10. *Resp.* Verum quidem est, Sed attendendum quid præmittat Apostolus, *Dum tempus est* (inquit) seu, *dum opportunitatem habemus, simus benefici erga omnes.* 2. Advertendum quos vocet fideles, nempe, omnes qui sunt membra visibilis Ecclesiæ, seu, in censu credentium: *maxime* (inquit) *erga domesticos* fidei. Apostolus Ecclesiam visibilem vocatorum ad fidem, & fœderatorum spondentium & profitentium subjectionem doctrinæ & disciplinæ Christi, vocat *Domum Dei & familiam fidei.*

Obj. 4. At sicut omnes ex *Israele*, non sunt *Israel*, *Rom.* 9. 6. Sic nec omnes sunt filii familias, qui sunt in Ecclesia. *Resp.* Quis te constituit judicem, vel ad decernendum, vel discernendum qui sint Electi, qui non? Quis te constituit judicem ad decernendum qui sint Regeniti, qui non? Licet quidem ex charitate judicare quod vocati sint electi: sed non licet de quoquam præsumere vel suspicari quod hic vel ille non sit electus. Licet ex charitate præsumere quod hic vel ille habeat in se effecta aliqua efficacis vocationis, maximè quando regnum peccati in mortali ejus corpore non manifestatur: sed non licet judicium vel discretivum vel determinativum de internis (quod ad alios attinet) assumere. Dedit enim Deus nobis Spiritum, ut sciamus illa quæ ipse gratificatus est nobisipsis: sed ut alios cognoscamus

camus non dedit: *Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo?* 1 *Cor.* 2. 10, 11. Nam de aliis nihil manifestavit Deus nisi quod ad charitatem exercendam facit. Judicium de internis ad solum Deum igitur deferamus, qui solus novit qui sunt sui, solus novit qui sunt Regeniti, solus novit secreta cordium, & solus discernit hypocritas à sinceris.

Obj. 5. Judicium charitatis non est cæcum: potest aliquis de eis quæ videt judicare; & scire debet id quod facit, ne faciat instar cæci. *Resp.* Charitatis erga proximum ratio, non est proximi meritum vel dignitas, sed ejus necessitas, & officium nobis à Deo imperatum. Si ergo videamus officium nostrum & proximi necessitatem, & bonum quod nos ei præstare possumus & debemus, non est judicium nostrum cæcum, sed videns & oculatum satis, ad præstandum officium quod charitas requirit, etiamsi ignoret proximi statum, conditionem, mores & meritum.

Obj. 6. At videre licet hominum profanitatem, malitiam, & atheismum: Dicit enim Psaltes (*Psal.* 36. 1.) quod opera impiorum dicant in corde suo, quod timor Domini non sit in illis. Et de pseudo-prophetis dicit Christus, *noscetis eos ex fructibus suis*, *Mat.* 7. 16. &c. *Resp.* Verum quidem est quod dicit Propheta per Spiritum Sanctum; & verum est quod dicit Christus. Sed quid hoc ad temerarium judicium de iis in quibus scandala & flagitia non visuntur, quos tu judicas impios & irregenitos, quia nulla in iis nosti signa Regenerationis? Et quid hoc ad charitatem denegandam aperte improbis, erga quos excercenda est charitas, quandiu erga eos excercet Deus longanimitatem & patientiam? Licet tibi cavere à contagione falsæ doctrinæ & morum pravorum: sed ne solvas vinculum imperatæ à Deo charitatis erga proximum.

Obj. 7. Sed vetat Deus ne societatem ineamus cum iis, qui nos solicitabunt ad peccandum, *Prov.* 1. 10, 11. *Resp.* Vetat quidem ne societatem ineamus cum iis, ad sequendum consilium ipsorum pravum; seu, ne communicemus cum ipsis in peccato: sed non vetat ne reprehendamus ipsorum consilium pravum; non prohibet ne charitatem nostram erga ipsos per sanctas admonitiones & reprehensiones demonstremus: Apostolus enim hoc ut faciamus præcipit, *Ephes.* 5. 11.

Obj. 8. At (*Prov.* 22. 24.) consilium Dei est ne amicitiam contrahamus cum iracundis: idemque intelligendum de aliis, â quibus periculum est, ne ipsorum injuriis lædamur, vel malis moribus inficiamur. *Resp.* Certum est prudentiam sanctam requiri ad cautionem ut ab aliorum peccatis & injuriis custodiamur: sed *cautio* hæc consistere potest cum charitate. 2. Aliud est ami-

amicitiam contrahere & intimam familiaritatem colere cum peccatoribus, quorum contagione infici possumus; Aliud vero civiliter & prudenter cum iis conversari, prout vocatio nostra & negotia secularia requirunt: nam nisi posterius licitum esset, discedendum esset è mundo, ut docet Apostolus, 1 *Cor.* 5. 10. 3. Idem præcipit Deus, *Heb.* 12. 14. *ut sequamur pacem cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Pax autem custodiri nequit, si officia charitatis erga proximum denegentur; nec quisquam ritè sequitur officia humanitatis, qui non ex charitate ea sequitur.

Obj.9. At licet hæc sit mens Dei in officiis communibus ad societatem civilem spectantibus: alia tamen ratio tenenda est in consortio cum iis, qui eandem fidem Christianam nobiscum profitentur, ut docet Apostolus, 1 *Cor.* 5. 11. *Si quis, cum frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut Idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi ne edatis quidem.* *Resp.* Præceptum hoc pertinet ad exercitium clavis disciplinæ, & ad executionem censuræ Ecclesiasticæ adversus eum, qui in judicio Ecclesiastico comperitur *esse in*, vel servire illis vitiis prædictis, ut excommunicetur, & excommunicatus, excludatur à mensa Dominica, & à familiari sanctorum consortio non necessario, ut sui pudefiat. Non committitur hujus censuræ judicium uniuscujusque privati hominis opinioni, vel cognitioni de fratre aliquo: sed requiritur ut præeunte judicio Ecclesiastico frater convictus & vitii reus declaretur vitiosus, ut talis à singulis membris postea habeatur, donec pudore confusus resipuerit. Et hunc esse sensum Apostoli patet ex ver. 12. *Nonne* (inquit) *de iis qui intus sunt vos judicatis?* Nihil hic adversus charitatem: siquidem idem Apostolus charitatem requirit etiam erga excommunicatum, 2 *Thes.* 3. 14, 15. *Neque ut inimicum eum ducite, sed admonete ut fratrem.*

Obj. 10. At sæpe falsus sum animi, & deceptus opinione mea de iis quos putabam sanctos, & erga quos charitatem exercebam *opere & facto.* *Resp.* Quicunque dat discipulo potum frigidæ aquæ, *in nomine discipuli*, non carebit mercede; quicquid Christi nomine factum est, Christus in rationes accepti refert, Non hîc falsus es; Sed, si tu (judicium de interno Statu hominis alicujus assumendo) sententiam tulisti, quam Deus ratam non habuit, tu teipsum fefellisti.

Obj. 11. Sed nisi charitatis judicium per discretionem limitandum esset, absurda multa sequerentur. 1. Post judicium verum & certum de facinore perpetrato, impediretur justitia in facinorosis plectendis: prætendi enim posset charitas erga capite plectendum, ut in vivis conservaretur, resipisceret, & salutem æternam consequeretur. 2. Judicium Legitimum,

ſecundum allegata & probata (licet fortè non ſecundum rei veritatem) pronunciatum, plerunque ſuſpenderetur, quia prætendi poſſet charitas erga judicatum, quod eſſet fortè non minus fide dignus, quam quivis qui teſtimonium adverſus eum tulerat. 3. Impediretur electio idoneorum Judicum, Conſiliariorum, Paſtorum & Gubernatorum : prætendi enim poſſet charitas erga eos qui in electione poſthabentur, quaſi aliquid ipſorum famæ exiſtimationique detractum eſſet. 4. Delectus non eſſet habendus ſervorum, familiarium & amicorum. 5. Privatorum judicium de proximi perperam dictis & factis ſuſpendendum eſſet, ſcilicet, quia, ex Lege charitatis, proximi famam lædere non debemus. 6. Sumptus faciendi eſſent in alendis otioſis, & fortè malè-merentibus de nobis. *Reſp.* Non imus inficias, quin in omni judicante requiratur diſcretio, niſi ſtultitiam ſuam prodere vellet, ut rem judicandam, & Legem, & perſonas, & circumſtantias quaſcunque judicium rectum poſtulat perſpicuè diſcernat. Rectum judicium omne, publicum & privatum, ſive intus in animo ſuppreſſum, ſive apertè prolatum, præſupponit diſcretionem. Nec impedit charitas judicia publica, certa vel legitima; non impedit electionem maximè idonearum perſonarum ad quodvis officium publicum vel privatum. Deus enim dedit Leges, ſecundum quas procedendum eſt in judicio publico, & dedit etiam libertatem ad eligendum media optima ad finem præſcriptum, & ad ſumptus majores vel minores (prout res poſtulat) faciendum. Charitas imperatum à Deo judicium nullum impedit: ſed affectus judicantis erga judicatum moderatur, & temperat, ne Judex ſit amarus Judex, ne corripiat ut hoſtis expetens vindictam, ſed ut Medicus offerens medicinam. Vetat charitas temerarium judicium, ne ſine autoritate nobis data judicemus Conſervos noſtros , qui Domino ſuo ſtant & cadunt : In ſpecie, ne de occultis & internis judicemus, e, g. quo animo, quo fine fecerit quis id quod legitimum eſt : nam judicium de internis & occultis cordis humani intentionibus Deus ſibiipſi aſſumpſit. Et licet tu per rimas introſpicere poſſis aliquando in hominum intentiones , & cogitationes; non licet tibi tamen ſententiam ferre de his : nam ille qui aſſumitur in ſuperioris judicium, non debet ab inferiori judicari : hominis enim de proximo ſuo judicium, eatenus licitum eſt, quatenus autoritate data divinitus exercetur. Vetat charitas ne quis per jactantiam juſtitiæ ſuæ, alios contemnat & deſpiciat ; ne ex ſuis ſuſpicionibus alios deſpiciat & condemnet; & ne ſub ſpecie pietatis, privatos & corruptos affectus ſuos proſequatur.

Ne ergo charitas in Dei Lege imperata violetur ab ægro, 1. Diſtinguat peccatum proximi à perſona, & vitium à natura, ut auferri poſſit proximi peccatum, & ipſe ſervari. 2. Judicet de proximo id quod Apoſtolus judicare

dicare jubet, (ne quovis modo eum lædamus, imo ne injustâ suspicione ipsum oneremus) *Rom.*14.13. *Ne amplius igitur alii alios judicemus: sed hoc potius judicate, ne proponatis fratri quidpiam ad quod impingat vel offendat.* 3. Meminerit quid requirat charitas, & quod adeo necessaria sit fidei professoribus, ut si illa destituatur aliquis, non sint ei profuturæ virtutes aliæ, sicut (1.*Cor.*13.) docet Apostolus. 4. Ne nimis metuat æger falli in charitate exercenda: nam non requirit Deus à nobis ex charitate judicantibus de proximo, ut cognitum habeamus eum intus & in cute: judicium charitatis æquum est, etiamsi secundum rei veritatem certum non sit: sic enim Apostolus judicium suum de Philippensibus interpretatur: Cap.1. profert persuasionem suam de ipsorum perseverantia ad finem, ex charitate judicans, vers.6. Hujus sui judicii regulam exponit, vers.7,8. *Sicut justum est* (inquit) *ut ego id sentiam de omnibus vobis, &c.* 5. Ne sit rigidior morum proximi sui censor: sed etiamsi videat in eo multas infirmitates, frænet tamen & cohibeat linguam suam ab alienarum infirmitatum exaggeratione; & ne arroget sibi magisterii in alios autoritatem, vel quemvis carpendi licentiam, *Jac.*3,1,2. *Ne sitis multi magistri, fratres mei, scientes fore ut gravius judicium auferamus: In multis enim labimur omnes.* 6. Ne proximum suum vel fratrem in professione fidei Christianæ alienet à se, injustâ suâ suspicione, vel morosâ conversatione, vel imprudenti de eo sermocinatione: sed contra ita se gerat erga proximum, ut semper pateat ostium sibi ad benefaciendum proximo; & proximo aditus pateat ad charitatis ab eo officia accipiendum: Nam charitatis judicium requirit ut officia Christiana ita exerceantur omnia, ut inter judicantem & judicatum charitas manifestetur & foveatur. 7. Ut via pateat ad charitatis officia præstanda, (quicquid sit ægri de fratre vel proximo suo tacitum judicium, quicquid ejus sit meritum) percurrat omnes locos relationum inter se & judicatum, ut ei auxilii alieni indigo, quantum patitur Dei Verbum, benefaciat. Faciamus judicatum esse peccatorem, respiciatur tamen ut *capax resipiscentiæ & beatitudinis*; faciamus eum malè meritum de ægro, imo & inimicum, consideretur tamen ut *homo*, ut *proximus*, erga quem exercere charitatem jussit Deus. Si quæ aliæ relationes arctiores intercedant, ad charitatem exercendam alliciant & alligent, vel stimulent & adigant.

CAP. XX.

In quo tractatur Casus Conscientiæ imprudenter lamentantis duritiem cordis.

TErtius ordo Casuum qui ad conditionem Regeniti spectant, est eorum in quibus conditio ex parte bona, & ex parte mala, judicatur à Conscientia Regeniti simpliciter mala. Hujus generis exempla perpauca sufficient ad reliqua exempla (quæ in hoc genere afferri possunt) explicanda. Aliqui Regeniti duritiem cordis esse opinantur, quandocunque non sentiunt in corde suo eos affectuum motus quos requirit objectorum variorum propositio & observatio: ut quando æger peccata sua actualia, & naturæ suæ observatam pravitatem non potest deflere, vel, non potest propter Dei beneficia data ad laudandum Deum cum affectu excitari, vel non potest ad conspectum judiciorum divinorum commoveri & tremere, vel non potest ad commiserandum aliena mala flecti, vel non potest cum dolentibus dolere, vel non potest cum gaudentibus gaudere, seu propter aliorum conditionem bonam lætari: & sic in cæterorum objectorum variorum propositione vel observatione, non potest pro natura objecti & officii sui ratione sanctè affici, prout Dei verbum & debita cordis teneritas ab ipso exigere videntur. Hanc quam putat duritiem æger, non tantum ægrè fert, sed etiam, eam conditionem suam, judicat simpliciter esse malam: adversus quam duritiem postquam luctatus est aliquantisper, nec sibi proficere visus est, segnescit in mediorum usu, tristatur tristitia non secundùm Deum, animum despondet: & non tantum sibiipsi displicet, sed etiam ingrata est ei tota erga ipsum dispensatio & providentia Dei: Atque ita conditionem suam non tantum non corrigit, sed etiam multo deteriorem & simpliciter malam reddit.

2. Complicatio hîc est plurium morborum & fallaciarum, ægri animum decipientium: de quibus sigillatim nonnihil nobis est dicendum. Primo igitur non est ea quam lamentatur æger propriè dicta cordis durities: siquidem in Scriptura, nulla durities cordis taxatur in lugentibus, qui suos defectus & vitia sua deflent, Sed hæc sola est durities cordis, quam taxat Deus in peccatoribus, quando scilicet homines audientes ex Dei Verbo peccata sua condemnari, vel non agnoscunt esse peccata, sed ea defendunt; vel, si ea non defendunt apertè, pergunt tamen in peccatis illis & sibiipsis in viis suis placent, m[illegible] corda sua adversus præcepta Dei, & adversus reprehensiones & commi[illegible]ones obfirmant, & Dei approbationem aut reprehensionem, benevolen-

tiam

tiam vel iram susque deque habent. Interim non hîc imus inficias quin defectus illi, quos observat æger, sint in se culpabiles: nec negamus in illis defectibus manifestari nativam cordis inclinationem ad duritiem illam, quæ authoritatis, bonitatis, & justitiæ divinæ contemptrix est. Sed tantum negamus hanc cordis dispositionem, (propter quam imprudenter angitur æger) duritiem illam esse, quam Scriptura *duritiem cordis* nominat. Secundo, nimia hîc est commotionis affectuum affectatio; nimia affectuum excitatorum æstimatio, quasi in illis aliquid esset pretii aut meriti. Et hic etiam deprehenditur mensuræ affectus sancti imprudens quædam determinatio; Et, si res accuratius examinetur, *Spiritus sancti limitatio*: quid enim aliud est quam Spiritum Sanctum limitare, quando æger despondet animum, & manus remittit in Dei opere, nisi ea mensura affectuum sanctorum, quam æger præscribit sibiipsi à Deo concedatur? Tertio, concurrit cum superioribus morbis mensuræ datæ vel neglectus, seu non observatio, vel cum ingratitudine juncta observatio: non enim omnino destituitur affectu sancto, qui se sanctè affici cupit, & non minus sanctè afficitur cor Regeniti, quando dolet defectum letitiæ vel tristitiæ suæ, quam quando tristatur & lætatur secundùm animi sui votum: & non minus in propinquo est nostrum periculum errandi, quando vel in lætitiæ vel tristitiæ nostræ mensura nobis placemus, quam quando ob defectum mensuræ nobis displicemus: id quod monet Spiritus Sanctus (*Psal.* 2. 11.) jubens ut in tremore lætemur, & ut tremamus in lætitia. Accedit alia consideratio, nempe, quod dolor de defectu lætitiæ in Deo arguat propensam voluntatem, & vehemens desiderium lætandi in Deo: & quod dolor de defectu tristitiæ ob peccatum, non tantum arguat voluntatem à peccato alienam, simul & resipiscentiæ habitualis manifestationem aliquam in exercitio; sed etiam quod hic dolor reipsa sit tristitia ob peccatum bis se manifestans: dolet enim æger, primo, quia peccatum quod ipse aversatur, adest: rursum dolet, quia odium adversus peccatum, & tristitia propter peccatum abest, vel, quia odii tristitiæque desiderata mensura non adest. Hæc ergo omnia perpendenda sunt ab ægro, & conditio ipsius ad æquitatis leges examinanda est, ut cum fructu morbus hic corrigatur, & ipse in fide & resipiscentia ædificetur & corroboretur: quem in finem distinguere oportet defectum sanctorum affectuum ab observatione defectus, & à dolore ob defectum observatum: defectus enim est culpabilis; & observatio & condemnatio defectus, & dolor ob defectum, sunt laudabiles effectus operationis Spiritus Sancti in Regenito. Deinde conditio quatenus mala, & jam ab ægro observata, in usum optimum trahenda est, nempe, ut humilietur propter cordis sui nativam pravitatem, vel pravam inclinationem,

ut ad Christi justitiam imputatam, qua nuditas hæc tegatur, serio confugiat; ut oret Christum, seu Deum per & propter Christum, ut cordis sui languores curet; ut in precationibus suis per fidem sugat virtutem Spiritus Sancti à Christo, ad mortificationem carnis, & vivificationem Spiritus efficacem magis. Denique, ubi æger defectum affectus sui observavit, studeat effectum illius affectus desiderati in opere producere, h. e. quanto magis observat defectum studii & affectuum ad serviendum Deo, & quanto magis observat defectum odii adversus peccatum, studeat abundare tanto magis in opere Domini, & peccatum magis magisque fugere: atque ita id quod deesse videtur in affectu, comperietur adesse in effectu, idque ad majorem laudem Dei & proximorum ædificationem.

CAP. XXI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ condemnantis actus suos in religioso cultu propter mentis suæ vanitatem in iis actibus observatam.

EXtra controversiam est apud omnes Regenitos, quod colendus sit Deus in spiritu & veritate; & quod quo quisq; est sinceritatis studiosior, tanto cogitationum suarum, & animi sui motuum est, observantior, & peccatorum in spiritu suo impatientior. Quando igitur nonnulli Regeniti animi sui & cogitationum suarum levitatem vident esse tantam, ut animus in mediis concionibus audiendis otiosè divertat ad res profanas, & in meditatione religiosa cogitet de rebus quæ nihil pertinent ad præsens opus; & aliquando quasi sermones & colloquia secum habeat de quovis objecto, quod vel oculis externis, vel phantasiâ solâ observatur; potissimum autem, quando vagabundum animum suum in precatione vel psalmodia perspiciunt, cultum illum tanquam omnino pollutum rejiciunt, tantoque magis eum condemnant, quanto sæpius, in eadem oratione aut eodem Religionis exercitio, malum hoc recurrere & prævalere observant. Unde fit ut non tantum tristentur inordinatè, cessentque à gratiarum actione pro ea parte cultus quæ rectius processit; sed etiam apud se disputent, sitne satius ab illis exercitiis vel prorsus abstinere, vel ab inchoatis desistere, saltem quando soli sunt in secreto, (ubi sine aliorum scandalo id fieri posse putant,) quam Deo sacrificium stultorum offerre, & se ut hypocritas gerere apud Deum, in vanitate mentis suæ ambulantes, uti judicant se facere, quoties hanc cogitationum

suarum

ſuarum aberrationem ab officio ſuo experiuntur. Et hic quidem periculum leve non eſt, ne æger, pugnando adverſus morbum hunc non legitime, (h. e. vel murmurando, vel animum deſpondendo, vel tentationi cedendo, & ab exercitiis Religionis in ſecreto ſaltem abſtinendo) peccatum ſuum, & malum quod dolet augeat, iramque Dei adverſus ſeipſum excitet & in ſe attrahat.

2. Ut morbo huic remedium paretur: primo, phantaſiæ natura ſpectanda eſt, & mentis curſus naturalis in cogitando obſervandus eſt, ne omnes animi aut phantaſiæ actus in precatione, præter ipſum actum precandi, peccati ſtatim condemnemus. Phantaſiæ officium eſt, intellectui tanquam in ſpeculo viſenda proponere, quæcunque à ſenſibus exterioribus vel à communi ſenſu, vel à memoria, vel quovis alio modo offeruntur. Mentis autem ſeu intellectus officium eſt, omnia ſibi propoſita dignoſcere: ſicut officium eſt viſus & oculi, omnium objectorum viſibilium ſpecies recipere. Non eſt ergo peccatum in precante viſibilia videre, ſonos audire, aliorumque ſenſuum objecta inter precandum aliunde oblata percipere, & intelligenter diſcernere, etiamſi ad precationem nihil pertineant: poteſt enim animus pro ſua agilitate naturali, ſine digreſſione aut precationis interruptione, non minus propoſitum ſuum proſequi, quam curſor ſtadium percurrens inter currendum omnia ſibi obvia diſcernere poteſt, & interim in curſu ſuo pergere. Neque ſemper eſt peccatum inter precandum (potiſſimum in ſecreto) digredi ad meditationem de aliqua promiſſione aut ſententia Verbi divini, aut de opere aliquo Dei, vel facto aliquo, ſuo vel alieno: ſiquidem ad precationem promovendam poterint ſæpenumero iſtiuſmodi digreſſiones fieri, ſicut in Pſalmis frequenter factum eſſe à Sanctis videre licet. Sed tum demum eſt peccatum, quando mens, oblita officii ſui in cultu divino, otioſè divertit in cogitationem de rebus minimè ad rem præſentem pertinentibus: & interim, dum precantis geſtum in corpore oſtentat, intus minime precatur, ſed alias res agit.

3. Diſtinguendum ergo inter mentis aberrationem à cultu, & objectorum variorum (prout offeruntur) obſervationem & diſcretionem. Secundo, diſtinguendum eſt inter ſuggeſtiones quæ à Sathana precanti objici poſſunt, & mentis vagationes: in ſuggeſtionibus enim patimur ſæpe abſque peccato noſtro, ſed in vagatione agimus perperam & peccamus. In ſuggeſtionibus habent Spiritus impuri modum ſuum quo voluntatem ſuam communicant animabus noſtris. Et facile Sathan non tantum menti noſtræ cogitationum materiam ſuggerere per Dei permiſſionem, ſed etiam tentationes proſequi poteſt, & ignita tela alia poſt alia ad impediendum fidem noſtram conjicere,

quibus

quibus ad discurrendum & disputandum cogi poterimus, ut patet *Ephes.6.16.* Hic apparet malitia Sathanæ semper: non vero semper sequitur peccatum nostrum. Correctio hîc esse potest ob præcedentia peccata nostra: verum hæc pœna non semper & necessario est peccatum nostrum, sed afflictio & castigatio. Hîc ergo distinctio observanda est, ne confundamus quæ distingui debent, ne peccatum Diaboli agnoscamus nostrum esse peccatum, & ne confundentes distinguenda animumque despondentes, magis decipiamur, & gravius peccemus. Tertio, distinguat æger inter vagationem mentis in cultu divino, & vanitatem mentis: nam vagatio fieri potest ex infirmitate culpabili quidem, & non tamen esse plenè voluntaria: vanitas autem mentis est, quando dedita opera laxat aliquis habenas menti suæ ut excurrat otiosè & digrediatur curiosè ad quærendum objectum magis delectabile quam est præsens Religionis exercitium: tantum autem interest hicne an ille sit Casus Regeniti, quantum interest peccetne aliquis ex inobservantia & infirmitate, an vero peccet pleniori voluntate. Quarto, distinguat æger inter vanitatem mentis actualem & ambulationem in vanitate mentis, cujus se reum perinde arguere solet: ambulare enim in vanitate mentis, est studere rebus vanis; operam dare peccato cuivis, quod vana mens offert, vel suadet, & vanitatem mentis pro regula vitæ sequi, & hoc vitium irregenitis est proprium, *Ephes.* 4.17,18. Neque potest Regenitus in hoc peccato progredi: habet enim in se semen Dei, & non potest sic peccare. Denique, distinguat æger simplex exercitium fidei á Deo immissum, ab exercitio fidei cum speciali ferula & plaga conjuncto: fieri enim potest, ut in ejusmodi graviori exercitio aliquo, ira paterna observari poterit, scilicet, quando æger reus est neglecti officii erga Deum, & in ordinaria conversatione Deum non agnovit. In hoc enim Casu æquum est ut Deus se subducat à precante, aut concionem sacram audiente: quia in ordinaria conversatione æger subduxit se à Deo, & in Dei conspectu non ambulavit; sed sivit mentem suam cum oculis stultorum per orbem terrarum vagari; quia non sustulit animum ad Deum in mediis negotiis, ut eum de recto & æquo consuleret, nec operam dedit ut communionem cum Deo in rebus secularibus coleret.

4. His considerationibus præmissis, ubi æger vitam, seu vivendi rationem examinavit, & peccata quæ malum hoc attrahere potuerant, observavit, ubi vim peccati inhabitantis, & potentiam Satanæ tentantis, & ferulam Dei castigantis, & culpabilem suam infirmitatem perspexit: primo, humiliet se sincerè coram Deo in suæ infirmitatis, & nativæ corruptionis, & peccatorum actualium inde profluentium agnitione, & confugiat ad gratiam Dei oblatam in Christo, ut arctius apprehendat Christi justitiam imputatam.

Deinde,

Deinde, ut ſentiat Spiritus Sancti promiſſam operationem in corde ſuo roget, Deum urgeat, & in mediorum uſu expectet benedictionem. Tertio, verſetur cor ipſius in timore Dei toto die, & ſubinde attollat animum ad Deum in mediis occupationibus; paciſcens, ſicut cum oculis ſuis, ſic etiam cum mente ſua, ne reſpiciat vanitatem. Quarto, ante precationem aut concionis auditionem, aut aliud aliquod Religionis exercitium, colligat cogitationes ſuas ad colendum Deum, & præparet ſeu ſanctificet ſe ad opus Dei, ne ſacrum Dei cultum temeret, nomenque Dei in vanum ſumat. Quinto, inter precationem aut verbi auditionem, caveat ne diſputet cum Satanæ tentationibus: ſed eas pro tempore quantum poteſt deſpiciat & rejiciat, operi Dei intentus & in eo pergens, ſicut ſolent viatores, qui canes allatrantes abigunt & in itinere pergunt. Denique, conſoletur ſe æger noſter: quia ipſi Deus dedit peccatum ſuum obſervare & condemnare, dolere, confiteri, odio habere & fugere, quantum pro infirmitate ſua poteſt. Conſoletur ſe etiam, quia Deus, pro clementia & miſericordia ſua erga ſervos ſuos, disjectas & laceras precationis noſtræ partes colligit, & Spiritu ſuo infirmitates noſtras ſublevat, & ſuſpiria noſtra confuſa & inenarrabilia interpretatur, ſenſumque ſpiritus ſecundum Dei voluntatem precantis, à peccatis noſtris ſecernit. Ad hæc, meminerimus in hoc Caſu ſummum Sacerdotem noſtrum pro nobis intercedere, & iniquitatem actionum noſtrarum portare, & in fronte ſua pro nobis geſtare apud Patrem *ſanctitatem Deo.*

CAP. XXII.

In quo tractatur Caſus Conſcientiæ Regeniti officio ſuo non rectè fungentis in ſenſu impotentiæ ſuæ ad bonum aliquod agendum.

PLerunque Regeniti quando volunt quod bonum eſt facere, & vires ad agendum intendunt maximè, præſtare quod volunt minime valent: e. g. quando diem dominicum integrum ſanctificare ſtatuerunt, aut ad orandum, laudandum Deum, aut ad meditandum de ſacris, tempus aliquod deſtinarunt, operamque dant ut propoſitum proſequantur, eam eſſe Legis divinæ ſpiritualitatem, & ſuam ipſorum carnalem impotentiam ad obediendum Legi perſpiciunt tantam, ut in ſenſu impotentiæ ſuæ quoddam quaſi animi deliquium patiantur & animum penè deſpondeant. Unde fit ut vel de ſtudio & diligentia remittant, vel de ſucceſſu conatus ſui, & operis acceptatione deſperent; vel, ſaltem dies dominicos horaſque ad cultum deſtinatas ſine conſolatione ducant.

Hujus mali causa est, quod ex naturæ corruptæ impetu unusquisque vult suiipsius esse salvator; & per opera sua servari; vires in se habere, non in thesauro Christi, sed in manu sua; & auxilium precibus ex cœlo accersendum longe abesse putat: cum tamen propinquius sit, & ad manum propius illud quod à Deo petitur, quam illud quod à nobis possidetur. Bonum est quod Conscientia ægri in hoc Casu Legem Dei glorificat, & sanctitatem ejus agnoscit, quod ægrum nostrum ad obedientiam Legis dirigit; quod impotentiam ipsius manifestat, eamque pro excusatione peccati non affert; sed potius ad exaggerandum peccatum adhibet; quod morbus hic ægro displicet & dolorem creat, hactenus recte & secundum Legem Dei omnia; sed quod ex Evangelio, usum hujus morbi Conscientia non ostendit, vel ægrum ad Christum non ducit & impellit, sed sinit eum ex morbo decumbere & jacere, & de vigilia studioque remittere, animum despondere, perperam facit: debet enim in hoc Casu æger primum humiliari, vires suas ad benè agendum abnegare, fiduciæ carnali in operibus suis renunciare, ad Christi justitiam imputatam confugere, eamque laudibus ad cœlum tollere; consolationem ex hac justitia Christi capere, & in ea gloriari. Deinde, debet à Christo precibus contendere, ut cum justitia imputata virtutem suam communicet etiam ad sanctificationem; & precibus flagitare, ut ampliorem mensuram Spiritus seu virtutis à Spiritu donet, ut fortius postea se in prælio adversus peccatum gerat. Tertio, recolligat æger animos, & officium suum aggrediatur cum fiducia in nomine Christi, gratias agens quod sibi sub vexillo ipsius militare liceat. Denique, post opus bonum quali quali modo confectum, lavet æger pollutiones omnes suas in fonte qui aperitur in domo *Davidis*; consoletur se adversus metum condemnationis; numeret se inter eos qui ambulant secundum Spiritum & non secundum carnem; & pergat in via obedientiæ, contendens ad Dominum nostrum pervenire, qui fidelibus servis suis factus est non tantum *justitia* & *sanctificatio*, sed etiam ab omnibus malis *redemptio*. Hoc enim consilium dat *Paulus* in exemplo suo & præcepto, ut habemus capitibus 7. & 8. ad *Romanos*.

CAP. XXIII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ imprudenter se gerentis in sensu ingratitudinis suæ erga Deum.

REgeniti nonnulli aliquando perperam judicant de ingratitudine sua, post acceptum aliquod beneficium notabile, scilicet, quando post do-

num aliquod eximium, pro quo ardenter Deum oraverant & exoraverant, & pro quo se ad gratiarum actionem ante acceptum beneficium speciali voto obligaverant, promissam & expectatam hilaritatem & alacritatem in Deo laudando in se desiderant, & impares se sentiunt gratiarum actioni: & hic solent non tantum tristari, sed & indignari etiam, & ad querelas morosè se convertere: tantumque absunt à voti persolutione, ut contra novo se reatu imprudentes implicent. Irascendi autem sibi & indignationis adversus cor suum justas se habere causas existimant: vel quia lætitiam, post acceptum beneficium, longe imparem sentiunt desiderio quo ferebantur ad obtinendum beneficium; vel, quia cum lætitiæ suæ defectu, æstimationem beneficii multo esse minorem putant, quam ante beneficii concessionem fuerat; vel, quia si maneat fortè æstimatio beneficii, & fortè etiam augeatur, suam tamen gratiarum actionem longe infra beneficii magnitudinem subsistere & minime tanto bono respondere perspiciunt; vel, quia, post aliquot dies elapsos à beneficio dato, lætitiam & laudationem Dei in seipsis deferbuisse observant. Hinc suspicio oritur, quod ingratitudine sua Deum ad iram provocarint; & quod beneficium non sit ipsis datum ex misericordia, sed ex ira: hinc inquietudo & querelæ, & lamentationes, & ingratitudo maxima.

2. Multi in hoc morbo errores concurrunt: Primus est, quod æger in promissione gratitudinis sibiipsi nimium confisus sit, opinatus fieri non potuisse ut cor suum (tantopere affectum desiderio beneficii obtinendi) non liquesceret in gratiarum actione post beneficium concessum: & hæc carnalis ægri confidentia in seipso apparet ex ira & indignatione adversus se propter ingratitudinem suam, quasi à Deo solo beneficium petendum fuisset: à seipso verò non gratiarum actionem tantum, sed etiam gratiam gratitudinis expectasset. Nam si considerasset æger gratiarum actionem ita esse officium hominis, ut non possit præstari tamen ab ullo homine nisi gratia à Deo ad offerendum gratias suppeditata fuerit, distinxisset inter actionem & virtutem ad agendum; distinxisset inter officium suum, & Dei donationem, qua posset officium suum præstare; distinxisset inter beneficium primum quod à Deo precibus obtinuit & beneficium secundum, gratitudinis, nempe, quod à Deo non petiit, sed quasi à seipso præstandum expectavit: quæ si distinxisset, non tam iratus & indignatus fuisset, quam humiliatus (ob suam impotentiam) sapientem Dei dispensationem in distinctione donorum agnovisset.

3. Secundus error est, quod æger iniquam comparationem instituat inter desiderium beneficii obtinendi, & lætitiam ob beneficium acceptum: nam desiderium beneficii obtinendi, plerunque plurimum in se habet appetitus

naturalis: lætitia autem quam Regenitus à se expectat spiritualis est. Nos autem, ad ea quæ naturæ commoditatem spectant, multo magis proni sumus quam ad spiritualia officia: imo vero in beneficiis appetendis multam jucunditatem pollicetur nobis Phantasia nostra, quam tamen in beneficii accepti possessione, vel minime vel saltem in multo minori gradu invenimus: adeo ut non sit mirandum, lætitiam post acceptum beneficium imparem esse desiderio beneficii obtinendi. Quod ut in beneficiis corporeis, quæ ad præsentem vitam spectant, facile perspicitur, Sic etiam in beneficiis spiritualibus & ad vitam futuram spectantibus, aliqua ex parte perspici potest: nam & in spiritualibus beneficiis petendis multa imaginamur & præconcipimus sequutura, si voti compotes futuri simus, quæ vel beneficii spiritualis ambitu non continentur, vel in mensura & modo donationis divinæ non inveniuntur. Adde quod nostri perfectio magis quam Dei gloria à corde nostro sæpe intendatur in beneficiis spiritualibus petendis: unde fit, ut nec lætitia tanta percipiatur in beneficii acceptione, nec tanta alacritas in gratiarum actione, quanta in beneficii petitione à nobis expectabatur, quia desiderium beneficii obtinendi magna ex parte fuit naturale.

4. Tertius error est, quod æger commensurari debere putet lætitiam ob beneficium datum,& æstimationem beneficii dati: quasi æstimationis & lætitiæ semper eadem sit ratio & mensura; vel, quasi in lætitiæ defectu semper etiam deficiat æstimatio, cum longe alia sit ratio lætitiæ & æstimationis. Æstimatio enim est actus judicii præstantiam beneficii secundum regulam verbi divini determinantis: lætitia vero est affectus cordis commoti ob beneficii dati perceptam suavitatem. Potest autem suavitas beneficii dati nunc minor nunc major esse,æstimatione manente eadem & immutata: æstimatio enim est secundū regulā rectæ rationis,aut saltem esse debet: lætitia vero est in genere affectuum ad normam rationis difficulter compositorū, qui tempore exiguo alternantibus vicibus excitari vel sedari, augeri vel minui possunt.

5 Quartus error est, quod iniquam comparationem instituat æger inter lætitiam & lætitiæ causam: quasi illa, vel nulla sit lætitia, vel cum ingratitudine conjuncta, quæ non respondet dignitati causæ meritoriæ excitantis lætitiam. Nam si lætitia ad hanc regulam examinanda esset,spiritualis lætitia sanctorum nulla esset in hoc mundo, vel nulla quæ ab ingratitudine absolvi posset: siquidem nulla mensura lætitiæ in hac vita est possibilis, quæ rerum spiritualium dignitatem æquet.

6. Quintus error est, quod æger ingrati animi indicium esse putet, si post aliquot dies refrigescat fervor exultationis in Domino, aut, si refrigescat ardor exprimendi lætitiam in Deo per signa externa: quæ opinio si vera esset,

esset, locus nullus relinquendus esset affectui ulli alii quam lætitiæ post acceptum beneficium; nullus locus esset tristitiæ propter peccatum, vel propter calamitatem sive publicam sive privatam. Certum tamen est, etiamsi faciamus nullam proprie lætitiæ causam intervenire, Deum non requirere à nobis, ut, alicujus beneficii præstatio, alius officii executionem impediat: Qui enim dixit *lætamini cum lætantibus*, dixit etiam, *lugete cum lugentibus*. Et certum est, aliquas lætitiæ expressiones, necessarias vel convenientes esse in recenti beneficio, quas non pateretur recta ratio continuari: audimus enim (*Act.* 3.8.) claudum à *Petro* sanatum, magno cum decoro saltasse & exclamasse: quod in reliqua vita, vel quotiescunque dati beneficii mentio fieret aut memoria renovaretur, factitasse eum nemo putat: nec quisquam sanæ mentis ab eo ut semper saltasset exegisset.

7. His ergo erroribus rejectis, consultum est ægro, ut in sensu ingratitudinis observatæ humilietur, æstimationem dati beneficii constanter foveat, aliasque Dei laudes prout potest celebret, & memoriam dati beneficii in corde suo altè infigat, ut (pro data occasione) beneficium novissimè acceptum veniat in censum, & rationes aliorum beneficorum, obligationemque ad divinas laudes prædicandum augeat. Et quando sibiipsi satisfacere non potest in gratiarum actione, tum, primo, confiteatur Deo donum acceptum, & illud inter alia beneficia sincerè numeret & recenseat: Nam confiteri Deo, quod acceperis donum à Deo, est Deum laudare, secundum Dei æstimationem: eodem enim verbo uterque actus *laudandi* & *confitendi* exprimuntur in Scriptura. Confiteatur igitur æger beneficium, & dicat cum Psalte *quid retribuam Domino?* Secundo, agnoscat aliquam gratitudinis mensuram novum esse beneficium, & se non posse beneficium datum ullum agnoscere, nisi de novo à Deo donetur, & dona data observare & prædicare. Tertio, respiciat ad Christum, per & propter quem, sacrificia laudis, & vituli labiorum purgantur & acceptantur. Et denique, consoletur se quod in vita futura laudibus Dei celebrandis totus vacaturus sit in æternum.

CAP. XXIV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ indignantis suam impotentiam in ferendis doloribus, damnis, & injuriis levioribus.

SOlent Regeniti plerunque in gravioribus afflictionibus humiliare se coram Deo, & petere ab ipso patientiam ad recte se gerendum sub ejus ferula. In quo Casu sustentantur, & patienter se gerunt. In minoribus vero

malis, (e. g. in doloribus corporis, vel in jactura rei familiaris leviori, vel injuriis levioribus ab aliquo illatis) tumultuantur, fremunt, impotentius se gerunt, & impatientiam apertè produnt: quam suam infirmitatem & naturæ corruptionem postquam observârunt, tantum abest ut humilientur, & ad rectam viam redeant, ut contra tanto magis indignentur, fremant, & se vexent: vident enim rem admodum levem esse, & tantâ commotione indignam; agnoscunt rectam rationem ab iis exigere majorem animi constantiam; pudet eos infirmitatis suæ, quod victi succubuerint malo leviusculo: cui ferendo *Pagani* comperti sunt paratiores & robustiores. Hoc peccatum suum in se condemnant quidem: interim tamen non se expediunt ex hoc malo; sed cicatricem vulneri inducunt, & sine fructu exercitium hoc abire sinunt: nullum aliud remedium malo huic quærentes, præter considerationis amplioris ea de re in aliud tempus rejectionem & oblivionem. Hæc conditio ex parte bona est, 1. Quatenus æger observat quid requiratur à se ex officio suo. 2. Quatenus observat suum peccatum, & illud condemnat. 3. Quatenus dolet peccatum suum & officii neglectum. Peccat autem, 1. Quatenus observatio officii,& peccati sensus non humiliat ægrum. 2.Quatenus in sensu infirmitatis non abnegat seipsum, sed indignatur tantum sine fructu.

Causæ hujus morbi sunt tres: Prima, est,neglectus officii erga Deum: à quo in maximis minimisque pendere debemus. Secunda, est, ægri carnalis confidentia in viribus suis, quas in conflictu minores esse experitur, quam sperabat comperiendas, & propterea (quasi spe frustratus) indignatur. Tertia, est, sapientia & justitia Dei, qui nativam cordis superbiam in filiis suis hoc experimento frangere,domare, & corrigere statuit. Nam in gravioribus malis facilius moventur homines ad preces, ut à Deo obtineant vel mali aversionem, vel robur & patientiam ad sustinendum. In levioribus autem minus sunt soliciti de divina ope, vel quia malum contemnunt quasi leviusculum; vel, quia non metuunt ne ab illo vincantur. Nemo enim nostrum ita se abnegavit, quin reliqua sit aliqua carnalis fiducia in viribus nostris: nam etiamsi centies demonstratum sit, nos absque Dei auxilio nihil posse facere, non tamen satis agnoscitur à nobis infirmitas nostra, sed semper putamus aliquos esse in nobis vires ad minora mala ferendum: quod autem nimium nobis fidamus, testis est securitas nostra ante lapsum, & indignatio nostra post lapsum, cum vigilare oportuisset in minimis periculis, & humiliari ubi lapsi sumus. Et hic quidem consulit Deus, & gloriæ suæ, & nostræ utilitati: nam sicut non sinit suos impunè vigilias & precationem negligere,vel exercitium fidei intermittere; Sic

nec finit suos fiducia virium suarum turgere, sed experimentis frequentioribus vult nos discere quod impares sumus ad cogitandum ullum bonum, nedum ad impetum minutissimæ tentationis sustinendum.

Ut ergo huic malo remedium inveniatur: discernat æger inter agnitionem impotentiæ, seu infirmitatis suæ, & inordinatam passionem, seu impatientiam: hæc enim mala est, illa vero bona est & laudabilis. Sicut etiam observatio lapsus sui, & displicentia ob peccatum suum, indicia sunt odii adversus peccatum: indignatio vero illa carnalis qua commovetur æger, quod *ipse* non potuerit tantillum onus ferre, vel, quod *ipse* non potuerit tentationi leviusculæ resistere, superbiam sapit: nam hoc perspicuum facit quod à *seipso* pependerit in conflictu cum malo; & quod à *seipso* expectaverit vigilantiam & vires ad malum superandum: quas, quia non comperit, irascitur & non humiliatur. Officii quidem sui pars erat, patienter ferre molestiam, vel injuriam, vel damnum: sed vires ad præstandum officium aliundè petendæ erant. Psaltes enim non credebat sibi, ne in minimo quidem, quando orabat Deum, ut custodiret januam oris sui, *Psal.* 141. 3. Quapropter discat æger suam infirmitatem in maximis & minimis solidè magis agnoscere, sibiipsi prorsus diffidere; in Christum se conjicere, eiq; se totum committere; & pro mensura doni dati vigilare, & orare ne in tentationem inducatur; discat tentationes incursantes observare; ad Christum in tentatione confugere: & quando labitur pes ipsius, discat humiliari in conspectu Dei, & mansuetè se gerere coram eo, ut compositis affectibus proficiat in humilitate, in sui abnegatione, patientiâ & fide: alioqui enim sæpius castigabitur & non erudietur, & in eandem paludem subinde relabetur.

CAP. XXV.

In quo tractatur Casus Conscientiæ injuste negantis in se esse animi submissionem ullam, ubi in malis gravioribus carnis impatientiam observat.

ALiquando Regeniti injustè damnant se Rebellionis adversus Deum, quia sibi videntur expertes submissionis in castigationibus spiritualibus vel corporeis. Causæ autem hujus injusti judicii sunt quinque. 1. Quia carnis suæ murmurationes, & fremitus adversus Dei dispensationem, non possunt satis odisse & aversari. 2. Quia seipsos non possunt Deo submittere, & sub potenti ejus manu humiliare. Unde probare nituntur corruptionis in se nativæ *dominium*, vel, saltem carnis victoriam de nova in se crea-

tura

tura. 3. Quia postquam se submittere conati sunt, quietem in se non sentiunt, quam putabant statim sequuturam fuisse, si Deo se submisissent. Et hic tantum abest, ut, in hac conditione constituti, tumultuationes in anima sua componant, vel fluctus æstuantes compescant, ut contra, inundationem augeant, seipsos magis magisque vexent, & Deo displiceant. 4. Observat Satan opportunitatem sibi oblatam, & tentationes falsasque suggestiones de Dei dispensatione, & ægri conditione mala, ita auget & multiplicat, ut superiores rationes confirmari videantur, & dubitationes de Dei erga ipsos voluntate radices agere incipiant. 5. Ex his fumis oritur nubecula aliqua lucem obscurans, consolationesque fidei impediens; & aliquando justa desertio Dei, seu, absconsio faciei ejus ab ægro.

Ut hoc malum curetur, discutiendæ sunt tenebræ mentis. Quod ut fiat. 1. Distinguendæ sunt in hoc exercitio partes Carnis, partes Novæ creaturæ, partes Dei, & partes Diaboli. Quod ad partes Carnis attinet: Caro seu vetus homo vires suas ostendit, & pugnat adversus novum hominem; spiritui non cedit, sed pugnat adversus eum, *Gal.* 5.7. Deo se non submittit, nec submittere potest, *Rom.* 8.7. Sed pergit tumultuare, fremere, murmurare, indignari, & insanire adversus Deum: & idcirco non expectanda est à Carne submissio, sed rebellio tantum: nam Caro, seu corrupta naturæ pravitas non est regeneranda, sed mortificanda, crucifigenda, opprimenda & destruenda. Quod ad partes Novæ Creaturæ attinet: non consentit ea carni, sed Legi Dei; opponit se murmurationibus carnis, pugnat, queritur, lamentatur, & se judicat, fugit ad Deum ut ignoscat peccato: & propterea non illa, sed corrupta natura condemnanda est. Quod ad partes Dei attinet in hoc negotio: Ille, per servi sui castigationes, naturæ pravitatem in lucem extrahit, ut eam interimat, & servum suum humiliet: eumque ita exercet in pugna fidei, ut expertum & expeditum militem reddat. Quod ad Satanæ partes attinet: ille antiquum obtinet; omnes vires suas intendit, ut peccati vires educat in aciem, & virus ejus per omnes animæ facultates diffundat: & si prævalere non potest, molestiam tamen Dei servis subinde novam creare non cessat. 2. Distinguenda est carnis seu peccati pugna ab ejus victoria: caro enim non vincit quoties pugnat; non dominatur quoties in pugna superare videtur; non regnat quandiu ei mos non geritur; quandiu æger ei non servit & cedit: sed contra, ægri pugna adversus carnem, probat carnem victoriam non obtinuisse de spiritu. 3. Distinguenda est novæ creaturæ victoria in pugna, ab ejus victoria in bello: nam nova creatura in pugna aliquando cæditur, vulneratur & cadit, sed non occiditur: verum resurgit per Dei gratiam, & pugnam redintegrat, & hostem pellit & profligat,

gat, & tandem finitur bellum, & semper cum spiritus victoria plena. Contra se habet caro in pugna: nam aliquando victrix est, aliquando vincitur & vincitur ad tempus, & resurgit ad praliandum: sed tandem finitur bellum cum carnis mortificatione & morte plena. 4. Distinguenda est submissio ægri à quiete: & hîc errat æger, submissionem à pace & quiete, non distinguens; & in se submissionem animi nullam esse existimans, quandiu carnis corruptæ reluctantiam sentit: submittit enim æger se Deo, quando submittere se Deo vellet, quando sibi à fremitu temperat, quando Deo benedicit, quando se humiliat coram Deo, eique laudem justitiæ, sapientiæ & bonitatis erga se tribuit. 5. Denique, distinguere oportet peccatum, molestiam, & sanctum dolorem ex sensu utriusque ortum: *peccatum* enim est opus Carnis & Diaboli: *molestia*, seu afflictio, est opus Dei: *dolor* ob peccatum corruptæ naturæ, est fructus spiritus; & *dolor* ob molestiam, quandiu moderatus est, sanctificatur, & in optimos usus servit.

CAP. XXVI.

In quo tractatur Casus Conscientiæ perperam judicantis de se in Tentationibus

REgeniti sæpenumero quando variis tentationibus exercentur, non tantum tristiores sunt, 1. *Pet*. 1. 6. Sed etiam perperam de se judicant in tentationibus; & turbantur nimium, quasi conditio ipsorum prorsus mala esset, & Deo displiceret, quia per tentationes, infirmitatem suam & peccati vires in se perspiciunt, & multis modis pollui se in pugna adversus tentationes observant: quæ pollutiones, licet nec negandæ, nec extenuandæ sint, non tamen obscurare debent Dei gratiam in luctante adversus illas; in lugente defectus suos; in confugiente ad Christum, in ejus fonte se lavante, & auxilium ejus adversus tentationum vim implorante.

2. Qui Casus, ut melius discernatur, Tentationes in tres ordines dispescemus. Tentationes aliæ sunt à Deo: aliæ à Carne, seu, concupiscentia innata, & mundo: aliæ denique à Diabolo. Tentationes quæ sunt à Deo, sanctæ omnes sunt, quippe, quæ explorant & exercent fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes Christianas; & neminem solicitant ad peccandum: reliquæ vero species tentationum, sunt ad peccandum instigationes. Tentationes quæ à Deo sunt, fieri solent per afflictiones vel externas corporis, vel internas animæ, vel utriusque. Afflictiones *externas* vocamus omnes illas quæ

hominem externum afficiunt, sive in valetudine, sive in libertate, sive in bonis, sive in fama, sive in familia & amicis. *Internas* autem vocamus omnes illas quæ à causis spiritualibus animam afficiunt: externum vero hominem non attingunt. Afflictiones vero & corporis & animæ vocamus eas, quibus Regenitus vexatur propter concursum causarum externarum & internarum, seu malorum internorum & externorum. In his afflictionibus Regeniti aliquando non observant Dei mentem in Scriptura declaratam: sed obliviscuntur eas admonitiones & consolationes quas didicerunt ex Dei Verbo, ut videmus, *Heb.*12.5. Et propterea nimium tristantur, *Psal.*42.11. Suspicantur Deum iratum esse adversus se & vias suas; conditionemque suam Deo minimè placere opinantur. Hinc lachrymæ, lamentationes & querimoniæ, animi desponsiones, & fidei deliquia oriuntur, ut in fidelibus Hebræis (*Heb.*12.12,13.) videre licet.

3. Hujus mali causæ tres esse possunt. 1. Amaritudo afflictionum: nulla enim afflictio carni grata est in præsenti, sed acerba & molesta. 2. Sensus peccatorum præteritorum: de quibus afflictus suspicatur Deum repetere rationem, & efficere ut afflictus possideat peccata juventutis suæ. 3. Observatio peccati manifestantis vim suam in afflicto, eamque multo majorem quam afflictus expertus fuerat in prosperitate: & propterea putat æger Deum ob peccatum se persequi, & suspicatur se non tantum longè abesse à mortificatione peccati, sed etiam suâ negligentiâ permisisse, ut peccatum vitam viresque recuperaret.

4. Huic malo ut remedium afferatur, tria requiruntur. 1. Ut ex verbo Dei discat æger in omni afflictione fidelium, sive externa sive interna, semper à Deo probationem intendi, & explorationem fidei & incrementum virtutum Christianarum, sicut docemur, *Jac.*1.2,3. *Rom.*5.3,4. Qua de causa, lætari potius & gloriari deceret ægrum quam lamentari, & perperam de Deo & sua conditione judicare. Secundum quod requiritur, est, ut consideret æger cum exploratione fidei manifestationem peccati inhærentis, & infirmitatis in fideli afflicto, imo & peccati mortificationem semper concurrere: nam, sicut cum probatur aurum vel argentum in fornace, manifestatur & metallum purum & scoria; Sic, quando probatur fides, manifestatur & fides afflicti, & inclinatio afflicti ad dubitandum; ejusque infirmitas ad portandum onus afflictionis ipsi impositum in apertum producitur. Quapropter etiamsi agnoscere debet æger, quando affligitur, sua peccata, ut humilietur, & à murmuratione cohibeatur: interea tamen animum intendere debet ad fidei suæ probationem, ut in ea constans sit. Tertium quod requiritur, est, ut in omni conditione æger studeat, per affli-

afflictiones & tentationes in patientia, experientia, & ſpe quæ non pudefaciet, proficere: hoc enim (*Rom.*5.3,4. & *Jac*,1.4.) inſinuatur & docetur.

5. Quod ad tentationes à Carne & mundo attinet: ſunt eæ quidem ſolicitationes ad peccandum, & ſolent eſſe admodum efficaces. Conjungimus autem tentationes carnis & mundi. 1. Quia caro & mundus ſibi invicem mutuas operas præſtant, & propterea, (1. *Joh.* 2. 16.) conjunguntur. *Quicquid eſt in mundo, Concupiſcentia carnis, Concupiſcentia oculorum, & Superbia vitæ, non eſt à Patre.* 2. Quia Concupiſcentia nativa, non eſt in nobis otioſa; ſed, ab objectis quæ ſunt in mundo excitata, inſtigat ad peccandum. 3. Quia raro vel nunquam ſine aliqua pollutione ad peccandum ſolicitatur à mundo & carne corrupta natura noſtra: unuſquiſque enim tentatus à propria cupiditate facile abſtrahitur, & ineſcatur vel carnis illecebris, vel mundi exemplo, vel minis & maleficiis improborum.

6. Tentationes Diaboli diſtinctas à priori genere tentationum, (in quibus etiam Satan non eſt otioſus) vocamus eas, in quibus violentius ſua tela ignita vibrat Diabolus, & ſolicitat hominem ad peccata, à quibus tentatus aliquo modo abhorret, e. g. ad atheiſmum, ad blaſphemias, ad atrociora flagitia, & aliquando etiam ad necem ſibiipſi conſciſcendam quantum poteſt impellit, à quibus cum ſe vel ſæpius vel violentius urgeri percipit Regenitus, etiamſi minimè cedat tentationibus; ſed contra, precibus ad Deum fuſis, & mediis à Deo præſcriptis adhibitis, luctetur ſtrenuè, non poteſt tamen rectè judicare de conditione ſua, ſed eam putat prorſus malam, vel ſaltem multo deteriorem quam revera eſt.

7. Cauſæ autem iniqui judicii ſunt quinque. 1. Quia æger non diſtinguit peccatum Diaboli tentantis, vel peccatum inſtrumentorum ejus ad peccatum ſolicitantium, à ſuo peccato, ſeu ab ea pollutione, cujus reus eſt propter conſenſum aliquem voluntatis pravæ furtim inclinantis ad tentationem. 2. Quia non diſtinguit conſenſum carnis non mortificatæ à concupiſcentia ſpiritus ſe carni opponentis. 3. Quia æger non diſtinguit Dei gratiam ſufficientem ad reſiſtendum, à gratia Dei potenter repellente Tentatorem, & tentato victoriam perſpicuam concedente. Solet enim Deus ſuſpendere victoriam quandoque & tamen gratiam ad pugnandum concedere. 4. Non conſiderat æger quam gratum Deo ſit ſpectaculum pueri ſui, quantumvis in ſe infirmi, certantis adverſus Carnem, & mundum, & Diabolum, & implorantis Spiritus Chriſti opem in prælio. 5. Non obſervat æger, quod Deus per tentationes ad peccandum mortificat peccatum, & vigilantem reddit ſuum militem adverſus non tantum illa peccata ad quæ ſolicitatur, ſed etiam adverſus peccata alia omnia.

 8. Ut

8. Ut ergo judicium ægri in hoc Casu corrigatur, observet Tentatus non tantum malum illud ad quod tentatio prima impellit, sed etiam & præcipuè tentationes sequentes, quæ tentationi primæ succenturiantur. *Primam* tentationem voco illam, quæ primo se offert in solicitatione ad peccatum, & primo observatur à Tentato. *Sequentes* vocamus eas, quas Satan clam annectit primæ, si fortè (ex prima tentatione vel injecta tantum, vel aliquo modo ægrum tentatum polluente) poterit fidem Tentati lædere, & ejus judicium de conditione sua corrumpere, & ad peccatum inducere, suggerendo falsas suspiciones de conditione ejus, & operam dando, ut sibi suggerenti fides adhibeatur. Hæ tentationes sequentes periculosiores sunt quam prima: in prima enim tentatione, Diabolus ut Leo rugiens aperte ægrum adoritur violenter, nec dissimulat malitiam suam adversus Deum & ægrum: in sequentibus vero occultat & se & telum suum; & suggestionem urget, tanquam cogitationem ipsius ægri. Utque exemplo res clarior evadat, faciamus ægrum tentari ad blasphemias, aut ad flagitium aliquod quod abominatur: hæc tentatio esto *prima*, quæ vehementer angit & vexat Tentatum, dum ignitum hoc telum nec potest declinare nec extinguere, quandiu Deo placet Athletam suum cum Diabolo in pugna committere, puerumq; suum luctantem in Palæstra detinere. Prosequitur Satan tentationem, & peccatum suum studet tentato Dei servo affricare, ascribere & imputare, quasi æger in animo suo blasphemasset, aut flagitio perpetrando aliquo modo consensisset: & hîc audacter calumniatur, ut aliquid adhæreat; frequenter tentationis ictus repetit, & impudenter pseudo-prophetam agit, ingeminans prædictiones suas, quasi æger tentatus evomiturus sit illas blasphemias, & quantumvis reluctetur æger tandem tamen facinus flagitiosum perpetraturus sit: & jam augetur molestia & anxietas tentati ad eam mensuram, ut metuat æger ne fortè non vana futura sit prædictio Tentatoris: & hîc pedem figit Adversarius, ut sequentibus tentationibus aggrediatur afflictum, suggerendo quod æger pollutus sit, & quod Deus ægro irascatur, & quod non passurus esset eum œstro istiusmodi agitari nisi irasceretur. Hæc tentatio annexa periculosior est quam prima, quia æger facile credit Tentatori verisimilia loquenti, & incipit claudicare in negotio fiduciæ, & suspicari Dei erga se voluntatem, atque ita hæsitare, & dubitare de conditione sua. Quapropter caveat æger sibi ab ictu posterioris tentationis: atque ita facilius ictum declinabit, vel vim enervabit tentationis prioris. Et in eum finem, 1. Distinguat corruptæ suæ naturæ inclinationem ad cedendum tentationi à renovatæ voluntatis oppositione adversus tentationem, ut liceat ei dicere cum Apostolo, *Rom.* 7. 17. *Non amplius ego id perpetro, sed peccatum*

quod

quod in me habitat id perpetrat. 2. Humiliet se coram Deo; agnoscat & naturæ suæ corruptionem & novæ creaturæ in se infirmitatem. 3. Fidei suæ in Christum actus renovet, & firmiter teneat fœderis novi vinculum, ut Deo reconciliato utatur confidentius, nec dubitet amplius de Dei voluntate erga se; sed potius laudet sapientiam Dei qui per tentationem immissam excitavit servum suum ad precandum & ad fidem exercendam; qui admonuit ægrum de infirmitate sua eumque humiliavit, cautioremque reddidit, ne postea tam facilè calumniatori crederet: Nam hîc si victor evaserit, prima tentatio vel auferetur (Satana fugiente ubi sibi resisti videbit) vel enervabitur: quod si secus fecerit æger, incidet proculdubio in graviores tentationes, & movebitur ad dubitandum de Statu suo. De quo Casu actum est, Cap. 11. Libri superioris.

CAP. XXVII.

In quo tractatur Casus Conscientiæ perperam judicantis de se propter spiritualem desertionem observatam.

DEsertio hominis quoad influxum virtutis divinæ in animam ejus, includit notionem & Dei deserentis & hominis qui deseritur. Desertio autem dicitur vel respectu operationum divinarum, communium Regenitis & irregenitis (de quibus non est nostri instituti agere) vel respectu specialium operationum Spiritus Sancti, hominem Regenitum variè exercentis. Spiritus autem Sanctus nunquam deserit Regenitos quoad conservationem vitæ spiritualis & habituum salvificorum, *Psal.* 73. 23. Sed quod attinet ad illuminationem mentis, excitationem affectuum, eductionem habituum salvificorum in actus spirituales internos & externos, in cultu Dei & observantia mandatorum ejus; & quod attinet ad dispensationem pacis, gaudii, consolationis, roboris &c. aliquando manifestat Deus præsentiam suam, aliquando vero abscondit faciem, & vel deserit vel deserere videtur Regenitum.

2. Hujusmodi desertionum aliæ non observantur ab eo qui deseritur, talis erat desertio *Hezekiæ*, 2 *Chron.* 32. 31. Et de hujusmodi desertionibus non est nostri instituti agere. Aliæ vero observantur ab iis qui deseruntur. Quando autem observatur desertio: desertus vel mitescit & humiliatur; vel fremit & quodammodo irascitur: Si humiliatur & rectè construit Dei erga se dispensationem, eamque in optimos usus referre conatur,

ad Deum per Christum confugiendo ut jactura reparetur, Tum non opus est consilio Pastoris. Verum quando desertio observatur, & desertus nimis ægre fert exercitium suum, & in pejorem partem interpretatur Dei dispensationem, & conditionis suæ iniquum æstimatorem se ostendit, eam prorsus malam judicando: Hic Casus est de quo nobis est agendum.

3. Quod hic Casus accidere possit Regenitis, testantur frequentes querimoniæ sanctorum, in Psalmis & threnis suis, Lugentium absconsionem faciei Domini, deprecantium iram ejus; & quasi expostulantium quod longè absit ab illis in die angustiarum; quod excludat ipsorum preces, & quod precantibus irascatur, &c. Et quotidiana experientia probat plerunque vexari fideles, quoties non sentiunt parresiam in precando, quoties pacem Dei & gaudium Spiritus in cordibus suis interrumpi sentiunt, & quoties morbum aliquem spiritualem observant: quorum quidem justum dolorem non condemnamus, sed tantum reprehendimus ipsorum iniquum de sua conditione judicium, quasi in illa nihil præter miseriam & peccatum esset observandum: non animadvertunt enim, quod licet desertio (sive consideretur respectu illuminationis, sive respectu pacis, sive gaudii, sive alacritatis in Dei cultu, sive voluntatis, sive virium ad obediendum ejus præceptis, &c.) sit in genere malorum á Deo inflictorum, & arguat in nobis peccatum & peccati meritum esse: observatio tamen desertionis bona est, & in genere spiritualium donorum annumeranda. Nam desertionis observatio. 1. arguit Deum præsentem in luce, ad mali manifestationem. 2. arguit malum hoc non tantum sanabile esse, sed etiam Deum medicam manum jam admovisse ad malum removendum, & causas meritorias mali tollendas. Et, 3. arguit Deum ad arctiorem communionem sui cum ægro procurandam, viam hac ratione jam sternere.

4. Causæ autem erroris & deceptionis ægri quinque esse possunt. 1. quia non distinguit distinguenda. 2. quia non observat gradus præsentiæ Dei. 3. quia non considerat dispensationis divinæ intentionem. 4. quia non considerat exercitii sui utilitatem. 5. quia non considerat officium suum, & quid requiratur ab ipso in quoviscunque genere desertionis observatæ. Et hæ causæ erroris tollendæ sunt.

5. Quod ad primā causā tollendā attinet. 1. Distinguat æger inter desertionē observatā & non observatā: nam ubi est desertio non observata, in propinquo est porro peccandi & iræ gravioris attrahendæ periculum: ubi autē desertio observatur, in propinquo est remediū, & mali remotio, vel certa ejus curatio. 2. Observata indispositio animi ad actiones spirituales, distinguenda est á desertione: nam post somnum nocturnum; post animi á quavis-
cunque

cunque molestia perturbationem; post negotia secularia; post conversationem ex occasione cum aliquibus, quorum sermo minime sapit Dei timorem; post edulia, & recreationes animi corporisque &c. observari poterit indispositio ad spiritualia exercitia: quæ ubi agnoscitur, & in confessione humili coram Deo aperitur, aufertur statim, & desertio nulla est. 3. A desertione distinguenda est exinanitio ægri respectu sapientiæ, roboris, dignitatis, vel alicujus alîus excellentiæ suæ: nam exinanitio ægri observata, est ipsissima ægri præparatio ad recipiendam gratiam ampliorem; nam quando in negotio aliquo convincitur æger suæ infirmitatis, inopiæ, & indignitatis, tum præparatur ad divinæ sapientiæ, potentiæ, & gratiæ erga se manifestationem. Et hoc nobis confirmat Apostolus, 2 *Cor.* 12. 10. ubi, postquam dixit se oblectari in infirmitatibus, rationem addit; ***cum enim impotens sum, tum potens sum.*** 4. A desertione distinguenda est donorum Spiritus dispensatio pro sapienti ejus voluntate: dat enim Deus nobis aliquando ***intelligere*** quid faciendum, & non statim illud ***velle***; & dat aliquando & ***scire*** officium & ***velle*** obedire, & non statim dat ***posse*** præstare; dat ***quid precemur*** in fide, & non dat in ***sensu*** congruo ***precari***; ***rationes laudandi*** Deum ostendit, & ***affectus*** congruentes operi non statim dat: & sic in aliis multis dispensationibus; ut quod dedit, agnoscamus donum ejus esse; & quod non dedit, petendum esse ab eo sciamus. 5. A desertione distinguenda est spiritus paupertas, in iis qui esuriunt & sitiunt justitiam, qui vehementer cupiunt Deo placere in omnibus; & quia non potiuntur votis suis, parvi-æstimant quod assequuti sunt, & ita de se perperam judicant. Nisi ista & similia distinguenda distinguat æger, non mirum si erret in judicio de conditione sua.

6. Quod ad secundam causam erroris tollendam attinet: observandi sunt gradus præsentiæ divinæ non minus quam gradus absentiæ seu desertionis. *Psal.* 73. postquam Psaltes suam stultitiam & inclinationem ad descendendum à Deo confessus est, retrospicit ad præsentiam Dei attendentis eum, tenentis eum manu sua, & reducentis eum in viam, ver. 23. ***Ego vero sum semper tecum: tenuisti manum dextram meam***, & ver. 26. ***defecit caro mea, & cor meum, sed petra cordis mei & portio mea Deus in seculum est.***

7. Quod ad tertiam causam erroris tollendam attinet: consideranda est intentio Dei in desertionibus etiam propriè dictis & exercitiis nostris spiritualibus, prout ea in Scriptura nobis revelatur: aliquando enim deserit Deus suos, ut in apertum producat latitantem cordis ipsorum pravitatem: sic deseruit *Hezekiam*, ut manifestum faceret quid esset in ipsius corde, 2 ***Chron.***

32.31. Aliquando aliqua ex parte deserit suos, ut infirmitatem ipsorum, & suum propinquum auxilium & potentiam manifestet; ut suos humiliet, & ad precandum fidemque exercendam excitet, *Psal.* 94. 18. *Cum dixi, pes meus labitur, bonitas tua, Jehova, sustentavit me: cum multæ sunt cogitationes meæ apud me, consolationes tuæ oblectant animam meam.*

8. Quod ad quartam causam erroris tollendam attinet: Consideret æger, quod Deus suos non nisi in bonum ipsorum desertionibus sive apparentibus sive realibus exerceat: hoc enim modo probat ipsorum fidem, eamque roborat; humiliat eos in sensu insipientiæ, impotentiæ & vanitatis suæ; corrigit ipsorum pravitatem; subjugat superbiam in iis; excitat in ipsis precandi studium, gratiæ divinæ necessitatem ostendit iis; arctiusque sibiipsi eos agglutinat, ut ex *Psal.* 73.25,26, &c. apparet. Hoc observavit *Paulus*, 2.*Cor.* 12.7,8,9. *Ne excellentia revelationum supra modum efferrer, datus est mihi surculus infixus carni, & angelus Satanæ, ut me colaphis cædat, ne supra modum efferrer.*

9. Quod ad quintam erroris causam tollendam attinet: attendat æger studiosè quid Deus ab ipso requirat in omni conditionis suæ spiritualis mutatione, maximèque in desertione observabili, ne peccatum suum augeat, & vincula sua graviora & arctiora reddat, ne Deum ad iram magis provocet. Quare quando se deseri vel opinatur, vel rectè observat, humiliet se coram Deo; gloriam sapientiæ & justitiæ Deo det, scrutetur pectus suum, & Consciêntiam examinet; humiliet se ad Christi pedes; gratias agat, quod Deus non prorsus deseruerit ipsum; precetur ut Deus redeat, faciemque suam ostendat; componat se ad fidei, spei, patientiæ & dilectionis specimen dandum; ne deflectat de via Dei; ne despondeat animum; utatur mediis à Deo sanctificatis ad jacturam reparandam; denique, sequatur consilium Dei, *Isa.* 50.10. *Quis est inter vos timens Jehovæ, auscultans voci servi ejus? qui ambulat in tenebris, cui nulla est lux, confidat nomini Jehovæ, & innitatur Deo suo.* Atque hæc de tertio ordine Casuum Conscientiæ ad conditionem Regeniti spectantium.

CAP. XXVIII.

De Casibus dubiis.

REstat quartus ordo Casuum Conscientiæ ad Regeniti conditionem spectantium, eorum, scilicet, in quibus Regenitus dubitat, quid de conditione sua statuat. Casus igitur quarti ordinis vocamus *Casus dubios*, eosque ut Casus non perficientes sed deficientes, seu, defectum aliquem in Regenito manifestantes, ad Therapeuticam retulimus: quia in his, Pastoris (ut Medici) opera ad dubiam conditionem explicandam & curandam opus habet Regenitus.

2. In his Casibus dubiis non est propriè dicta deceptio, sicut in prioribus de quibus hactenus actum est: quia in hoc genere Casuum, patiens nihil determinatè statuit, nihil affirmat vel negat positivè de sua conditione; Sed ambigit tantum, quid statuere debeat. In his Casibus, Regenitus nec sibi placet in mala conditione, nec condemnat conditionem bonam; sed suspendit tantum judicium suum de præsenti sua conditione, sitne bona an mala, donec explicatum habeat, quid de ea statuat. Neque est, in his Casibus, Regeniti anxietas aliqua notabilis; sed desiderium tantum cognoscendi conditionem suam, in qua an lætari, an tristari debeat, nondum ei constat, nisi fortè dubium, aliqua ex parte, perturbet ipsum.

3. Pertinent hi Casus ad mentem Regeniti potissimum: ex quibus expeditur patiens per solutionem quæstionis, de sua ipsius conditione prudenter formatæ & propositæ. Ut autem ritè formetur quæstio, & prudenter proponatur, tria requiruntur. 1. Ut quæstionem propositurus examinet apud se conditionem suam, 2. Ut ingenuè & perspicuè (quantum potest) conditionem suam manifestet Pastori, vel amico alicui fideli; Casuum Conscientiæ consulto. 3. Ut re totâ (sicut est) declaratâ, vel, quantum sufficit ad quæstionis solutionem, manifestata, Quærat quid sentiendum de, vel sentiendum & faciendum in, conditione hac dubia jam proposita. Requiritur autem ut examinatio patientis præcedat quæstionem: partim, quia nisi præcedat examinatio, quæstio poterit esse otiosa, futilis, & indigna responsione: partim, quia patiens per examinationem suiipsius poterit se expedire & quæstionem præoccupare: partim denique, ut (si opus sit quæstione) nodus quo nectitur patiens melius observetur, clarius proponatur, & ad ædificationem magis solidè solvatur. Hujus generis quæstiones aliquas proponemus & solvemus breviter, ut in his tractandis Candidati Ministerii solvendi alias similes rationem videant.

Quæst. 1. In examinatione conditionis Regeniti, oritur aliquando ea mentis caligo, & cogitationum quasi confusio, ut nihil possit patiens in se præter caliginem, cogitationum confusionem, & mentis obfuscationem discernere. Quæritur igitur in hac conditione, Quid sentiat patiens, & quid faciat ut se expediat?

Resp. Casus hic frequentius accidit, & idcirco opus habet curatione diligentiori: quæ ut felicius procedat, examinatio patientis renovanda est; & causæ caliginis meritoriæ accuratius inquirendæ sunt. Castigatio enim patientis in hoc Casu plerunque reperitur propter negligentiam, vel omissionem officii, vel defectus aliquos alios præcedentes, quibus patiens hanc animi obscuritatem & tenebras attraxit: Et patiens fortè (post examinationem sui exactiorem) comperiet se, in custodiendo corde suo, eoque continendo in timore Dei, remissiorem fuisse; rebus secularibus curisque terrenis implicatum & gravatum esse; in licitis animi corporisque recreationibus nimium sibi indulsisse, vel peccato aliquo actuali Spiritum Dei contristasse: Atque ita desertionem (respectu illuminationis) sibi accersivisse. Morbus hic aliquando etiam oritur ex præsenti aliqua mentis perturbatione, & passione, qua ita impeditur mens ne possit suo officio fungi, ut in ira, metu, dolore, & similibus passionibus, post injuriam illatam, post damnum acceptum, vel in periculo imminenti aliquo accidere solet. Hâc examinatione sincerè peracta lux orietur in anima patientis, causæque & usus hujus exercitii, Regenito precanti, & se coram Deo humilianti, proculdubio patefient; & confugienti ad Christum, propositumque accuratius ambulandi cum Deo renovanti, clara & bona conditio reddetur.

Quæst. 2. Sunt Regeniti nonnulli, qui post examinationem sui non audent negare, quin animo propenso ferantur ad Deo serviendum in vocatione sua; & quod in opere Domini non sint segnes, & tamen subinde in vinculis tenentur spiritus ipsorum, nec possunt hilariter facere quæ faciunt: sed subtristes ambulant, minimè quidem cedentes tentationibus, quæ possent ipsorum fidem infirmare; minimè cessantes ab officio ullo ad quod vocantur: sed quoties objiciuntur operum suorum imperfectiones, toties renunciant justitiæ suæ, & respiciunt ad Christi justitiam imputatam, & pergunt operari ea quæ in se recta sunt. Verumtamen raro gaudent, sæpe lugent, onerati languent, & dubitant quid de sua hac conditione, & de Dei erga ipsos dispensatione sentiant?

Resp. Conditio hæc honestè bona est, licet non sit læta; & Dei dispensatio erga patientem sapienter temperata est: Nam nec sinit patientem, suam fiduciam in Christo abjicere, nec otiosum esse in vocatione, nec gloriari in

operibus suis, nec fiduciam in illis ullam collocare; sed urget patientem ut in majori pretio habeat justitiam Christi imputatam, & ut obedientiam fidei in se foveat, licet sensus lætitiæ, & oleum consolationis ei raro concedantur. In hoc casu. 1. Sedulò observet patiens propensionem animi sui ad abutendum consolationibus Spiritus si darentur, & ad nimis magni æstimandum bona sua opera, si perfectiora essent. 2. Caveat ne fatiscat in opere Domini, quia imperfectiones plurimas in actionibus suis optimis observat, & raras consolationes percipit. 3. Ne abjiciat desiderium lætandi in Deo, & in ejus servitio, ex desperatione inveniendi quam quærebat lætitiam & hilaritatem: nec se componat ad pergendum securè in hac sua conditione, sed studeat Deum in spiritu magis magisque colere, ne ferulam & castigationem inclinationis suæ pravæ contemnere comperiatur, patienter submittat se Deo, & expectet diem retributionis tempore opportuno futuræ. Quando enim perfunctus erit officio suo, & pensum suum absolvet, non carebit mercede abundanti; interim dum in vivis agit post unumquodque certamen, & victoriam de hoste reportatam per fidem, subinde comedet manna, & leget nomen suum in libro vitæ; renovabitur testimonium Spiritus una testimonium ferentis cum ipsius spiritu quod sit Filius Dei adoptivus: nec deerit consolationis viaticum, quantum sufficere poterit viatori.

Quæst. 3. Aliquando Regeniti, licet pergant in officiis vocationis suæ sacræ vel civilis, exercitia Religionis publica & privata diligenter observent, proximo suo scandalum nullum objiciant ad quod aliquis offendat, nullo crassiori peccato Conscientiam polluant vel vulnerent; post examinationem sui accuratiorem tamen perspiciunt Conscientiam suam diu tacuisse, nec sibi dicam ullam scripsisse, vel litem ullam adversus se movisse propter peccata quotidianæ incursionis, quæ vocantur; sed permisisse ut securè & placidè pergerent in cursu prædicto. Hanc suam conditionem considerantes, & ad normam Verbi divini examinantes, dubitant quid de ea sentiant. Ex altera enim parte agnoscunt peccata quotidianæ incursionis, peccata esse multa, & coacervata numerum pilorum capitis sui longe superare, & arenæ maris quoad numerum & pondus comparari posse: Ex altera vero parte audiunt Dei Verbum, pacem apud Deum pronuncians omnibus justificatis; pacem promittens toti *Israeli* Dei, & omnibus fidelibus ambulantibus secundum normam positam novæ creaturæ; & norunt in Evangelio neminem à pace Dei excludi, qui in numero fidelium censeri potest, ut ex salutatione Ecclesiarum ab Apostolis, in Epistolis suis ad eas, apparet. Quid hîc Regenitus censeat judicetque de conditione sua prædicta?

Resp. Conscientiæ silentium in Casu prædicto non est excusandum; con-

ditio prædicta non est moraliter bona; & pax illa Regeniti prædicta, licet quoad statum personæ firma sit, quoad conditionem tamen personæ securitatem multam admixtam habet: Ad conditionem enim Regeniti reddendam moraliter bonam, non sufficit ut sine scandalo dato in mundo vivat, & Conscientiam à flagitiis puram conservet, Sed requiritur etiam ut mortificet in se omne peccatum, ut rationem Deo reddat quotidie peccatorum suorum minimorum, etiam eorum quæ quotidianæ incursionis vocantur; imo ut peccati originalis vim & virus in se observet, & pollutiones spiritus sui agnoscat esse peccata, eorumque acervum & abominabilem congeriem detestabundus confiteatur coram Deo quotidie, ut ex corde dicat quotidie, *demitte nobis peccata nostra*; & ex verbo Evangelii audiat quotidie *remissa tibi, fili mi sunt peccata tua*. Est enim judicialis absolutio personæ duplex; alia respectu *Status*, quæ vocatur *lotio totius hominis*; alia respectu conditionis & quotidianæ conversationis, quæ vocatur lotio pedum, *Joh.* 13. 10. per illam, fidelis è numero hostium pereuntium in peccatis transfertur in societatem sanctorum & civium Regni Christi: per hanc, fidelis è pollutorum filiorum numero eximitur: per illam, non tantum remittuntur peccata omnia ante Regenerationem commissa, Sed etiam jus datur justificato accedendi quotidie ad fontem illum qui aperitur in domo *Davidis* ad tollendum peccatum quotidie pullulans, & impuritatem quotidie contractam; per hanc, fidelis jus datum in usum suum actu applicat. Cujus juris beneficium ut habeamus quotidie, peccata quotidianæ incursionis observanda sunt & agnoscenda quotidie; ut quotidie humiliati in nobis, & gratiam Dei in usum nostrum trahentes, lotionem illam judicialem in Verbo Evangelii fluentem quantum fieri potest specialiter apprehendamus, & Remissionem peccatorum quotidianorum secundum Verbum Evangelii applicemus: & hæc lotio pedum respectu conditionis pollutæ, à lotione totius hominis respectu Status hostilis distincta est, *Joh.* 13. 10. *Dicit ei Jesus, Ei qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Agnoscimus interim tot esse imperfectiones operum nostrorum optimorum, tot esse peccata quotidianæ incursionis, tot esse ramos ab infelici radice concupiscentiæ, peccati originalis & inhabitantis, quotidie & in horas pullulantis, ut nemo poterit sua peccata singillatim numerare. Veruntamen reddenda nobis est ratio quotidie istiusmodi peccatorum in cumulo saltem; & fœditas originalis peccati in specie agnoscenda est, (quia ex eo fluunt omnia peccata actualia) ut magis magisque humiliemur in nobis; ut fiduciæ in operibus nostris & inhærenti justitiæ nostræ magis magisque renunciemus, ut Christum ejusque justitiam in pretio majori habeamus: hoc officium docet & in eo præit nobis

bis Psaltes, *Psal.* 19. 12. *Errores quis intelligat? me ab occultis absolve.* Huc etiam nos exemplo suo ducit Apostolus, *Rom.* 7. 24. *Ærumnosus ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Quapropter opus est ut Regenitus, quem descripsimus, pergat in sancto vitæ cursu prædicto, & simul Conscientiam excitet ad reddendam rationem peccatorum quotidianæ incursionis, quantum ad sinceritatis suæ probationem sufficit, ut pacem firmiorem habeat non tantum respectu status sui, sed etiam respectu conditionis suæ quotidianæ.

Quæst. 4. Quando justificatus in foro Dei, per fidem in Christum, audit de natura & ratione justificationis varias sententias Theologorum: aliorum affirmantium, quod sit *actus Dei immanens*; aliorum quod sit actus *Dei emanans & transiens* in justificati animam: aliorum vero quod sit forensis, seu, *judicialis actus Dei Judicis*, in Scriptura loquentis, Dubitat ubi & quomodo quæsiturus, & inventurus sit justificationis suæ notitiam & certitudinem, An in cœlo, in Dei actu immanente? An in testimonio & operatione Spiritus, voluntatem Dei significantis Conscientiæ seu spiritui suo? An vero in Scriptura, pronunciante credentium in Christum absolutionem á peccato? Quæritur igitur, quid sentiat patiens de conditione sua quandiu in hac dubitatione & disquisitione totus occupatur & hæret?

Resp. Non multum refert etiamsi patiens rationem formalem & quidditatem justificationis ignoret, modo sciat & teneat fundamentum fiduciæ, nempe, quod Scriptura declaret credentes in Christum justificari per fidem, & pacem habere apud Deum; & simul sciat seipsum (condemnatum per Legem) jam fugisse ad Christum Redemptorem, eique firmo animi proposito adhærere. Non enim debet infirmus in fide, in his notionibus discutiendis, tempus suum & meditationes suas consumere, dubiisque disputationibus cogitationes suas distrahere; sed ex Scripturæ dictamine fidem & resipiscentiam exercere, seque in obedientia fidei ædificare. Quod si vero quiescere forsan non poterit, nisi aliquo modo dubium hoc explicetur & nodus solvatur, Consideret *dubitans* justificationem peccatoris in se condemnati, & fugientis ad Christum per fidem, ut in eo justitiam & vitam nanciscatur, vel *active* sumi, quatenus procedit á Deo; vel *passive*, quatenus recipitur vel terminatur in justificato. Si justificatio *active* sumatur, est actus Dei Judicis ab æterno volentis & æternam voluntatem in Scriptura declarantis quod peccator unusquisque, quocunq; tempore per fidem confugit ad Christum Redemptorem, justificetur, seu, Remissionem peccatorum habeat, & jus in Christum ejusque omnia beneficia. Justificatio autem *passive* sumpta, est generalis sententiæ absolutionis (individuum hunc vel illum credentem

jam actu complectentis) judicialis terminatio & receptio in persona credentis, sive credens in Christum actu animi formali reflexo, jus sibi jam factum per Scripturæ sententiam percipiat, sive non; sive testimonio Spiritus consolatoris facta sit sententiæ Scripturalis obsignatio perceptibilis in corde credentis, sive non. In justificatione ergo activè sumpta, hæc quatuor distinguenda sunt. 1. Immanens actus Dei Judicis ab æterno volentis, credituri in Christum absolutionem à peccato, ea hora concedendam qua ad Christum confugit. 2. Actualis revelatio (in tempore) hujus gratiosissimæ voluntatis in Verbo Evangelii. 3. Judicialis applicatio sententiæ generalis ad hunc vel illum credentem, ea hora qua confugit ad Christum Redemptorem. 4. Testimonium Spiritus Sancti, generalem sententiam Evangelii applicantis perceptibiliter, cum ineffabili gaudio dato (pro arrhabone) jam credenti in Christum. De quo testimonio loquitur Apostolus, *Ephes.* 1. 13. *In quo etiam postea quam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto: qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Ex his quatuor, tria priora certam reddunt credentis salutem: quartum vero facit etiam ad credentis consolationem.

In justificatione passiva etiam quatuor distinguenda sunt. 1. Actus fidei recipientis Christum offerentem se in Evangelio omni credenti, seu, confugienti ad ipsum ut Redemptorem. 2. Judicialis terminatio absolutionis in persona credentis, virtute sententiæ generalis in Evangelio pronunciatæ, de qua (*Joh.* 15. 3.) loquitur Christus, *jam vos puri estis propter sermonem quem loquutus sum vobis.* 3. Actus Conscientiæ reflectentis in actum suæ fidei, seu, in applicationem factam sententiæ absolutionis suæ in Verbo Evangelii. 4. Observatio, perceptio, & agnitio testimonii Spiritus unà testantis cum spiritu *Credentis*, quod ipse sit justificatus, adoptatus in filium &c. Priora duo possunt aliquando, & aliquandiu, esse sine posterioribus duobus, (ut in creaturæ novæ infantia, in tentationis, afflictionis, & desertionis tempore) & tamen ad salutem sufficere. Tertium separari potest à quarto: nam *David* sæpe profitetur se credere in Deum interea dum versatur in angustiis animi, & vivificam Spiritus virtutem desiderat, & orat ut vivificetur, *Psal.* 80. 18. & *Psal.* 119. sæpius. Ubi autem quartum adest, & Spiritus consolator gaudio perfundit cor, Non quærit justificatus, quomodo percipiat justificationis suæ rationem: Hilariter enim jam subscribit Verbo Evangelii, & sigillum appendit veritati & bonitati Dei.

Quod ad justificationem activè sumptam: actus Dei ab æterno volentis & intendentis crediturum justificare in tempore, nempe, ea hora qua confugerit ad Christum, Non magis dici debet *justificatio actualis*, quam actus

Dei

Dei ab æterno volentis & intendentis resurrectionem mortuorum dici debeat *actualis resurrectio mortuorum.* Hujus voluntatis revelatio in Evangelio, est generalis declaratio juris dandi omnibus & singulis credituris sine exceptione. Justificatio autem formalis, seu, actualis hujus vel illius personæ absolutio à peccatis, & à statu iræ, nihil aliud est quam generalis sententiæ Judicis (in Scriptura pronunciantis absolutionem credentium) judicialis applicatio, seu, ratihabitio, in gratiam hujus vel illius personæ credentis: atque hæc ratihabitio, seu, applicatio judicialis immediatè fluit ex institutione Dei constanter volentis, & in Scriptura in æternum pronunciantis, omnes & singulos credentes in Christum esse justificatos. Quapropter notitia & certitudo justificationis peccatoris ad Christum fugientis petenda est in Scriptura, seu, Verbo Dei loquentis in illa: Neque suspendenda est hujus rei certitudo, vel à formali credentis applicatione illius sententiæ sibiipsi à se facta, vel, ab applicatione Ministri prædicantis & cum autoritate applicantis ei hanc sententiam, vel, à testimonio Spiritus Sancti cum gaudio significantis & obsignantis hanc sententiam in credente. Agnoscimus ultro, quod (applicatione Christi jam facta, per fidem, ut absolutè necessaria ad justificationem credentis) necessaria sit applicatio sententiæ absolutionis, & agnitio explicationis factæ, ad credentis consolationem: Agnoscimus etiam, quod Spiritus Sancti obsignatio applicatæ sententia sit ad pacem, consolationem,& fiduciam credentis necessaria. Veruntamen hoc interim observari cupimus,quod, eo ipso momento, quo humiliatus in sensu peccatorum suorum confugit ad Christum per fidem proculdubio justificetur à Deo; licet nondum fide is ipse observaverit suam felicitatem; licet nondum senserit Spiritus consolatoris in corde suo operationem; licet nondum audiverit Prædicatoris vocem ex autoritate,Remissionem pronunciantis; & licet ipse adhuc (instar trepidantis agni, jam jam ex ore Leonis erepti) pavidus stet coram Deo in Christo peccatores oneratos ad se vocante. Atque hoc patet ex Christi doctrina, *Joh.* 3. 18. *Qui credit* (inquit) *in eum*, Christum scilicet, *non est condemnatus*: Ergo est justificatus. Et ver. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Et licet nondum sciat suam infirmam fidem solidam esse: dixit tamen Christus de eo quod *non sit condemnatus*, ver. 18. & quod *habeat vitam æternam*, ver. 36. Et quod non suspendatur sententia absolutionis à credentis observatione actualis suæ fidei nec à Prædicatoris declaratione quod fidem habeat neque à gaudio Spiritus nondum dato, patet ex sententia Christi loquentis de non-credentibus, *Joh.* 3. 18. *Qui non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.* Quæres quomodo jam condemnatus sit is qui non credit?

Resp.

Resp. Quia adversus eum pronunciata est in Scriptura Legis sententia condemnans omnes & singulos peccatores ex fœdere operum. Pauci autem ex irregenitis hanc sententiam Legis sibi applicant, pauci ex infidelibus credunt se condemnationi obnoxios esse; paucissimi terroribus agitantur, vel à Spiritu servitutis in torquentis Conscientiæ vinculis constringuntur: condemnati sunt tamen nihilominus, quia sententiam pronunciavit de iis Judex in Lege adversus eos omnes. Similiter dicendum de credentibus in Christum, qui confugerunt ad Christum serio, eique adhærent per fidem: quod licet non audeant affirmare se in numero fidelium censendos esse, nihilominus tamen justificati sint: quia, sententia Dei in Evangelio loquentis, eos absolvit. Non est igitur suspendenda justificationis certa cognitio, donec ascendamus in cœlum, ut inde certioremur per Spiritum consolatorem; sed Verbum absolutionis prope est in ore nostro: & hoc est Verbum Evangelii quod prædicatur nobis: cui Verbo si confugientes ad Christum crediderint, non longe aberit Spiritus consolationis, tempore opportuno, arrhabone ineffabilis gaudii ipsos confirmaturus.

Quæst. 5. Quando Regenitus post Remissionem peccatorum redire observat accusationes Conscientiæ ob peccata præterita jam remissa, & jam videtur possidere peccata juventutis suæ cum *Jobo*, 13. 26. dubitat quid hîc sentiat de se: vel enim urgetur agnoscere quod non sint remissa peccata, quæ remitti sibi confidebat, (& hoc si admiserit, convellitur totum ædificium Regenerationis, Reconciliationis & fidei suæ in Christum, quasi in his omnibus falsus fuisset & se decepisset) vel tueri quod sint remissa; quod dum tenere cupit, peccata remissa, propter præsentem accusationem, videntur revocari in judicium, atque ita in quæstionem vocari etiam videntur Dei misericordia, justitia & veritas: quia non patitur justitia, ut Deus irritum faciat fœdus suum, vel ut peccata post tergum abjecta revocet in memoriam, vel ut Remissionem peccatorum rescindat, vel ut denuo exigat rationem peccatorum, & pro iis satisfactionem petat à peccante, quam accepit in Mediatore: Quid hîc dicendum dubitanti?

Resp. Consistere poterunt hæc quatuor. 1. Reconciliatio Regeniti cum Deo. 2. Peccatorum Remissio à Deo. 3. Renovata accusatio Regeniti à Diabolo. 4. Sancta sapiensque dispensatio Dei & permittentis hanc Diaboli accusationem propter exercitium servi sui; & malitiam Diaboli convertentis ad bonum Regeniti accusati. Distinguat igitur *dubitans*, 1. Repetitam accusationem post peccata remissa, à revocata & irrita facta remissione: nam, quando Remissio peccatorum rata habetur à Deo, potest Regenitus ad rationes denuò vocari à Diabolo, qui lapidem omnem movet, ut fidem,

dem, pacem, & consolationem Regeniti impediat. 2. Distinguat revocationem remissorum peccatorum in memoriam à Deo factam in bonum Regeniti, à revocatione Remissionis peccatorum: nam, quando Regenitus negligentius se gerit, & peccata nova veteribus adjicit; non est iniquum vocari à Deo in memoriam peccata priora, ut humilietur magis, & serio magis resipiscat. Quando deferbuit gratitudo Regeniti ob Remissionem peccatorum concessam; non est iniquum beneficia accepta à Deo in memoriam revocari, ut resuscitetur gratiarum actio, & gratiæ Dei glorificatio. Quando Regenitus negligentius se gerit, & periculum est ne incidat in eadem peccata in quibus olim immersus jacebat; non est iniquum ex præteritis peccatis suam ei depictam & demonstratam indolem, inclinationem ad peccandum, & impotentiam ad resistendum tentationibus, in memoriam à Deo revocari, ut sapiat magis & caveat sibi à præcipitio quod ante pedes ejus in propinquo est. Quapropter fidem retineat Regenitus de Remissione peccatorum; & in usus optimos trahat revocationem eorum in memoriam. Et hîc sequatur exemplum *Pauli*, qui nunquam sivit peccata sua ex memoria sua elabi, sed eorum subinde confessionem renovavit ad sui humiliationem, ad gratiæ divinæ commendationem, & aliorum ædificationem; nec interim suspicatus est revocatam fuisse peccatorum suorum remissionem: hac enim ratione præveniet Regenitus accusationes Diaboli, vel eas elidet & elumbes reddet; & fiduciam de gratia Dei immutabili, & Remissione data peccatorum irrevocabili, firmam stabilemque possidebit.

Quæst.6. *R*egeniti aliquando ad disputationem & disquisitionem vocati, sintne Regeniti an non? ut disputationem abrumpant vel finiant vel differant in tempus magis idoneum statuunt resipiscentiæ suæ & fidei suæ actus renovare, & (missa facta, pro tempore, inquisitione, fuerintne antea Regeniti an non?) se denuo in conspectu Dei sistere, seipsos humiliare, ad Christum fugere, eumque ad justitiam & vitam amplecti; existimantes consultius multò se facturos si fidei actus repetiverint, ut tela Tentatoris ad diffidentiam eos solicitantis declinent, quam si (disputando de Regeneratione præterita) fidem suam labefactari sinant. Verum in hoc Casu occurrit consilium expertorum Theologorum, qui suadent, ut, in Conversionis articulo convertendi, in sensu suæ indignitatis ad Dei pedes abjecti, simpliciter se submittant Deo, ut salvet vel perdat ipsos pro beneplacito suo; agnoscentes justitiam ejus, si recusaverit convertere & salvare; & promittentes se prædicaturos Dei gratiam, si converterit eos, & in amicitiam societatemq; suam adduxerit. Et hic hæret Regenitus, dubitans, an fidem exerceat? an vero animo pendens, se Deo submittat? incertus quid Deus facturus sit, conver-

surusne an rejecturus? sicuti multi sancti (& in his aliqui Theologi celeberrimi) optimo successu fecerunt. Quæritur, quid hîc statuat *dubitans*?

Resp. Licet Dei viæ cum Electis suis in ipsorum Conversione altissimæ sint & imperVestigabiles: præscripsit tamen regulam omnibus quid faciant ut Remissionem peccatorum & Reconciliationem consequantur, scilicet, ut incipientes à Lege & fœdere operum, se judicent dignos morte, & tanquam damnatos se sistant ad Tribunal gratiæ in Christo; per fidem se conjicientes in Mediatorem, (missa omni disputatione de Dei decreto, sintne electi, an non?) ut justitiam & salutem obtineant. Sed quando Electi aliqui pro rationis suæ carnalis prudentia (quæ semper Deo inimica est) non sequuntur viam quam sequi jubentur: verum rationem sequuntur aliam quæ ipsis magis placet, licet quidem Deo extra ordinem aliquibus ex his aliquid indulgere, ut suo modo eos in viam rectam deducat; & sicut indulsit *Gideoni* petenti signum secundum, ad fidei suæ confirmationem, Sic fieri potest, ut aliquibus reipsa petentibus signum quo inducantur ad credendum in Christum extra ordinem indulgeat, e. g. cum secundum Dei mandatum omnes debeant confugere ad Christum, persuadentes sibi ex Evangelio quod repulsam non sint passuri venientes ad Christum, seu per Christum ad Deum, aliqui fortè in dubium vocant, sintne electi an reprobi, (quam quæstionem non debuissent in hoc suo Casu attingere, sed officium suum tantum respicere) & pro actu fidei à Deo imperato, actum submissionis non requisitum student Deo offerre, dicentes reipsa in corde suo ad Deum, *Domine, nescimus utrum nos elegeris an reprobaveris? idcirco submittimus animas nostras secreta tua voluntati: si vis nos perdere, justus comperieris; si vis nos salvare, gratiosum te prædicabimus.* Et hîc, dubii de eventu sequuturo, suspensi hærent, mœrore repleti, donec Deus interno Spiritus sui gaudio (tanquam signo extra ordinem dato) perfundat ipsorum corda; & reipsa dicat ipsorum Conscientiæ *confide, fili, remissa tibi sunt peccata tua.* Non dubitamus in hoc Casu quin Deus aliquibus suis electis in hoc errore practico manentibus, quasi morem gesserit, eosque multa sua lenitate & condescensione utens, in ulnis arreptos consolatus sit, sed extra ordinem: ordo enim præscriptus, est,ut prius credamus quam Spiritus gaudio vel arrhabone obsignemur, *Ephes.* 1. 13. Constant Deo rationes factorum suorum; & liberum est ei aliquos hoc modo seipsum tentantes consolari, priusquam fidei actum elicuerint. Sed non est hæc Dei via,quam nobis præscripsit: non requirit à nobis peccati reis & morte dignis eam quam diximus submissionem; sed declaravit se paratum ad recipiendum in gratiam omnes qui veniunt ad se per Christum; promittit se neminem ejecturum; imperat ut

damnati

damnati in sensu peccati & iræ meritæ confugiant ad Christum; imperat ut in eo fidem collocemus,& contra omnem difficultatem contendamus ad eum venire eique adhærere,imo ut vim faciamus regno cœlorum. Plurimum ergo Deo debent illi,quos Deus quovis modo ad se accedentes recipit: sed periculosum est ad alicujus fratris calceum componere pedes omnium reliquorum fratrum. Periculosum est Deum alligare ad experientiam unius alicujus sancti, quando eandem regulam proposuit omnibus: nam, quid fieret iis, quos aliter tractare vult Deus, nempe, sicut tractavit *Hemanem* Ezraitam, quem terroribus ab ineunte ætate exercuit. Certe nisi *Heman*, sequutus regulam Verbi divini, in Deum se conjecisset & repulsam pati noluisset, periisset. Quapropter, cum submissionem hujusmodi Deus non requirat, sed declaraverit jam voluntatem suam, exerceat Regenitus, in hac conditione constitutus, fidem suam: nec sinat se à Deo avelli,quomodocunque tractatus fuerit. Semper valeat apud eum Dei imperium, 1 *Joh.* 3. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomen Filii ejus Iesu Christi, & diligamus alii alios, sicut ipse mandavit nobis.*

Quæst. 7. Regeniti sæpè, quando animæ suæ ineptitudinem ad cultum Dei immediatum percipiunt, e. g. quando ad precandum, ad Deum laudandum, ad canendum, & gratias ei pro beneficiis acceptis agendum, cor suum minime compositum observant, Dubitant quid sit optimum factu? utrum differenda sit actio in aliud tempus, quo cor suum præparatum inveniant? an vero pergere debeant (quoque poterint modo) cultum suum offerre, licet labiis (ut æstimant) pollutis, & verbis quasi mortuis, seu interno cordis affectu destitutis? Hîc metus est, ne temerent cultum Dei, & nomen ejus sumant in vanum; illîc metus est, ne reatus omissi officii contrahatur. Quæritur, quid hîc statuat patiens?

Resp. Alio respectu actum est de hac conditione, Lib. 2. cap. 17. nempe, quatenus in ea patiens decipitur: hîc agendum de ea, quatenus in dubio res est, & patiens scire cupit quid debeat facere ne decipiatur. Accidit autem hæc dubitandi occasio frequentissimè: & justo quidem Dei judicio inepti reddimur ad Deum colendum uti debemus; quia non vigilamus ad orandū; non continemus cor nostrum toto die in timore Dei; non fovemus cordis & Conscientiæ teneritatem; rarò excitamus nos ad lætandum in Deo; non observamus benignitatem fluentem ad nos, vel stillantem erga nos, in omni conditione, ut in omnibus gratias agamus; non observamus satis sæpe nostram inopiam, inscitiam, & moralem impotentiam ad Dei cultum vel ullum opus bonum. Idcirco quando convincimur de officio faciendo, & ad cultum Dei accingere nos vellemus, merito nostro, torpent affectus nostri,

distrahuntur cogitationes, & quasi paralysi occupantur omnes animæ nostræ facultates, ut non valeamus, quando volumus, in spiritu Deum colere. Quod autem ad solutionem quæstionis attinet: distinguendus est cultus Deo gratus & ab eo approbatus, à cultu & colenti grato & Deo accepto. Cultus Deo gratus & acceptus, est, qui fluit à fide respiciente opus imperatum in Scriptura; & considerante dignitatem, excellentiam & perfectionem objecti colendi, Dei scilicet benedicti in secula; & agnoscente colentis officium, & debita motiva ad officium præstandum; & intendente Dei in spiritu glorificationem, sive colens sibi satisfaciat in cultus oblati modo & mensura, sive non. Cultus autem & colenti & Deo gratus, est, quando colentis affectus respondent colentis voto, & comitantur cultorem in cultus exercitio. Ista duo beneficia sæpe Deus distinguit: & alterum dat, nempe, *in fide colere,* quando alterum non dat, nempe, *in sensu,* seu, *affectu optabili colere.* Studeat igitur patiens Deum colere in fide, & tempore idoneo sentiet se colere etiam cum affectu optabili: Et quando precationis, gratiarum actionis & laudis offerendæ materia adest, ne differat cultum actualem offerre, quia desiderat affectum requisitum: nam hoc est quod *David* vult, quando dicit (*Psal.* 5. 3.) Deum auditurum ipsius *vocem* manè: & (*Psal.* 27. 7.) petit exaudiri, quando *voce* clamat ad Deum: & (*Psal.* 31. 22.) agnoscit se *voce* supplicantem exauditum esse. Hæc enim fidei obedientia in operibus præscriptis, est spiritualis cultus, quem Apostolus jubet nos Deo offerre, cum sistimus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, ut rationalem cultum nostrum, *Rom.* 12. 1. Interim nolumus hoc dictum ita accipi, quasi non esset contendendum ad omnem Dei cultum cum affectu offerendum; vel, quasi in opere (quod dicunt) operato esset quiescendum; vel, quasi satis sit ut nobis placeamus in forma pietatis sine efficacia: sed horsum tendit consilium, ne segnes simus in opere Domini, quando ad illud vocamur, sive adsit affectus, sive desideretur: nam, si secus fecerimus, tentationibus adversarii nostri cedemus, nostrisque affectibus potius quam Deo servire videbimur, seu, comperiemur recusare Deo servire, nisi prius sensibili mercede data, & præmio prius ablato inducamur. Quoties ergo solutus est patiens à vocationis suæ curis negotiisque necessariis, ne cesset officium suum in Deo colendo prosequi; nec cordis sui pravitati cedat: sed luctetur adversus omnia impedimenta: Solet enim Deus luctantibus opem ferre, & in exercitio cultus sui corda suorum calefacere. Juvat etiam in hoc Casu ad affectus movendos, confiteri Deo veritatem à Conscientia dictatam, & rationes proferre quæ ad colendum Deum cum affectu facere possint, e. g. si in confessione peccatorum, gra-

tiarum actione, beneficiorum petitione, &c. cor videatur minimè commoveri; dicat supplex, *Deus mi, hæc mea sunt peccata, quæ cum lacrymis deberem tibi confiteri, &c. hæc tua sunt beneficia, quæ cum lætitia & sensu bonitatis tuæ deberem agnoscere, &c. Sed tu delectaris veritate in præcordiis, Psal. 51.6. En tibi confiteor veritatem in corde meo, &c.*

Quæst. 8. Quando Regenitus, sub afflictione aliqua graviori diutius admodum pressus, quærit causas afflictionis suæ; & in hunc finem examinat viam suam, & agnoscit peccata in se innumera, quæ ipsi cum aliis fidelibus sunt communia: sed quodnam sit illud peccatum in specie, quod Deus persequitur, non potest perspicere. Quæritur quid sentiat de conditione sua? & quid opus sit factu?

Resp. 1. Non semper affligit Deus servos suos ob peccatum, licet nullum affligat nisi peccatorem: affligit aliquando ut custodiat a peccato; aliquando ut probet suorum fidem, & operetur in iis spem, patientiam, mansuetudinem, temperantiam, aliasque similes virtutes, ut crucifigat eos mundo, & mundum iis, ut mortificet naturæ corruptæ pravas cupiditates, ut doceat eos cœlum & spiritualia affectare, precari pro seipsis intentius; & pro aliis qui afflicti sunt, ex compassionis visceribus ardentius intercedere. 2. Consilium damus, ut *patiens* afflictionis genus, gradus & circumstantias accuratius examinet: nam sic quasi inscriptum in virga forsan videbit peccati genus, ad quod Deus digitum intendit. 3. Sive inveniat speciale peccatum, quod quærit, sive non, totam odii, iræ & vindictæ suæ aciem convertat adversus corpus peccati, seu radicem illam amaram omnium actualium peccatorum: Sincerè invigilet & serio contendat adversus originale peccatum, seque hoc nomine humiliet & abominetur, ut resipiscentia sua sincerior comperiatur, & Christi justitia imputata in majori pretio ab eo habeatur.

Quæst. 9. Quando agitatur quæstio de Remissione peccatorum quotidiana, An sit necessaria necne, & Regenitus perpendit argumenta, quæ in disputatione afferuntur pro & contra, ambigit quid statuat, vel, quid sentiat de conditione sua, & quoad tempus præteritum & quoad futurum: ab altera enim parte videt omnem ἀνομίαν in fidelibus esse peccatum, non minus quam in irregenitis. Et Apostolus (1. *Joh.* 1.8.) loquens de se & omnibus reliquis fidelibus, ait, *Si diximus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Et docuit Dominus omnes discipulos suos quoties petunt panem quotidianum, petere etiam Remissionem peccatorum. Ex altera vero parte videtur Remissio quotidiana non esse necessaria, 1. Quia Remissio peccatorum est unum ex privilegiis Ecclesiæ Regenitorum:

rum: & de eo in summula fidei habetur articulus, *Credo Remissionem peccatorum*. 2. Credimus Christum plenè persolvisse pretium Redemptionis Electorum ab omnibus peccatis, 1.*Joh*.1.7. *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omnibus peccatis*. 3. Non sumus sub Lege sed sub gratia: ubi autem Lex non est, non est transgressio. 4. Si necessaria esset quotidiana Remissio, necesse etiam esset singula peccata actualia ab originali peccato quotidie & continuò fluentia cognoscere, cum dolore agnoscere, confiteri coram Deo, & Remissionem eorum à Deo petere, quod est impossibile. Sufficit igitur, ut videtur, generalis in justificatione data Remissio peccatorum præteritorum & futurorum, ut, cum continuo fluente peccato, continua fluat Remissio. Quæritur, quid hic statuat Regenitus & quid faciat?

Resp. 1. Negandum non est esse in Regenitis peccatum originale, quod *peccatum inhabitans* vocatur: nam id confitetur Apostolus, *Rom*.7.13. ubi Concupiscentia dicitur peccatum *admodum peccans*. Ex quo fonte, fluere certum est, illa quæ quotidianæ incursionis vocantur, peccata innumera actualia: quorum aliqua subinde erumpunt in aperta scandala. 2. Agnoscimus etiam non posse dari propriè dictam Remissionem actualem peccatorum futurorum, quorum homo nondum est reus: ea enim non esset Remissio, sed quædam indulgentia & licentia ad peccandum, qualem commentus est homo peccati ad indulgendum mancipiorum suorum pravis cupiditatibus; & ad emulgendum, ex ipsorum marsupiis, pretium iniquitatis luculentius. 3. Si daretur in justificatione Regeniti actualis propriè dicta Remissio peccatorum futurorum, peccata quotidiana non mererent mortem, peccati stipendium, non contraheretur per ea quotidie debitum remittendum, nec teneretur peccans vel reatu culpæ vel pœnæ: contrarium autem manifestum est in Oratione Dominica, in qua fideles docentur quotidie confiteri se debitores esse, & remissionem peccatorũ quotidie petere. Ut igitur solvatur quæstio, distinguendæ sunt acceptiones variæ *Remissionis* peccatorum, 1. *Remissio* peccatorum accipitur aliquando pro *remissione parta* per Christum ex fœdere Redemptionis, & nondum applicata peccatori: pactum est enim inter Patrem & Filium Redemptorem, ante jacta mundi fundamenta, de tollendis Electorum peccatis, per unicum Christi sacrificium, quod ille in plenitudine temporis obtulit, *Heb*.10. 12, 13, 14. *Hâc vero unicâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victimâ, consedit ad dextram Dei: quod reliquum est expectans, donec inimici ipsius statuantur scabellum pedum ejus: unicâ enim oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur*. 2. Remissio peccatorum sumitur pro *Remissione pacta*, seu, promissa in fœdere gratiæ, cum

cum visibili Ecclesia inito: quâ promissione, ut semine incorruptibili, generantur Deo credentes seu filii Dei, 1. *Pet.* 1.23. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.* 3 Sumitur pro Remissione *judicialiter applicata* jam credenti in justificatione, per sententiam Dei in Scriptura pronunciantis absolutionem uniuscujusque credentis in Christum: Et hic triplex beneficium confertur in credentes justificatos: primum spectat ad statum personæ, & est adoptionis privilegium, seu, jus ut filii Dei sint, *Joh.* 1. 12. *Quotquot autem eum acceperunt, dedit iis hoc jus ut filii Dei essent, nempe, iis qui credunt in nomen ejus.* Per hoc beneficium transfertur peccator à statu iræ in statum gratiæ, ex filio Diaboli, fit filius Dei adoptivus, ex familia Dei nunquam penitus ejiciendus. Secundum beneficium, est, actualis Remissio omnium præteritorum peccatorum, seu, non imputatio peccatorum ante Conversionis momentum præteritorum, *Rom.* 3, 25. Et hæc duo beneficia comprehendunt lotionem, seu, puritatem personæ totius, respectu Status, de qua Christus loquitur, *Joh.* 13.10. *Dicit ei Iesus, Ei qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Tertium beneficium, est, jus ad quotidianam Remissionem peccatorum, seu, aditus ad fontem quotidie fluentis misericordiæ, qui aperitur in domo *Davidis* omnibus credentibus in Christum, *Zecha.* 13.1. *Die illo erit fons apertus domui Davidis, & habitatoribus Jeruschalaimorum, pro peccato & immunditia.* Hujus juris applicatio respectu conditionis, vocatur à Christo *lotio pedum, Joh.* 13.9.10. Et hîc solvitur nobis quæstio per Christum, qui docet justificatum, seu semel lotum, (quoad *statum* personæ) non habere opus ut denuo lavetur, sed (quoad *conditionem* personæ in quotidiana conversatione, in qua affectus & actiones particulares quotidie polluuntur) opus habere lotione repetitâ, seu, quotidianâ Remissione: in quem finem jubentur discipuli precari quotidie, *Remitte nobis debita nostra.*

Quod ad objectionem primam, quæ proposita fuit adversus necessitatem quotidianæ Remissionis. *Resp.* Articulus fidei in quo credimus Remissionem peccatorum, non impedit quo minus quotidiana Remissio sit necessaria: sed contra, in hoc Articulo fidem nostram profitemur, non tantum de Remissione data nobis in justificatione personæ nostræ, sed etiam de jure nobis facto ad Remissionem quotidianorum peccatorum actualium à reliquiis inhærentis peccati fluentium; & quod credamus Remissionem concedendam quotidie resipiscentibus propter Christi meritum.

Quod ad secundam objectionem attinet: Christi plena persolutio pretii Redemptionis nostræ ab omnibus peccatis, probat quidem nullum aliud esse Sacrificium pro peccato, præter illud unicum semel oblatum à Christo,

nec

nec opus esse ut quotidie offeratur hostia pro peccato; sed non probat pactæ Remissionis applicationem non nisi semel faciendam esse, sed fidem fidelis resipiscentis roborat ad petendum quotidianam Remissionem peccatorum quotidianorum: quia Christus pretium jam persolvit, ut personæ semel lotæ in justificatione veniant ad fontem apertum in domo Christi, seu, in Ecclesia, ad lavandum pedes suos quotidie. Deniq;, quod dicitur *nos non esse sub lege, sed sub gratia*: non abolet Legem, sed tantum docet nos esse liberos à fœdere operum, per quod omnes sumus obnoxii iræ, & propter peccatum condemnati. Sublato autem fœdere legali, manet ipsa Lex, quæ & naturâ & tempore præcessit fœdus operum: nec magis tolli debet, quam creaturæ rationalis obligatio ad obediendum Creatori aboleri potest. Justificati igitur, ad gratitudinem nostram testandam, tenemur Legem custodire; & quotiescunque Legem transgredimur, reatu tenemur & culpæ & pœnæ: & certò periremus, nisi Christi Advocati nostri apud Patrem intercessione ab utroque reatu liberaremur; & actum esset de nobis, nisi confitentibus peccata, fidelis & justus Deus remitteret nobis peccata nostra, & purgaret nos ab omni iniquitate, 1. *Joh.* 1. 9. & 2. 1.

Quod ad ultimam objectionem attinet, ab impossibilitate cognoscendi & confitendi singula peccata quotidiana; vel, resipiscentiam & fidem circa illa singillatim exercendi. *Resp.* 1. Agnoverunt olim fideles justificati peccata sua innumerabilia esse, *Psal.* 40. 12. *Nam circundantia invadunt me mala innumerabilia: assequuntur me iniquitates meæ, adeo ut nequeam dispicere, numerosiores sunt capillis capitis mei.* Et *Prov.* 20. 9. & noverunt impossibile esse ut quisquam sciat errores vitæ suæ; & tamen ea in cumulo confessi sunt, & Remissionem eorum petiverunt & obtinuerunt, *Psal.* 19. 12. 13. *Errores quis intelligat? me ab occultis absolve: Tum à contumaciis subtrahe servum tuum, ne dominentur in me; tunc integer & insons ero à defectione magna.* Et *Mic.* 7. 19. Secundo, justificati per fidem, confitentes peccata quæ noverunt & meminerunt, acceptantur à Deo quasi omnia novissent, & in confessione recitassent singula: quia is qui non vellet excusare aut abscondere peccatum suum; sed contra, vellet omnia aperire in cordis sui sinceritate si posset, Veritatem dixit in præcordiis, in qua Deus delectatur; spiritum fractum & cor contritum obtulit: quod sacrificium Deus non spernit, *Psal.* 51. 8. 19. Atque hoc testatur *David* se expertum esse, *Psal.* 32. 5. *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam: dixi, confitebor transgressiones meas Jehovæ, & tu sustulisti pœnam peccati mei.* Idem docet nos Christus (de Publicano loquens) quod descenderit à Templo domum suam justificatus, post brevissimam

ſimam confeſsionem peccatorum ſuorum, *Luc.*18.13,14. Tertio, licet impoſsibile ſit reſipiſcentiam & fidem circa ſingula peccata quotidiana ſingillatim exercere; non tamen eſt impoſsibile, poſt examinationem Conſcientiæ quotidianam, aliqua peccata obſervare, quæ dum confitemur & deflemus, non eſt impoſsibile, etiam ob peccatum innatum, ejuſque acerbos fructus in cumulo, humiliari, & ad Chriſtum confugere; Atque ita fidem & reſipiſcentiam exercere quotidie. Atque hoc Deus docebat populum ſuum in quotidiano & jugi Sacrificio, bis ſingulis diebus (manè ſcilicet & veſperi.) oblato, ut, obſervantes corruptæ naturæ ſuæ tabem continuò fluentem in quotidianis peccatis, ſubinde confugerent ad Agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi; ut, propter ejus ſacrificium in plenitudine temporis ſemel offerendum, Remiſsionem quotidianorum peccatorum jugiter obtinerent. Et ne hoc officio perfunctoriè defungerentur, numerum Sacrificiorum augeri mandavit in Sabbatis & Feſtis ſolennioribus; fidemque credentium de efficaci fructu ſequuturo, per ſummi Sacerdotis admiſsionem cum ſanguine in Sanctuarium quotannis, confirmabat. Idem Deus per *Moſem* docuit Iſraelitas ictos à Serpentibus in deſerto, & confitentes peccata ſua, *Num.*21.8. *Edixit vero Jehova Moſi, Fac tibi æneum ſerpentem, & impone eum perticæ: eritque ut quiſquis morſus fuerit, quum aſpexerit eum, ſanitatem recipiat,* Id quod optimo ſucceſſu compertum fuit, ut habetur verſ.9. Nam prout *Moſes* extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportuit Filium hominis, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, *Joh.*3.14,15. Quapropter neceſſe eſt, ut non tantum condemnati per Legem, ſecundùm fœdus operum, confugiant ad Chriſtum in Coverſionis articulo ut juſtificentur; ſed etiam, ut, juſtificati per fidem ſubinde peccantes adverſus legem libertatis, quotieſcunque morſu Conſcientiæ, veneno peccati infectæ vulneratos & moribundos ſe ſentiunt, confugiant ad Chriſtum, vitæ ſpiritualis fontem & reſtauratorem, ut jugiter fluentis miſericordiæ & Remiſsionis quotidianæ beneficium conſequantur: hoc enim mandatum eſt, 1.*Joh.*2.1. *Quod ſi quis peccârit, Advocatum apud Patrem habemus, Ieſum Chriſtum juſtum:* Et ab ipſo Chriſto Redemptore, *Iſa.*45.22. *Reſpicite ad me, & ſervabimini omnes fines terræ.* Interim ex altera parte caveat æger ne in actibus fidei vel reſipiſcentiæ repetitis, in precibus, jejunio, vel ullis ſuis operibus ponat meriti quicquam: alioqui Remiſsio non peteretur à Deo, ſed ſatisfactio quædam pro peccatis Deo offerretur: Ex altera vero parte ne deſpondeat animum, licet ſenſum Remiſsionis peccatorum quotidianorum non percipiat quotidie; ſed reſpiciat ſententiam Dei, in Scriptura judicialiter remittentis quotidie, & purgantis peccata

 ſeriò

ſeriò confugientium ad Chriſtum ; & in animi ſubmiſsione expectet operationem Spiritus Sancti , qui Remiſsionem judicialem in Scriptura declaratam , per conſolationem renovatam , tempore accepto obſignabit,

*Quæſt.*10, Agitatur quæſtio inter Theologos de qualificationibus præparatoriis ad fidem, vel fidem ſalvificam antecedentibus, An ullæ ex his, vel, an omnes ſimul ſumptæ ſint ſalvificæ ? ſeu, An ſint ex illis melioribus donis quæ connexionem neceſſariam habent cum ſalute ? de quibus, *Heb.6.9.* In præparatoriis autem qualificationibus, & à vera fide ſaluteque ſeparabilibus numerantur, 1. Legalis convictio de vitiorum turpitudine, & mundi præſentis vanitate. 2. Abnegatio voluptatum illicitarum, conjuncta cum ſevera corporis caſtigatione, in abſtinentia à licitis. 3. Naturale deſiderium ſalutis & ſanctificationis, ut ſalus obtineatur. 4. Propoſitum juſtè, piè, & ſobriè vivendi, & morum externorum adeo perſpicua mutatio in melius, ut ſecundum Legem non ſit cauſa reprehenſionis ab hominibus : quæ omnia & multa hujuſmodi alia ſpecioſa Converſionis ſigna poſſunt eſſe in Phariſæo juſtitiario, ſeu, juſtitiæ inhærentis (ut ita dicam) fiduciario, ut, e.g. in *Paulo* nondum converſo, qui cum aliis Judæis, ignorantibus Dei juſtitiam, & ſuam juſtitiam quæ eſt ex operibus affectantibus, (*Rom.*10.3.) nihil reliqui faciebat ad commendandum ſe Conſcientiis aliorum Phariſæorum, & perſuadendum Conſcientiæ ſuæ de integritate ſua in rebus quæ ad Religionem ſpectabant; Quod etiam invenire licet in Pontificiis aliquibus, bonorum operum ſtudioſis, qui ex operibus ſuis juſtificari volunt, & juſtitiam quæ eſt ex fide in Chriſtum, per imputationem rident , & *putatitiam* vocant. Certum eſt etiam inter Profeſſores fidei in Chriſtum , & juſtitiæ imputatæ prædicatores , inveniri poſſe multos , qui gratiam Dei vertunt in carnis licentiam ; & quando juſtitiam imputatam ſuam eſſe gloriationem profitentur, in dedecus ſuum indulgent carnis ſuæ illicitis cupiditatibus, & juſtitiæ inhærenti non dant operam, ſicut decet diſcipulos Chriſti , qui diſcipulos ſuos juſtificatos per fidem urget ut ſtudeant obedire Legi ; quia non venit ut ſolveret Legem, ſed ut eam ſtabiliret, unicam regulam obedientiæ novæ. Similiter, inter eos qui profitentur juſtitiam per fidem, & ſtudent in obedientia præceptorum ambulare, invenientur multi qui ſæpe reſpiciunt ad inhærentem juſtitiam , magis quam ad juſtitiam imputatam, ut ex Cap.7. lib.2. patet. Hæc quando altius perpendit Regenitus, dubitat quid de ſe ſentiat, vel quæ ſigna agnoſcere debeat ſalvificæ fidei in ſe, & in aliis, quos cuperet in afflictione conſolari, & jubere ut de ſalute ſua benè ſperarent.

Resp. Distinguenda est quæstio, quatenus spectat ad ipsum Regenitum *de se* judicantem, & judicantem *de alio*: nam Regenitus seipsum examinans & explorans, cognoscere potest solidè, & certò persuaderi de Dei operationibus salvificis in seipso: quia (1 *Cor.* 2. 11, 12.) dictum est, *Quis hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo? Nos vero accepimus Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus.* Duæ igitur quæstiones moveri possunt à Regenito judicante seipsum: prima est, An in se reperiat, una cum fide sua in Christum, supradictas operationes Spiritus, nempe, seriam agnitionem peccatorum, omissionis & commissionis quæ vocantur, & sensum innatæ concupiscentiæ seu pravitatis nativæ, & studium bonorum operum una cum fiduciæ in operibus suis abnegatione, & justitiæ Christi imputatæ jugi exaltatione. Si ita, bene habet; nam illa dona, quæ sine fide censeri possent communia, si comperiantur conjuncta cum fide, censenda sunt dona specialia, & Electis propria: nam (*Phil.* 3. 3.) Apostolus conjunctionem fidei in Christum, & servitii Deo præstiti in spiritu, & renunciatæ fiduciæ in operibus, posuit pro characteristica nota Regeniti; *Nos* (inquit) *sumus Circumcisio, qui servimus Deo in spiritu, & gloriamur in Christo Iesu, nec confidimus in carne*, seu, in operibus nostris vel dignitate nostra, seu in ulla re extra Christum.

Alia quæstio est: An illa, sua agnitio peccati & iræ meritæ, illud propositum suum renunciandi peccatis & studendi bonis operibus, illa sitis, & illud desiderium justitiæ & reconciliationis cum Deo per Christum quæ præcesserunt observatam suam applicationem Christi ad justitiam & vitam, fuerint operationes Spiritus Sancti communes an speciales? fuerintne salvificæ qualificationes, an non? *Resp.* Non multum refert curiosè in hac indagatione insistere: nam, cum regnum Dei non semper veniat cum observatione, difficile est inchoatæ Regenerationis determinare initium. Verum hactenus inquirenti satisfieri potest, quod licet ante fidei salvificæ manifestationem, non potuerit Regenitus speciale opus Spiritus Sancti in se discernere; post Conversionis suæ tamen agnitionem retrospiciens, poterit vestigia Dei ipsum efficaciter vocantis perspicere: nam, ante actus fidei elicitos, datur vita spiritualis, datur fidei habitus: qui habitus idoneum reddit hominem ad recipiendum omne Verbum Dei revelatum prout offertur ei, & prout visum est Spiritui Sancto uti suo verbo tanquam instrumento, in reformatione imaginis Dei in vivificato. Fides ergo in Lege, tanquam in speculo, videt peccata & agnoscit iram annexam peccato, credit & terrefacit Conscientiam: fides audiens Dei gratiam in Christo, credit Deum veracem

& bonum esse; gratiam desiderabilem videt & agnoscit; videt in Verbo justificationem per Christum possibilem esse, & resipiscentiam necessariam esse, & nihil in pretio haberi apud Deum præter novam creaturam; credit nullam fidem, nisi laboriosam & frugiferam, salvificam esse; videt & credit Christum esse sapientiam, justitiam, sanctificationem, & redemptionem omnibus fugientibus ab ira ad Christum, ut in eo habeant justitiam & vitam æternam; excitatur in credente, qui Legis opus in se sentit, & Christum remedium videt in Evangelio oblatum, desiderium accedendi ad Christum, & potiundi eo; credit Deo offerenti sibi Christum Redemptorem jam desideranti cum Christo unionem & communionem habere; corde recipit oblatum Christum, & cum eo coalescit, eique adhæret contra omnes tentationes; ædificatur indies & roboratur in fide, & subindè perfunditur spirituali gaudio glorioso & ineffabili. Quis hîc statuat initium Regenerationis? quis pronunciabit hîc de Spiritus Sancti operationibus, fuerintne speciales an communes in Electo? cùm certum sit, fidem illam quæ jam gloriatur in Christo, non ita pridem respexisse ad Christum cum desiderio potiundi eo, priusquam ausa fuerit manus ad Christum extendere; & cum certum etiam sit, vitam novam infusam fuisse, & fidei, spei, charitatis & resipiscentiæ habitus infusos esse, priusquam actus eliciti ex habitu educti sint: nam certum est, quod salus data fuerit eo momento, quo Deus Electum suum vivificavit, ut Legi & Evangelio crederet, etiamsi nec ipse tum perspexerit salutem datam; nec quisquam potuerit affirmare prima effecta fidei salvificæ, fidei salvificæ effecta fuisse; vel fidei effecta, qua salvifica est, ea pronunciare.

Quod ad quæstionem de qualificationibus salvificis in aliis, an ullæ dici possint salvificæ, ante fidem salvificam in illis manifestatam? *Resp.* Certum est quod nulla qualificatio quæ præcedit fidem salvificam, vel, quæ sine fide esse potest in aliquo, salvifica dici possit. Et hujus veritatis assertio in genere conducit ad urgendum, ut unusquisque caveat sibi ne fiduciam collocet in ulla sui qualificatione quantumvis excellenti & speciosa; sed ut studeat se per fidem coram Deo in Christo sistere cœcum, egenum, nudum, miserum, impotentem ad bonum, & ad omne malum per naturam proclivem, eoque nomine per Legem damnatum; & ut Christum unicum illud & necessarium remedium ad justitiam, sanctificationem & salutem perfectam, amplectatur. Sed quando ad specialem applicationem à Pastore faciendam ventum est in consolatione lugentis peccatoris, & dicentis cum *Petro*, *Domine, discede à me homo sum peccator*, non licet suspicionibus nostris de fructus sinceritate indulgere, nempe, quod fortè hæc quæ apparent effecta Spiritus in eo, sint tantum à Spiritu communiter operante: fieri enim potest ut comperiantur

fuisse

fuiſſe effecta Spiritus ſpecialiter operantis in Electo ſuo converſionem; imo effecta Spiritus qui jam vivificaverat lugentem & dubitantem, & fide ſalvifica jam eum imbuerat, licet nondum opus ſuum quod fecit vel ipſi ægro vel inſpectanti manifeſtaverit: non enim à conſiliis poſuit nos Deus in aliorum Converſione; non conſtituit nos Dominos nec Judices alienæ fidei, Sed ſervos tantum & adjutores fidei. Quapropter utut nobis non appareant ſigna ſalvificæ fidei in aliis, utut nihil videamus præter id quod in communibus donis reperitur, Inſtituamus tamen eos in quibus præparatoriæ qualificationes reperiuntur ita ut ad Reſipiſcentiæ & fidei incrementum contendant: nec opus eſt ut poſitivè aliquid de iis affirmemus.

Quæſt. 11. Dicat ex Regenitis aliquis, mihi videor liberius precari in ſocietate, quam in ſecreto; cum amico, quam ſolus; cum familia, quam in conclavi; & quando ex vicinis aliquis inter precandum adeſt in familia mea, longe copioſior ſolet eſſe precatio mea, dictio magis polita, ſententiæ clariores, notiones ſublimiores, & omnia ad zelum & fervorem, & ad Spiritum demonſtrandum magis compoſita, quam quando ſolus in ſecreto precor: Quid de hac conditione mea ſentiam neſcio?

Reſp. Caſus hic certè dubius eſt; neque facile eſt rem plenè explicare: ſolet enim Deus, ad aliorum ædificationem & gloriam ſuam, donum precationis hominibus datum in uſum uberiorem coram aliis educere: & fieri etiam poteſt, quod tu in precando ſtudioſior ſis tuæ æſtimationis apud alios quam ſatis eſt; & quod in eum finem, donum magis in te ſuſcites, magis attendas ad orationem tuam, obſerves auditores magis, eiſque te commendare ſtudeas. Utrum ergo ex vana gloria, an vero ex puro Dei zelo fluat mutatio ſeu diſparitas prædicta tibi ipſi examinandum relinquimus: nemo enim hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo. Tantum monendus es, ut & in familia, & in ſecreto quando ſolus, & cum aliis precaris, memineris te Deum in Chriſto alloqui, & ut ſemper ſtudeas, ſive ſolus ſive cum aliis preceris, Deum in ſpiritu colere.

Quæſt. 12. Dicet alius, Contra, res ſe habet apud me: videor enim mihi liberius precari in ſecreto quam in ſocietate; quando ſolus ſum, quam quando cum alio, aut aliis, precor: in ſecreto enim non diſtrahor, reſpiciendo ad auditorem, quid ille de me ſentiat; non hîc metuo ne Deus in deteriorem partem conſtruat ſententiam aliquam orationis meæ; licet mihi apud Deum orationem interrumpere, meditationes interm iſcere, geſtus ad affectus liberè componere, & lachrymas ſine obſervatione & ſine ſuſpicione ſimulationis effundere; licet mihi in ſecreto verba pauca pro oratione longiori proponere; licet mihi hîc ſine verbis ſuſpirare & nihil dicere, & linguâ

 ali-

aliquando à tergo relinquere, ne me tardaret, quando spiritus meus clauso ore Deum alloquitur, & desideria mea velociori cursu ad Deum feruntur quam posset lingua mea sequi: multa enim petã, multa confitebor in secreto quæ non expediret alios scire; meam unius conditionẽ in secreto licet magis sincerè proponere, quam quando meam aliorumq; unà mecũ precantiũ conditionẽ in unũ compono, & orationem meã mihi simul & illis aptare studeo.

Resp. Difficile est hanc quæstionem solvere: sed ad examinationem dubitantis etiam hæc res referenda est: quia dona aliquorum ad societatis ædificationem non extenduntur, aliquorum imaginationes non tam fortes sunt, cogitationes non tam veloces, ut possint simul ad rem prolatam in oratione, & ad aures judiciumque auditorum attendere: & idcirco, quando ad precandum cum aliis ventum est, in vinculis & compedibus constringuntur, metuentes nè suam inscitiam prodant, ne in deteriorem sensum ipsorum oratio ab aliis trahatur; & ne, si oratio fluxerit liberius, videantur gloriam apud auditores captare. Sed & hìc dolus subesse potest, & nimius metus ne aliquid æstimationi tuæ apud alios detraheretur, si fortè in precatione ex voto omnia non successerint. Verum si nosipsos abnegaremus, & aliorum judicium de nobis, recta loquentibus, minus moraremur, sincerè & liberè magis & in secreto & in societate precaremur.

Quæst. 13. Dicet alius, comparans conditiones suas per vices redeuntes; Aliquando ægrè inducor ad precandum & in secreto & in societate: quando autem victus à Conscientia dictante quid debeam facere, ad orationem me compono, optimè succedit oratio; mihi à Deo lux de beneficiis petendis & ordo petendorum & affectus rebus respondentes suppeditantur: unde perspicuum redditur Deum me ad precandum vocasse. Aliquando autem contrà se res habet: nam, quando tempus & otium ad precandum dantur, quando precari maximè cupio, quando animus fert maxime ut à societate omni me segregem ad precandum, statim ac orationem ad Deum fundere incipio, obmutesco; nec vox, nec verba, nec sensus, nec ordo dicendorum suppeditantur, sed confusa omnia, obscura omnia, ligata in vinculis omnia precationis instrumenta comperio. Quando harum conditionum igitur comparationem instituo, quid de hac, quid de illa sentiam non constat?

Resp. Quod ad priorem conditionem attinet, res ipsa loquitur, juvat Deus accingentem se ad precationem, licet idoneum se non æstimet ad precandum: quia vult Deus nos officium facere, & respicere ad mandatum, ad vocationem nostram, & opus quod requiritur aggredi; non autem pendere à nobis & nostra præparatione; quia & dispositio cordis & formatio orationis sunt à Deo: vult nos Deus adversus tentationes, impedientes officii

ficii executionem, pugnare: & pugnantes juvat, vincentes coronat, ut discamus abundare in opere Domini, & minime abstinere ab officio quando ad illud præstandum vocamur; sed ad opus nos accingere, & auxilium in obedientiæ via expectare. Quod autem ad posteriorem conditionem attinet: in ea docet nos Deus officii præstationem, & præstiti successum non esse volentis neque currentis, sed miserentis Dei; docet nos hæc duo distincta esse dona, *velle* & *agere*; & quod possit, imo & soleat, alterum aliquando dare, altero non simul dato; docet nos in ea conditione non limitare Deum in precando, ut nobis det præsentiam prout nos vellemus; docet nos non tantum in precatione inchoanda, sed etiam in progressu precationis ab ipso pendere, ut pro voluntate sua nos ducat, nobis vires & verba & fructum suppeditet: nam sicut ab eo & ad eum omnia; sic etiam per eum sunt omnia: ipsi in quavis cunque conditione nostra semper gloria danda est.

Quæst. 14. Dicat aliquis, aliquando sudo in exercitio Religionis & mediorum à Deo institutorum usu, ut Spiritus consolatio renovetur: lego, meditor, precor, jejuno, confero cum aliis; nullam tamen consolationem sentio; non respondet mihi Deus; sentio inediam; faciem Dei studiosè quæro, ardet desiderium potiundi gaudio quod non ita pridem gaudebam; fides etiam mea apprehendit promissiones: nulla tamen sequitur pax, nulla consolatio; cor durum & quasi mortuum manet, instar filii Shunamitidis, quando *Gehazi* baculum *Elishæ* ei imposuit. Contra vero aliquando preces meas anticipat Deus; adest & respondet, priusquam orationem proferre possim; parresia est, quando os aperio, consolatio, pax, & lætitia inopinatò me circumcingunt: Quid in hac comparatione conditionum sentiam, nescio?

Resp. Quod ad priorem conditionem: in ea docet Deus se nos quidem alligasse ad mediis utendum, seipsum tamen liberum reservasse ut benedictionem det in mediorum usu, vel non det, pro beneplacito suo; ut det quando & qua mensura velit: in ea docet nos quod quæcunque beneficia dat nobis in usu mediorum, non dat nobis propter, sed per usum mediorum; & non esse virtutem ullam quasi physicam in mediis, sed media esse viam tantum, in qua nobis ambulandum, ut in ea Deum inveniamus; in ea docet nos mediis uti, nòn vero illis confidere: nam, sicut quando *Paulus* plantat & *Apollo* irrigat, Deus dat pro beneplacito suo incrementum; sic quando nos in usu mediorum officium nostrum facimus, Deus dat pro beneplacito suó consolationem. Quod autem ad posteriorem conditionem attinet, idem docet Deus, scilicet, quod liberè faciat quicquid facit; quod sapienter det quando opus est; quod ex gratia benefaciat, non ex operibus; & quod

fructum

fructum quem expectabamus in usu mediorum dare velit tempore non nostro, sed quando res ad nostram utilitatem, & ipsius gloriam maximè tendere posset: ut ita nec careremus fructu laborum nostrorum, nec fructum perciperemus tanquam meritam mercedem laborum.

Quæst. 15. Multos exercet quæstio de incremento mortificationis veteris & vivificationis novi hominis in se, utrum, scilicet, progrediantur in viis Dei, an vero declinent & retrocedant? utrum proficiant in crucifixione carnis & in Imaginis Dei reparatione, an deficiant? Quæritur qua ratione illis satisfiat?

Resp. Utilis quidem est quæstionis hujus agitatio in genere: quia in ejus solutione, signa sinceritatis, & doli in cordibus hominum latitantis proferuntur; & de ea solvenda viri eximii operam non pænitendam impenderunt. Sed applicatio solutionis ad alicujus conditionem explicandam, de qua dubium oritur, seu ad aliquem à quo Casus dubius proponitur, difficilis est: In conditione enim apertè mala, vel perspicuè bona, nemo dubitat; sed in illa se deficere, in hac vero se melius proficere agnoscit. Sic etiam quando quis comparans præsentem animæ suæ dispositionem cum pristina meliori, aut pristina deteriori, facilè determinat quomodo se jam habeat, comparatione ritè facta: nec hîc dubitat. Verum tum demum Casus dubius est quando quis in conversatione externa nemini scandalum ponit, quando in Religionis exercitiis publicis & privatis ita se gerit sicut consuevit, quando nullam notabilem observat mutationem in Dei erga se dispensatione ordinaria, & nullam sentit Conscientiæ suæ notabilem accusationem. In quo Casu de progressu in viis Dei ratione temporis nulla quæstio est, quin quo diutius quis in via Dei perseveraverit, eò plus iteneris ad cœlum confecerit: Sed si quæstio sit de mensura sanctitatis, de mensura mortificationis peccati, & renovationis hominis interioris, non est hic operæ-pretium curiosè inquirere quantum itineris in via Dei quis confecerit; sed præstat potius ea quæ à tergo sunt oblivisci, ad ea vero quæ à fronte sunt contendere, & cum *Paulo* (*Phil.* 3. 14.) versus scopum ferri supernæ vocationis Dei in Christo Iesu: nam, *Prov.* 25. 27. *Sicut comedere mellis plurimum, non est bonum; ita pervestigare honorem suum, inhonestum est.* Deinde, solet Deus à tyronibus aliqua ex parte abscondere operationes Spiritus Sancti, ne segnescant vel inflati insolescant; & solet ipsis potius ostendere operum suorum imperfectiones, ut proficiant in resipiscentia, humilitate, & fide in Christum. Denique tanta est conditionis bonæ instabilitas, tanta tentationum varietas, tanta alternantis victoriæ in pugna spiritus & carnis vicissitudo, ut nemo in hujus quæstionis solutione facilè sibi satisfaciat: nam, qui putabat jampridem

pridem in se mortuas esse cupiditates carnis momento redivivas, vegetas, valentes & prævalentes comperit, uti experientia sanctorum satis superque testatur: quam ob causam jussit nos Dominus vigilare & orare, ne incidamus in tentationem; admonuit per Apostolum, ut qui sibi videntur stare, caveant ne cadant. Quapropter studeat *dubitans* de incremento sanctificationis, operum suorum optimorum imperfectiones observare, propensionem corruptæ naturæ suæ ad peccandum, & peccata actualia subinde ab hac radice pullulantia, ita notare & ob oculos proponere, ut sibi magis magisque sordeat fiducia in operibus suis, & magis magisque à se in pretio habeatur justitia quæ est per fidem in Christum; & ut desiderium mortificandi veterem hominem, & perficiendi sanctimoniam in timore Dei ita foveatur, accendatur & augeatur, ut efficax in virtute Christi ad omne bonum opus reddatur: hac enim ratione, absque dubio, proficiet quotidie in melius, & in tremore operabitur salutem suam, & cavebit sibi à fiducia in carne & inani gloriatione.

Quæst. 16. In corporis afflictionibus diuturnioribus, in rebus adversis gravioribus, in persecutionibus acerbioribus, in tentationibus vehementioribus, in faciei Domini Dei nostri absconsionibus & desertionibus longioribus, certum est oriri in Sanctorum animabus Casus dubios innumeros: quibus, licet Regeniti de Statu suo non moveantur, de conditione sua tamen incerti quid statuant, plurimum agitantur & dubitant. Quoties enim Deus eos immediatè affligit, ipsis irasci videtur; similiter, si hominum odia adversus se ardere permittat, si Satanæ tentanti ad peccatum fræna laxet, si invocatus non respondeat, si supplicantes non exaudiat, si lugentes & animam coram ipso fundentes non consoletur, sed deserere diutius videatur, Quid mirum, si dubitationes, in Regenito etiam adulto, & in fide confirmato, de sua conditione & Dei dispensatione oriantur? Si ista concurrant, si diutius incumbant, quid sentiat quidve faciat Regenitus, quæritur?

Resp. Solet quidem Deus sæpe suos sic exercere, & mala malis cumulare, idque sanctissimo & sapientissimo consilio, & in Regenitos seu credentes in Christum, voluntate semper optima: de qua voluntate & benevolentia Dei erga se ut dubitent afflicti, nihil reliqui facit Diabolus: & nisi injectis suspicionibus per fidem resistat Regenitus, non poterit in conflictu consistere. Ut autem in his exercitiis fidem suam muniat & confirmet afflictus, *primo loco* confugiat ad Deum, & petat ab eo sapientiam quam solet petentibus concedere, ut sic caveat sibi ab animi confusione, seu, cogitationum involutarum perplexitate. Inque eum finem, 1. distinguat accuratè partes Dei affligentis, & Satanæ tentantis, & suiipsius patientis: ut Dei justitiam, Satanæ

tanæ malitiam, & suum ipsius meritum videat & agnoscat. 2. Distinguat peccatum à molestia, ut caveat in afflictione à peccato (quod magis metuendum est quam molestia ulla) nè murmuret, nè verbum ullum adversus Deum temerè effutiat, nè tentationibus ad incredulitatem cedat, nè graviora mala peccando sibi accersat. 3. Distinguat stolidæ, impotentis, & impatientis suæ carnis sensum, & ratiocinationes corruptas, à recto judicio spiritus sui renovati, credentis in Deum, & luctantis adversus tentationes Satanæ & carnis corruptelas, ut clarius cernere possit quid sit sui officii in fidei & resipiscentiæ exercitio dum affligitur. *Secundo loco*, nè sejungat Dei affligentis dispensationem à Dei verbo explicante omne consilium Dei erga filios suos quos affligit: in eumque finem, consideret operationes manuum ipsius, quomodo sanctos quorum nomina sunt in libro vitæ & in Scriptura, & quomodo ducem & Apostolum professionis nostræ unigenitum filium dilectionis suæ, exercuerit. *Tertio loco*, consideret, 1. quod Deus soleat per afflictiones, peccati virus & acerbos fructus ostendere, afflictos ad resipiscentiam de peccatis præteritis incitare, & à peccatis multis (in quæ possent castigati postea incidere) præmonere & præmunire, & latentes corruptelas cordis in apertum producere, nè postea decipiant; & soleat sic rerum mundanarum vanitatem demonstrare, carnis cupiditates mortificare, superbiam compescere, avaritiam sedare, & ambitionem domare & deprimere. Consideret, 2. quod soleat Deus per afflictiones in suis compassionem erga miseros movere, & submissionem animi, simul & obedientiam voluntati suæ revelatæ præstandam promovere, ad humilitatem, mansuetudinem, sobrietatem, temperantiam & patientiam eos formare. Consideret, 3. quod soleat Deus per afflictiones ad fidei specimen dandum afflictos vocare, ad graviora certamina eos præparare, ad precandum sæpius & ardentius incitare, ad beneficiorum despectorum & per afflictionem ablatorum, æstimationem in posterum majorem instigare, & ad gratiarum actionem pro iis beneficiis quæ restant aut postea dabuntur, erudire. Consideret, 4. quod Deus per afflictiones soleat afflictos ad Verbi sui meditationem & intelligentiam quærendam, ad justitiam, & Remissionem peccatorum sitiendam, ad cœleste gaudium ambiendum, ad consolationes spirituales petendas, & ad confugiendum in Christi Redemptoris (Thesaurarii & Thesauri omnis felicitatis) apertum sinum impellere. Nam sicut Lex est Pædagogus ad Christum; sic afflictio est Pædagogus ad Legem, & ad Christum liberatorem à maledictione Legis. Quare meminerit afflictus Deum neminem ex filiis suis ab afflictionibus immunes præstitisse, aut se exempturum promisisse; sed contra castigare solere omnes, quos in societatem felicitatis suæ recipit; meminerit Christum cru-

cem gestandam omnibus suis discipulis proposuisse, & imposuisse; & meminerit eundum nobis esse in cœlum per afflictiones plurimas.

Quod si afflictus videatur sibi à Deo desertus respectu operationum specialium Spiritus Sancti, bono sit animo, non omnino deseritur qui desertionem in hoc genere observat, & observatam ut afflictionem respicit. Si dilectus noster Dominus Iesus Christus se subduxit è conspectu afflicti, vestigia sua tamen unctione sui Spiritus odorata perfudit, ut desiderium revocandi sui in corde afflicti excitaret: desertio partialis est, non totalis; imo speciem desertionis habet, & non est realis, uti videtur. Quiescit Deus in amore suo, etiamsi effecta amoris sui ad tempus celaverit; conservat habitus salvificos in afflicto, licet eos in actus aliquos non educat: si subtrahit illuminationem, addit illuminationis æstimationem, & desiderium communionis; si subtrahit suam consolationem, auget dilectionem, & accendit in eo sitim vivificæ aquæ: & semper comperietur manus ejus in aliqua parte operis sui, ibique potissimum, ubi opem ejus afflicti necessitas maxime postulat.

Quod si visum fuerit Deo afflictum etiam committere cum persecutoribus & cum internis tentationibus Satanæ persecutorum principis (quicquid enim sancti sive à Diabolo sive ab istius satellitibus patiuntur in defensione justitiæ & pietatis, in defensione fidei & salutis suæ, contra rugientem Leonem illum, *persecutionem* meritò vocamus) semper præstò est Deus exercituum, nec sinit militem suum tentari supra vires suppeditatas; sed cum tentatione exitum ei aperit ut victor evadat; & coronam justitiæ custodientibus fidem, & Christi adventum diligentibus, tandem largitur. Quapropter humiliet se coram Deo afflictus desertus, internis tentationibus & persecutionibus vexatus; submittatque se omnipotenti Domino, nec dubitet de conditione sua quæ verbo Dei & sorti sanctorum omnium congruit: omnis quidem afflictio amara est potio, sed à Patre medico porrecta; ignis est, sed non consumet rubum; fornax est, sed nihil auferet de metallo, nam depascet scoriam tantum; labor est, sed qui tandem justitiæ fructus placidos afferet; lima certè aspera est, sed quanto asperior, tanto citius rubiginem absterget, & animam nitidiorem reddet, eamque, per Dei benedictionem, præstabit humiliorem in cogitationibus, ferventiorem in orationibus, constantiorem in fide, robustiorem in patientia, virtutum omnium amantiorem, communionis cum Deo colendæ studiosiorem, in conversatione innocentiorem, in Conscientia puriorem, & in fine feliciorem efficiet. Nè igitur laborem respiciat afflictus, sed fructum; non amaritudinem, sed sanitatem; non dolorem castigationis, sed dilectionem castigantis qui profitetur se castigare om-

nes quos amat, ne pereant cum mundo; nec detrectet pugnam,sed intueatur & expectet coronam; ne segnescat in ærumnis, sed perseveret fortiter in via Dei,quia etiamsi externus noster homo per ærumnas corrumpitur, internus tamen renovatur indies: dixit enim expertus ille Athleta, ut animos adderet omnibus sub cruce gementibus, 2.*Cor*.4.17,18. *Momentanea levitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis: dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur: Nam quæ cernuntur, temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna sunt.*

Quæst.17. Reliquiæ peccati in Regenitis sæpè reddunt ipsorum conditionem dubiam. Quando enim cupiditates carnis,quæ videbantur subjugatæ, debilitatæ, & admodum mortificatæ, momento per tentationem excitatæ, colligunt vires, & ab objecto oblato concipiunt flammam & ardent, non secus ac pruna jam penè extincta superinjecto pulvere sulphureo dicto citius accenditur, dubitant quid sentiant. Quando spiritus paratus est ad Deo serviendum, & voluntas adest ad bonum præstandum, caro non tantum infirmitatem, sed etiam inimicitias adversus omnem virtutem prodit; spiritumque oppugnat strenuè,ne possit præstare bonum quod vellet, vel perficere quod incepit, fit ut etiam Athletæ,sanctissimi servi Dei, nesciant aliquando quo se vertant,uti testatur Apostolus, *Rom*.7.14. *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex corpore mortis?* Augetur dubium,quia certum est non frustra Prophetas & Apostolos hortari nos ut sancti simus, sicut Deus noster est sanctus; nec frustra Christum jubere suos discipulos ut perfecti sint, sicut Pater noster in cœlis perfectus est, *Matth*.5.48. Certum etiam est, quod Deus omne peccatum odio habeat, & nihil præter peccatum odisse possit. Quæritur ergo qui fiat quod in sanctissimis, & Deo charissimis hominibus, non aboleatur peccatum statim post justificationem, sed maneant peccati reliquiæ, eæque adeo validæ & potentes, ut non tantum impediant renovatæ voluntatis executionem, sed etiam contraria voluntati renovatæ effecta mala producant,*Rom*.7.19?

Resp. Si quæratur ratio permissionis, seu, voluntatis Dei permittentis ut in mortali nostro corpore habitent peccati reliquiæ, Nulla superior ratio voluntatis Dei reddi potest, aut requiri debet: Satis est ad curiositatem nostram sistendam, quod Domino Deo Medico nostro sanctissimo & sapientissimo visum fuerit paulatim & pedetentim imaginem suam in Regenitis restaurare, & ad perfectionem paulatim perducere, & morbos nostros, quibus per naturam corruptam laboramus, non nisi gradatim curare. Hanc rationem in creatione sequutus est, nam opus suum non nisi sex die-

bus

bus absolvit; non nisi aliquot mensibus semen satum in terra quotannis, ad incrementum & maturitatem perducit; non nisi aliquot annis nos infantulos, ad staturæ roborisque perfectionem destinatam, evehit: Sed si quæratur, qui sint fines & usus mali quod in nobis habitare permittitur? Variæ rationes,& illæ quidem in bonum nostrum tendentes afferri possunt, 1. Militantem Ecclesiam differre decebat à triumphante; & statum Sanctorum in cœlo, immutabilem perfectionem sanctitatis & felicitatis possidentium, distare oportebat à varia & mutabili conditione viatorum, in polluta & misera lachrymarum valle ambulantium, ut hujus conditionis miseræ experientia, illam beatam vitam commendaret, & desiderabiliorem redderet. 2. Sicut Deus Cananæos subjugatos non statim expulit è terra sancta,ut Israelitæ exercerentur, & militandi rationem discerent, experientiâque suâ scirent victoriam quam reportaverant de Cananæis, non esse partam ipsorum gladio vel arcu; sed datam esse à Deo exercituum, qui copias ipsorum in hostem ducebat, & prosperabat; Sic Deus ex iis quos à Diaboli dominio eripuit, & quibus jugum peccati regnantis fregit, reliquias peccati non statim expellit; sed permittit hærere, ut sciant Regeniti victoriam de Diabolo,Mundo & Carne in Conversione concessam, Deo soli, non autem arbitrio suo libero, non naturæ suæ viribus acceptam referendam esse. Cum enim jam Regeniti non possint debellatos, fractos & palantes Diaboli satellites in se superare, Quam gloriam libero arbitrio suo & viribus suis tribuent in rumpendis præpotentis adversarii vinculis in die Regenerationis suæ? 3. Regenitis Deus ita infudit habitus fidei, spei,& dilectionis erga Deum & proximum,ut palæstram illis reliquerit his virtutibus exercendis in bello contra peccati reliquias indicto. 4. Requiritur ab omnibus qui veniunt ad Christum, ut abnegent seipsos, & tollant quotidie crucem suam, & sequantur ipsum: ad quæ officia præstanda, argumenta non levia quotidie suppeditantur à peccati reliquiis. Quis enim Regenitus vanitatem, stultitiam, ignorantiam mentis, voluntatis perversitatem, & facultatum omnium impotentiam ad bonum, perspiciens; peccata sua, suamque porro ad peccandum propensionem observans, non abominetur seipsum, non agnoscat necessitatem crucis ad mortificationem carnis suæ,& non stimuletur ad Christum Redemptorem sequendum? 5. Ad humilitatem fovendam, ad deprimendam & comminuendam superbiam,ne cristas denuò erigat, nullum efficacius medium adhiberi potuit,quam permittere ut camarina peccati inhabitantis per tentationem commoveatur. Hoc enim expertus est Apostolus, 2. *Cor.* 12.7. *Ne excellentiâ revelationum supra modum efferrer, datus est mihi surculus infixus carni, angelus Satanæ, ut me colaphis caderet, ne*

supra modum efferrer. 6. Ad infirmitatem Athletarum robustissimorum demonstrandam, nihil accommodatius erat, quam reliquiarum peccati eductio in prælium contra novam creaturam: nullus ad precandum, & ad implorandum Dei auxilium contra vim peccati stimulus acrior esse poterat, quam infirmitatis novi & virium veteris hominis præsens aliquis sensus: Id etiam docet Apostolus, 2.*Cor.*12.8. *Super hoc ter Dominum rogavi, ut abscederet à me.* 7. Ad demonstrandam amplitudinem potentiæ & gratiæ Dei, sustinentis, lavantis, & consolantis saucios suos milites in conflictu cum reliquiis peccati, quantoperè faciat luctæ hujus continuatio, testatur responsio Dei ad precationem Apostoli, ibidem, vers.9. *Sed dixit mihi, sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem ad finem suum perducitur.* 8. Corporis peccati deformitas, Concupiscentiæ corruptæ pravitas, peccati inhabitantis malitia, carnis fœditas & pollutio, veteris hominis astutia, inimicitiæ & odium adversus Deum difficulter observantur; imo impossibile est monstrum hoc horrendum ingens uno intuitu cernere; impossibile est lernam hanc malorum uno mentis actu concipere, vel proportionatò odio prosequi: opus ergo erat, ut, repetitâ experientiâ, & per partes, in conflictu cum variis peccati inhabitantis motibus, quantum hoc sit malum disceremus, & ut peccati corpus in resipiscentiæ & mortificationis actibus repetitis, ad mortem usque persequeremur. 9. Per peccati in nobis reliquias, Deus excitari nos vult ad vigilandum adversus hostem nostrum, & ad πανοπλίαν Dei induendam: quia nobis pugnandum est non tantum cum carne & sanguine fragili, sed etiam cum præpotentibus hostibus spiritualibus, *Ephes.* 6. ut qui sibi stare videntur, caveant ne cadant. 10. Conscientia peccati in nobis inhabitantis facere debet ut nos misereſcat infirmorum fratrum nostrorum in peccato lapsorum, & omnium etiam irregenitorum in peccato jacentium, sicut docet nos Apostolus, *Gal.* 6.1. *Fratres, etiamsi praoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales instaurate hujusmodi hominem cum Spiritu mansuetudinis, considerans unusquisque temetipsum, ne tu tenteris.* Et *Tit.*3. 2,3. jubet nos *omnem exhibere lenitatem erga quosvis homines: quia eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes.* 11. Sed quod præcipuum est, consideranda nobis est naturalis illa nobisque intimè inhærens controversia cum Deo, de justificationis ratione: nos enim per naturam cum Israelitis (*Rom.* 9. 32.) minimè sectamur justitiam Dei imputatam quæ est ex fide, sed eam solam quæ est ex operibus, cap.10.3. Et sicut illi ignorantes Dei justitiam, propriam justitiam

stude-

ſtudebant conſtituere,& juſtitiæ Dei non fuerunt ſubjecti; ſic nos etiam licet converſi ad Chriſtum, juſtitiamque per fidem in illum ſemel accipientes, non ſatis noſtræ juſtitiæ imperfectionem agnoſcimus: juſtitiæ imputatæ perfectionem non ſatis apprehendimus, nec ſatis ei adhæremus, non ſatis in ea pedem figimus; imovero quando juſtitiam inhærentem maximè imperfectam perſpicimus, nimium ſæpe juſtitiam Chriſti imputatam negligimus,& ex ea nec conſolationem,nec robur ad pugnandum contra tentationes ad infidelitatem ſatis cordatè concipimus, ut in ſupra dictis ſæpius oſtenſum eſt. Quid igitur faceremus quæſo, ſi pro voto ſuccederent conatus noſtri ad juſtitiam noſtram ſtabiliendam, ſi peccati vires, noſtramque impotentiam ad Legi ſatisfaciendum non cogeremur convicti ſubinde agnoſcere? Certè quicquid verbo præ nobis ferremus, re ipſa cum Galatis ad juſtitiam ex operibus quærendam reverteremur, & à Chriſto & gratia ejus excideremus.

Quapropter, conſultiſſimus noſter Medicus Ieſus Chriſtus paulatim reparando Dei Imaginem in fidelibus, lentè ſanando eorum morbos, & mortificando gradatim corpus peccati in iis,gloriæ ſuæ ſimul & ſaluti noſtræ optimè proſpicit: nam ita in momento juſtificat confugientes ad ſe per fidem, ut uſus & fructus juſtificationis (per ſubinde repetitam beneficii applicationem) eſſe poſſit quotidianus; & ita juſtificat credentes in ſe, ut per juſtificationis beneficium promoveat ſanctificationis opus; & ita ſanctificat juſtificatos,ut & præjudicium nullū creetur juſtificationi per fidem,& ſimul fiducia in operibus quotidiè minuatur; & ita minuit fiduciam in operibus, ut ſtudium bonorum operum in Legis obedientia non impediatur, ſed magis magiſque promoveatur Solos enim judicantes ſeipſos,& ſecundùm Legis ſententiam ſe condemnantes,& fiduciæ in operibus ſuis renunciantes, vocat ad ſe, ut juſtitiam Dei in Evangelio revelatam, per fidem nanciſcantur; *Non veni vocatum juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam.* Efficaciter vocatos ſeu venientes ad ſe per fidem, non ejicit foras, ſed recipit & juſtificat; *Rom.*8 *quos vocat juſtificat.* Juſtificatos omnes indies magis magiſque renovat, & reformat ad glorioſam imaginem ſuam in juſtitia & ſanctitate; *quos juſtificat,eos etiam glorificat,* ſeu,à gloria inchoata, ad gloriam perfectam, per gradus deducit,uti exponit Apoſtolus,2.*Cor.*3 18. *Nos autem omnes retectâ facie, gloriam Domini, quaſi in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, ſicut à Domini Spiritu.* Glorificationem autem hanc promovet Chriſtus non niſi gradatim abolendo peccati reliquias, cum quibus luctandum nobis eſt quandiu degimus in hoc mortali corpore, ex parte carnales, ex parte ſpirituales, ex

parte novæ creaturæ, & ex parte veteres homines, habentes in nobis carnem, quæ concupiscit adversus spiritum; & spiritum, qui concupiscit contra carnem, *Gal*, 5.17. Poterat Christus momentò nos in plenam libertatem vindicare. Verum reservat hoc in diem Triumphi & reparationis omnium, ut tantisper cum hostibus devictis, sed nondum abolitis, luctemur; & vinculorum reliquias deponere, magis magisque laboremus.

Inserviunt ergo peccati reliquiæ in fidelibus ad commendandam justificationis per fidejussorem Christum ineffabilem illam gratiam, in qua aperitur confugienti ad Christum scaturigo & fons, non tantum ad judicialiter lavandum personæ suæ statum; sed etiam ad pollutiones pedum, quotidie contractas in conversatione, lavandas per quotidianam remissionem peccatorum, *Luc*.11,3,4. *Matth*.6.11,12. *Joh*.13.9,10. Atque ita beneficium justificationis gratuitæ quotidie redditur nobis novum, quod alioqui obsolesceret & inveterasceret.

Et hujus beneficii justa æstimatio, quantum erga Deum in Christo amorem excitare valeat, videmus in Psalte, *Psal*. 103.1.3. *Benedic, anima mea, Deo, & omnia intestina mea nomini sanctitatis ejus: qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis.* Qui credit multa peccata sibi remissa esse, multum diligit Deum, ut testatur Christus de muliere quadam, *Luc*.7.47. *Nam dilexit multum: cui autem paululum remittitur, is paululum diligit.* Et 1. *Joh*. 5. 3. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus observemus, & mandata ejus gravia non sunt.* Hæc est fides illa quæ purificat cor, & operatur per charitatem; quæ obligat, excitat, animat & roborat fidelem ad Deo serviendum hilariter, sicut Psaltes manifestè profitetur, *Psal*.71.15,16. *Os meum* (inquit) *declarabit justitiam tuam, & salutem tuam: quia numeros earum non novi. Ambulabo in robore Domini Dei, mentionem faciam justitiæ tuæ solius.* In quo exemplo etiam videmus Prophetæ sanctum sanctitatis studium, & progressum in viis Dei minimè præjudicare æstimationi justitiæ Dei per fidem: sordet enim hîc ei propria justitia, & præ illa justitia Dei nullo loco ab eo habetur, *mentionem faciam tuæ justitiæ*, inquit, *tuæ justitiæ solius*. Idem videmus in Apostolo, *Philip*.3.8,9. *Quinetiam certè duco omnia damnum esse propter eminentiam notitiæ Christi Iesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum multavi, eaque duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam; & comperiar in eo, non habens meam justitiam*, nempe, *quæ est ex Lege, sed eam quæ est per fidem Christi*, id est, *justitiam quæ est ex Deo per fidem.*

6. Facit igitur sensus imperfectionis justitiæ inhærentis, & sensns reliquiarum peccati in nobis, ut fiduciæ in justitia propria, seu inhærente renunciemus,

mus,ut justitiam Christi nobis imputatam magni æstimemus, ambiamus,amplectamur,exosculemur & fortiter apprehendamus,& in usum nostrum frequentius applicemus. Et quanto preciosior in oculis nostris est Christi justitia hæc imputata,quanto justitia nostra inhærens (ex sensu reliquiarum peccati in nobis) vilior est,tanto Spiritus Sancti copiosior mensura nobis datur,& propensio ad strenuè currendum in stadio pietatis & justitiæ augetur: atque id testatur Apostolus, *Philip.* 3. postquam enim æstimationem justitiæ per fidem professus est,vers.8,9. & agnovit suæ sanctitatis imperfectionem,ver.12,13.addit, vers.14.*unum*,inquit,*ago: ea quidem quæ à tergo sunt obliviscens,ad ea vero quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror, ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.* Contra autem, quanto major est æstimatio inhærentis justitiæ, & minor sensus in nobis putridarum reliquiarum peccati ; quanto minor est æstimatio justitiæ Christi imputatæ,& major affectatio justitiæ ex operibus , tanto parcius impertitur nobis à Deo Spiritus Christi, tânto longius receditur à Christo & ejus gratia. Et hoc abundè testatur experientiá,*Gal.*3.2.*Hoc solum velim discere ex vobis,Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?* Et cap.5.4. *Christus vobis factus est ociosus,quicunque per Legem justificamini; à gratia excidistis.*

Quisquis igitur ex sensu reliquiarum peccati in se humiliatur, quicunque renunciat fiduciæ in operibus suis,& confugit ad Christum quotidiè, ut ipsius justitia imputata totus tegatur, & ipsius virtute roboretur ad luctandum contra pravas cupiditates carnis, & proficiendum in obedientia Legis, certissimè cor suum certiorare potest de statu suo in gratia,& de conditione sua quod laudabilis sit: nam , ingemiscere de sua miseria ob vim peccati, ad Christum Liberatorem confugere, gratiam ejus agnoscere, virtutem ex eo per fidem ad fructus ferendum sugere,non est nisi renatorum,& ad vitam æternam per viam sanctimoniæ proficiscentium : in quibus,etsi maneant reliquiæ peccati ; manent tamen,non nisi ad fidei, spei, charitatis aliarumque virtutum probationem, exercitium & incrementum ; ad humiliationem fovendam & fiduciæ in carne seu operibus extirpationem; ad misericordiæ,potentiæ & gratiæ Dei manifestationem, ad meritorum Christi fidejussoris & justitiæ ejus commendationem,ut quoties inhabitantis peccati vinculis constringimur , & liberationis necessitatem videmus, toties ad Christum Redemptorem suspiremus in fide justificationis, toties in spe Redemptionis plenè per eum tandem possidendæ,gratias cum *Paulo* (*Rom.*7.) agamus, & cum sponsa dicamus, *Veni,veni,Domine Iesu.*

FINIS.

Index Librorum & Capitum.

COnſcientiæ Caſus circa Regenerationem; vel prorſus impediunt Regenerationem: & de his agitur Lib. 1. Vel Regenerationem offuſcant, *Statum* Regeniti in quæſtionem vocando, nempe, an omnino ſit in ſtatu gratiæ: & de his Lib. 2. Vel vitiant conditionem Regeniti, partim, decipiendo Regenitum in conditionis ſuæ determinatione; partim, ejus conditionem dubiam reddendo, ut eam definire non poſſit: & de his agitur Lib. 3.

LIB. I.

Quia communis Inſcriptio trium Librorum eſt de *Curandis Conſcientiæ Caſibus circa Regenerationem per Fœderum divinorum prudentem applicationem*, Idcirco præmittitur, præcognitorum vice, Inſcriptionis explicatio prioribus 8. Capit. Reliquis vero, de Regenerationis impedimentis agitur.

LIB. II.

De Caſibus ad Statum Regeniti ſpectantibus.

LIB. III.

DE Casibus ad conditionem Regenitorum spectantibus: quorum quatuor sunt ordines. Primus, est, Regenitorum in mala conditione sibi placentium. Secundus, est, Regenitorum in bona conditione sua sibi displicentium. Tertius, est, conditionem suam ex parte tantum malam, simpliciter condemnantium. Quartus, est, de conditione sua dubitantium.

FINIS.

1 ½ ditto
1 ½ ditto
1 ½ ditto
1 ½ ditto
3 ½ oil
9 — meal
1 ½ — ale
4 ½ ditto

7
2 . 3